This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

4 Austr. 127 – 1

<36613960060013

<36613960060013

Bayer. Staatsbibliothek

Tomi III. Voll. II.

Digitized by Google

4 Aust. 127—1

Digitized by Google

SCRIPTORES
RERUM HUNGARICARUM

VETERES AC GENUINI,

PARTIM PRIMUM EX TENEBRIS ERUTI, PARTIM ANTEHAC QUIDEM EDITI,

NUNC VERO

Ex Mſs. Codicibus, & rariſſimis Editionibus Bibliothecæ Auguſtæ Vindobonenſis ab innumeris mendis vindicati, plurimis variantibus Lectionibus, & neceſſariis hinc inde quibusdam Notis illuſtrati cum ampliſſima Præfatione Matthiæ Belii.

CURA ET STUDIO

JOANNIS GEORGII SCHWANDTNERI

AUSTRIACI STADELKIRCHENSIS.

PARS PRIMA.

VINDOBONAE,

TYPIS JOANNIS THOMAE NOB. DE TRATTNERN,

CAES. REG. AULAE TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOLAE.

MDCCLXVI.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

MATTHIÆ BELII
PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Diu est, *cum post renatas litteras, cultissimarum quarumvis gentium viri eruditi, res patriæ suæ, quantavis olim diligentia relatas in commentaria, pro eo, ac ejus fieri potuit, undecumque colligere, atque digerere, in justa, quin vasta etiam, volumina, occeperunt. Pronum foret, designare gentes, in quibus utilissimum id negotium, a doctis, summa cum laude, procuratum est; si animus esset, ex alienigenarum Parnasso, Musas, istbuc in concilium evocare. Noti sunt vel vulgo librariorum, ne dicam præstantibus doctrina viris,* Collectionum *istiusmodi* auctores, *pretia atque utilitates: ut iis hic loci enarrandis, non injuria, su-*

Digitized by Google

perſedeamus. Et iſta quidem, olim jam, apud exteros fiebant, ac fiunt hodieque, tanto paſſim adparatu, quantum honeſtiſſimum inſtitutum, pro ſuæ dignitatis habitu, videtur depoſcere.

II. *Præclaram hanc eruditorum ſolertiam, dum animo recolimus, noſtra* Hungari *cædamus vineta, oportet: quod, cum nulla non in gente elaboratum ſit a patriæ filiis, ne permitteretur, domeſticarum rerum memoria, exoleſcere; noſtri olim homines, ita fuerint ſui ipſorum incurioſi, ut geſta actuſque majorum, omni præconio digniſſimos, non modo non eruerint e tenebris, collocaverintque in luce liquida; ſed horum etiam conatus, qui id facere tentaverunt, inviderint poſteritati. Quando, neque multiplicaverunt, tenuium licet ſcriptorum, exempla; neque, habitos negligentius, pro eo ac æquum fuiſſet, cuſtodiverunt, atque adſervarunt ætati ſequuturæ. Non enim mihi perſuaderi unquam patiar, ut credam, tam deſides atque incogitantes fuiſſe primos illos* Hungaros, *qui, ſive* Græcorum, *ſive* Italorum, *ductu imitationeque, vel extremis labris, elegantiores litteras deguſtaverunt, ut eorum ſaltem* Regum, *qui ſe viventibus, ad clavum reipublicæ ſedebant, res, non mandarint poſterorum memoriæ. Quin immo, credo prorſus, elaboraviſſe pro ſua virili, ut relinquerent poſteritati, ſi non hiſtoriarum libros, certe indices ac diaria, rerum, quæ ſuis temporibus evenerunt, memorabilium. Hæc, ita ſe habuiſſe, facile foret docere, niſi id, nunc quidem, a propoſito noſtro eſſet alienum.*

III. *In eo, vehementer, a priſcorum illorum hominum poſteris, deerratum eſt: quod, quam a majoribus acceperunt hiſtoriæ telam, tenuibus licet, quod fit, ſtaminibus initio inſtructam, non modo non pertexuerunt productius ſolidiuſque; ſed animo etiam ſupino, contemtim adeo habuerunt, ut prius ceptum evaneſceret, quam potuerat invaleſcere, decuiſſet profecto, auctiora pedetentim reddere, quæ tenuia ceperunt inire. Nam, quemadmodum rivi, ubi primum a capite, haud magnopere exundante, demanaverunt, tenues ſunt, & vix ad fluitandum idonei; at, dum proceſſerunt longius, eundo proficiunt, & aquis undecunque adlabentibus, pulchre increſcunt, dum amniculos primum, fluvios poſtea, denique amnes, magna aquarum mole turgentes, exæquent: ita hiſtoria, ſiticuloſis e fontibus demiſſa, tractu temporis augeſcit, ſi adſint idonei promtique aquileges, qui in conquirendis ac legendis, ad locupletandam hiſtoriam, monimentis, ſciant velintque operam collocare. Atque iſtud nobis ſtudium curamque, defuiſſe primis illis ſeculis, in* Hungarica Hiſtoria *condenda, locupletandaque, conſtat apud omnes.*

IV.

Digitized by Google

IV. *Primus, qui ex ſeculi, quod vivebat, indole, ſimpliciter, at ingenue tamen, in Hiſtoria patria elaboravit,* M. JOANNES THUROCZIUS *falſo bucuſque fuit habitus: de quo dicemus poſtea. Poſt hunc, majori eruditione, atque eloquentia uberiore, quam, ſeu rerum adparatu, ſeu veritatis præſidiis, inſtructus, idem illud argumentum, exquiſitius cepit pertexere,* ANTONIUS BONFINIUS, *Italus. Hic vero demum, auguſtali* MATTHIÆ CORVINI *munificentia præclare adjutus, incircumſpecte collocavit, immo prodegit beneficium. Eo enim* Hungaricam Hiſtoriam *adduxit, ut cum nuda eſſet antea ac ſimplex, ſibi tamen ſic ſatis conſtans; phaleratam redderet, & multis, cum fabellis contaminatam, tum peregrinarum rerum narrationibus offertam exaggeratamque. Alii, alia in ſcriptore non illaudabili, atro calculo notavere.* MATTHÆI RADERI, *e Societate Jeſu, in Bavaria Sancta,* (a) *querelæ ſunt, haud temere conticendæ:* BONFINIUS, profanus nimium ac paganus ſcriptor; cum Sanctos adpellat DEOS ac numina, DEI Matrem, numen ac DEAM. Catholicæ religionis diſciplina, non novit, nec colit, niſi unum DEUM, & unum numen. BONFINIUS, dum vult Latine, quod ipſum ſincere non poteſt, ſcribere, ſuperſtitioſe & profane, ne quid dicam gravius, loquitur. *Digna, quæ a viro ſacro profecta ſit, animadverſio. Duumviros,* Thúróczium & Bonfinium, *ſcriptores minutiores alii, haud exili proventu, exceperunt. Horum alii, in compendium miſiſſe, ſatis habuere, quæ in laudatis auctoribus, fuſius legebantur; alii, ſingulares, & bello & pace, eventus, ſuæ ætatis res geſtas, & quarum, vel pars, vel ſpectatores fuere ipſi, quantacunque adcuratione litteris mandaverunt. Ineunte ſeculo XVII.* NICOLAUS ISTVANFFY, *conſilio meliore, magiſque propitia uſus* Minerva, *quam, ſive* Thúróczius, *ſive* Bonfinius *olim elaboraverunt;* Hiſtoriam Hungaricam, *ab exitu* CORVINI *Regis, ad ſuam uſque ætatem, quin diem ſupremum, non minus concinne, quam ſingulari cum cura, continuavit. De qua ſummi viri opera, ſuo loco dicemus opportunius. Æmulari voluiſſe* Iſtvánffyum *videri poteſt* WOLFFGANGUS BETHLEM, *quando eandem, quam ille, temporum periodum, hiſtoria complexus eſt; ſtilo quidem humiliore & inæquali exaratam, monumentorum tamen adparatu multo majore inſtructam. Et hæc quidem ea fere ſunt nomina, quæ in primis bene meruerunt de* Hiſtoria Hungariæ.

(a) *Volumine II. p.* 191. *Confer. BAILLII Dictionaire Hiſtorique & Critique A.* 1730. *p.* 603. *ſeq.*

Digitized by Google

V. *Singulorum volumina, ſigillatim, atque ſæpius recuſa; ſi* Bethlenium *excipias, qui novercantem nactus* Lucinam, *in partu fere præfocatus eſt; ſic ſatis diu ſuffecerunt orbi erudito: de* Collectione *omnium, nemo erat, qui gentium vicinarum imitatione, vel cogitationem ſuſciperet, inter populares noſtros; quippe qui, adeo id ad ſe non pertinere exiſtimabant, ut ſimul ſupervacuam diligentiam illam ducerent, quæ ab exteris, in ea re procuranda, conſumeretur. Ergo, miſeratione boni* Apollinis *factum credo, ut* Jacobus Bongarsius, *vir Gallus, & Regis ſui, ad rempublicam, uti dici tunc amabat,* Argentoratenſem, *legatus, pro mirifica, qua fuit, eruditione, curam hanc ſuam faceret. Enim vero:* Rerum Hungaricarum Scriptores varios, Hiſtoricos, Geographicos, ex veteribus pleroſque, ſed fugientibus editionibus, revocatas, quoſdam tunc primum editos, in unum volumen congeſſit, *atque in luce publica collocavit,* Francofurti anno MDC. *Prolixe, idque cum exquiſitiſſimo calamitatum, & quæ has Hungariæ noſtræ, exuberante peccatorum gentis menſura, inflixerat, juſtitiæ divinæ ſenſu, deſtinationem eam, ejuſque rationes, expromſit ipſe* Bongarsius: *ut non putemus neceſſium eſſe, ea de re monere quidquam. Iſtud fatetur:* Varios, & ingenii varii, auctores, in hunc ſe veluti faſcem conjeciſſe; quoſdam autem, nec luce hac dignos, ſi exſtarent alii potiores. *Hæc, de omnibus collectionis ſuæ auctoribus, univerſim judicat: de ſingulis quibuſdam, infra, ſententiam ejus promemus. Et hæc quidem opera, viri tunc fuit alienigenæ.*

VI. *Seſqui poſtea ſeculo, ceſſatum eſt in* Hiſtoria Hungarica, *jacuitque nobiliſſimum ſtudii genus, cum neglectum domi, tum contemtum apud exteros; niſi forte rumuſculorum illos compilatores laudare velis,* qui, *inquit* Bongarsius, hiſtoriarum volumina in nundinas conficiebant, ut animos paſcerent plebeculæ. *Atque ita ſe habebat Hiſtoria Hungarica, toto propemodum ſeculo XVII. Poſtea, adulto jam, quod vivimus, ſeculo, ſeges ſcriptorum incepit eſſe, cum uberior, tum exquiſitior. Quos, quia in manibus fere ſunt omnium, nihil adtinet connumerare. Ipſe egomet, cum auguſtali D. Cæſaris,* Caroli VI. *indulgentia, in hunc campum fuiſſem prolectus; eos mihi, in* Hiſtoria Patria, *deſignaveram circulos, qui, præter* Notitiam Hungariæ Novæ, *opus vaſtum ac refractarium; locupletem quandam* Scriptorum Collectionem, Adparatum *item* ad Hiſtoriam Hungaricam, *complecterentur. Conſcio hæc non modo, ſed etiam propitio, numine* Cæſaris *ſuſcipiebantur. Jam vero, auctorum, quos in* Tomos *numeroſiores digeſſeram, recognoſcendorum initium feceram: cum remoræ undique ſe ingerere,*

obi-

Digitized by Google

obices poni, & sexcenta sufflamina alia, ex aliis subnasci, ceperunt. Ita cum se rationes instituti mei haberent; mors, AUGUSTUM IMPERATOREM, *unicum studiorum nostrorum, idemque validissimum præsidium, nec opinato, rebus humanis exemit. Tunc vero demum, funestissimus, toti orbi Europeo, eventus hic, sicuti patriam nostram, Turcica tempestate vix dum consopita, novo ac pernicioso bello implicuit: ita studiis quoque meis,* Hungariæ *in primis* Novæ, *cujus tunc fervebant operæ, sufflamen posuit;* Collectionem *vero* Scriptorum Hungaricorum, *prorsus e manibus mihi elisit.*

VII. *Tuli, fatorum hanc iniquitatem, animo eo requietiore, quo magis commodum accidit, repertos postea, in gente vicinissima, amicissimaque, viros fuisse doctos, qui has curas ultro occuparent. Res istiusmodi est. Dudum,* Bongarsiana *illa, quam meminimus,* Collectio, *fugere cepit doctorum oculos, vixque, nisi pretio grandiore, emebatur. Proinde, optare multi: uti esset bonus aliquis, qui vulgaret iterum iterumque, utilissimam eam auctorum congeriem, daretque operam, ut, quod priori editioni deerat, id novæ huic accederet. Intellecto eo, vir laudatissimus, & in promovenda re libraria indefessus,* PAULUS KRAUS, *bibliopola Vindobonensis, in eam sententiam se adduci, haud gravate, passus est; uti* Collectionem *eam* Bongarsianam, *omni studio atque adcuratione locupletatam, ac pro elegantis seculi ingenio, formis chartaque nitidissimis, recudendam procuraret: atque si se adprobasset orbi erudito institutum illud, eadem cura, in reliquis etiam scriptoribus, elaboraret. Poscebat, honestissima hæc, atque in commune utilis destinatio, viros doctos, ac laborum patientes, qui, non modo singulos scriptores, repetitis curis, recognoscerent denuo; sed etiam, cum exemplaribus, manuscriptis partim, partim editis, scrupulosius conferrent; lectionum varietatem, quam reperissent, adnotarent, inque notulas, non eas quæsitas, & præterrem luxuriantes, sed breves, necessarias, ac concinnas, referrent. Quod & ita evenit omnino. Namque, repertus est vir eruditus, idemque rerum Hungaricarum non minus amans, quam gnarus, qui curam omnem studiumque eo conferret, uti, cum precibus bibliopolæ locum daret, dum prodesset rei litteraxiæ. Quod antequam adgrederetur facere, elaboratum fuit, ut, quæ in* Augusta Bibliotheca Regia, *manuscripta* Rerum Hungaricarum *monumenta, in cimeliis reposita, habebantur, ab Indulgentissima Regina,* MARIA THERESIA, *describenda impetrarentur, inque* Collectionem *hanc opportune referrentur. Qua in re, quid universim, quaque adcuratione elaboratum sit, quæ item, integro volumini, factæ accessiones, curatius paulo explicabimus*

Digitized by Google

VIII. *Primo* Collectionis *loco*, *offert se*, Anonymi Belæ Regis Notarii, Historia Hungarica, de Septem Ducibus Hungariæ. *Commentariolus est*, Rerum Hungaricarum, *adhuc*, *ne fando quidem*, *doctis cognitus*: *quippe qui*, *pluribus retro seculis*, *in solius* Bibliothecæ Vindobonensis *loculis creditur delituisse*; *unde*, *vergente anni superioris MDCCXLIV. æstate*, *clementissimo indultu regio*, *describi adcurate potuit*, *inque capite voluminis hujus collocari*. *Qui*, *tametsi mole exiguus*, *dignus tamen est*, *quem intus & extus*, *adtentissime excussum*, *orbi litterato cognitum reddamus familiaremque*; *quod & ita faciemus*. *Codex*, *formæ quadripartitæ*, *membranaceus est*, *inter Latinos*, sexcentesimus septuagesimus primus, *foliorum admodum* quatuordecim, *circa seculi decimi tertii*, *aut paullo ante*, *uti ex criteriis*, *quæ notare licuit*, *ultra verosimilitudinem conjectabamus*, *exaratus*: *charactere*, *simplici eo*, *neque*, *aut auro*, *aut ornamentis aliis*, *pro ejus ætatis more*, *illuso*; *emendate tamen*, *& multa cum adcuratione descriptus*. *Autographon certe auctoris non est*, *neque id temere quisquam ausit dicere*, *quousque*, *de hujus ætate*, *explorati quidquam certique constitutum fuerit*. Sebastianus Tengnagelius, *Augustæ quondam Bibliothecæ præfectus*, *hoc*, Codicem *nostrum*, *titulo*, *insignivit*: Historia Hungarica, de septem Ducibus Hungariæ, Auctore Belæ Regis Notario. *Quibus verbis*, *prorsus exhausit libri argumentum*. Petrus *postea* Lambecius, *vir*, *uti exaggeratæ*, *in re litteraria*, *eruditionis*; *ita industriæ*, *in ea eruderanda locupletandaque*, *oppido indefessæ*, *ejusdem hujus codicis meminit*, in Diario Sacri Itineris Cellensis, Additamento II. p. m. 277. *Omnium autem liberalissime*, *& de se pollicitus est*, *& de Anonymi hoc commentariolo typis exscribendo*, *fidem suam orbi litterato obstrinxit*, *Cl.* Nesselius, *in* Magni Corporis Historici Sciagraphia, *quam edidit* Vindobonæ, *anno MDCXCII. forma quadripartita*, *p. 92.*; *sed*, *qua erat*, *bonus ille*, *desultoria indole*, *fidem liberavit numquam*. *Nempe*, *ita in fatis fuit*, *ut nunc demum*, Augustissima *artium optimarum* Vindice *indulgente*, *post diutinam extra modum noctem*, *lucem opportune adspiceret*.

IX. *De auctore Codicis*, *non est facile statuere*. *Nam*, *& ætas in obscuro posita est*, *& nomen oblitteratum*, *neque expeditæ muneris rationes*. *Qui hominem in* Belæ I. *tempora reponunt*, *faciunt illi quidem aliquid*, *quod vix cum ratione tueri poterunt*. *Si enim velint stylum scriptoris*, *in ejus opinionis præsidium*, *advocare*: *idem illud argumentum*, *& pro reliquorum ejus nominis regum ætate*, *militabit*. *Enim vero*, *idem fuit*, *quod est in auctore*

Digitized by Google

ctore noſtro, dictionis ingenium, ſub BELA ſecundo, tertio & quarto; *hoc eſt, ætati monaſticæ adhuc conſentaneum. Ut proinde, non tam de ætate, quam vitæ auctoris genere, conjectandi nobis, ex ſtylo, naſcatur occaſio. Sacerdos nimirum fuit*, multis tamen ac diverſis laborioſi ſeculi negotiis impeditus, *uti habet* Prolegom. *p. 2. lin. 16. unde & factum credimus, ut commentarium hunc ſuum*, Sacerdoti, *ſuo, inde a ludo litterario, amico, dedicaverit. Ac*, Sacerdotem *omnino fuiſſe, & ex ſolemnibus familiaribuſque, illis ſeculis, formulis, condiſcas. Hujuſmodi ſunt:* Reges atque Nobiles Hungariæ, regnum habere per S. MARIÆ gratiam, Proleg. *p. 2. fine:* Almum ducem, ex divino quodam ſomnio, nomen, *non ſine prodigio*, retuliſſe Cap. III. *p. 4.* Spiritus Sancti donum fuiſſe in Almo, *tametſi ethnico*, Cap. IV. *p. 5. &* Cap. VIII. *lin. 17 p. 7. & quæ ſunt hujus generis*, cetera. *Sic ſatis vero, pro eorum temporum indole, & doctus haberi potuit auctor, & eloquens. Nam, cum eloquentia quidem, hiſtoriam ſe veterem conjunxiſſe; & ſicuti* Trojanum, *ac reliqua* Græcorum *bella; ita & genealogiam* Regum, *ac* Nobilium Hungariæ, *litteris mandaviſſe, gloriatur*, Proleg. *p. 2. initio. Quin, tantopere ſibi, iſta ſua opera placet, ut nihil dubitet exclamare:*

Felix ergo Hungaria,
Cui ſunt dona data varia;
Omnibus etiam horis
Gaudeat, de munere ſui litteratoris.

Quia exordium genealogiæ, Regum ſuorum & Nobilium, habet *Ibidem* fine.

X. *His rebus, ſacerdotio nempe, neque temere obvia iis temporibus eruditione, factum eſt, ut* Notarius *fieret* BELÆ *Regis, tum, quod a profanis viris, aberat, qualecunque litterarum ſtudium; tum, quod ſacerdotibus, tutius credi poſſe, arcanorum curiæ regiæ cuſtodiam, opinio inveteraverat. Nam, ſicuti ſtyli, quo in conſcribendo hoc libello, auctor uſus eſt, indoles, nihil in ea re poteſt definire; quod ſupra monuimus: ita ſunt profecto, non poſtremæ notæ indicia; quæ non tam* BELÆ I. *ſed poſterioribus illis, quiſquis demum fuerit, inter tres ejus nominis Reges, vendicare poſſint* Anonymum *Equidem, niſi mutilum eſſet, quantumcunque auctoris opus, his addictus criteriis, in* BELÆ IV. *eum tempora, haud injuria reponerem. Profecto enim* Halliciæ, Uladomeriæ, *diverſarum item per Hungariam urbium nomina, quibus paſſim utitur auctor, non credo, ſeculo undecimo, cui interviixit* BE-

LA

LA I. *tam diſtincte cognita vulgo fuiſſe, quam id obſervare eſt, ſub ſequutis ſynonimis Regibus: atque ſub* BELA IV. *in primis. Qui Regum cognominum, facile* Glorioſiſſimus *dici meruit, quomodo eum vocat noſter, initio prolegomenorum. Sed, quidquid agas, ætatem certe hominis, nequaquam definiveris, neque facile eruderaveris, nomen, dudum, fatone an conſilio? oblitteratum. Verum, culpa id ſcribæ accidiſſe ſatis adparet, ex prolegomenorum exordio. Quod, dum a verbis:* Prædictus Magiſter, & quondam, *reliqua, incipit; plane indicat, referri ea verba, ad nomen auctoris, oportere, cujus forte, in nuncupatoriæ hujus epiſtolæ fronte, expreſſum vocabulum fuerit, in ſolemni ea formula: M. T. C. Bruto S. quam, quod tranſcribere piguit librarium; & nomine nos fraudavit auctoris, homo ille tardus, & ſimul ætatis, qua vixit, notitia.*

XI. *Quiſquis vero fuerit, commentarioli, quem edimus, auctor, infra ætatem* BELÆ I. *retrudendus haud eſt; ſicuti, neque proferendus, ultra tempora* BELÆ IV. *Proinde, æram ei definiverimus, ab anno MLX. uſque ad annum MCCXL: quippe quæ,* Belarum *eſt epocha. Neque tamen de ſententia noſtra, ita ſecuri ſumus certique, quin ultro conceſſuri ſimus his, qui exploratiora attulerint docuerintque, cum ratione. Illud, nemo rerum Hungaricarum gnarus, inficias iverit, inter ſcriptores, qui hucuſque nobis innotuerunt, domeſticos, facile antiquiſſimum eſſe noſtrum, &, ſi non majorem* CHARTUITIO, *ſaltem ejus æqualem, certe ſupparem. Doleas vero, & impenſe quidem doleas, altera ſui parte mutilum opus ad nos perveniſſe: quod ex prologo, ultra omnem veroſimilitudinem, poſſis colligere. Adfirmat iſthic auctor,* Genealogiam Regum atque Nobilium ſe ſcripſiſſe: *cum tamen, præter* Almum, Arpadum, Zoltam, Toxim & Geyzam, *gentis duces, nullos, in hoc codice, Reges meminerit, ut taceamus, provocare ſubinde, ad ſequentia operis ſui, quæ exſtant nuſpiam. Præcipuum, quod liberaliter præſtitit, iſtud eſt, quod primos, in gente Hungara,* Nobiles, *eorumque actus hiſtoria dignos, cum cura memorat; nulla, quod obſervarim, chronologiæ habita ratione. Ergo, quam accipis, Lector erudite,* Septem Ducum Hiſtoriam, *partem admodum priorem fuiſſe exiſtimabis,* Hiſtoriæ, *quam auctor condiderat,* Hungaricæ; *cum parte altera, res forte Regum geſtas, ſit proſequutus. Certe, in commentario iſthoc, de quo agimus, præter jejunam aliquot Regum mentionem, vix quidquam reperias. Ita, Cap. XI. fine, pag. 10.* S. STEPHANI: *Cap. 15. extremo,* ANDREÆ, *filii* Ladislai Calvi, & PETRI, *Regum, tanquam obiter, meminit. Peculiaris eſt,*

ABE

ABÆ Regis, *quam Cap. XXXII. ad calcem, pag. 21. habet, mentio:* Rex, *inquit,* SAMUEL, qui pro ſua pietate, OBA vocabatur. *Præterquam enim, quod geminum Regi illi nomen tribuit, atque, quod ignorarunt hactenus ſcriptores Hungarici,* SAMUELEM *vocat: vulgatum ejus nomen* OBA, *ſeu* ABA, *a pietate, qua fuerit, ductum fuiſſe, adfirmat, quod non diſquirimus.*

XII. *Sed, quid quæſo de fide auctoris Anonymi ſtatuemus? quando hiſtoriam ejus inſpicientibus, multa occurrunt, quæ aut ignota fuerunt hactenus ſcriptoribus Hungaricis, aut non ſatis explicata. Certe, operæ fuerit pretium, fontes & capita, ex quibus derivaverit ſua, indagaviſſe. Nimirum, fuere hæc, cum* vulgaria, *& facile obvia, tum* ſingularia *ea, quæque curam ac ſtudium requirebant, dum in rem poſſent converti. In illorum cenſu, hiſtoricos, diverſi & temporis, & adcurationis, qui ne vulgo quidem potuerunt ignorari, referimus: id quod ingenue fatetur Anonymus in prologo:* ſecundum, *inquit,* diverſorum hiſtoriographorum traditiones, divinæ gratiæ fultus auxilio, facere, *ſeu ſcribere,* adgreſſus ſum. *Atque inde eſt, quod eadem Anonymo, cum ſcriptorum Hungaricorum vulgo, ſit, de gentis origine, ſententia: uti, Cap. V. & VII. videre eſt. Abſtinuit vero ſe, quam curatiſſime,* a falſis ruſticorum fabulis, & garrulo cantu joculatorum: *quibus utriſque tunc, pro ætatis habitu, annales Hungarici, apud promiſcuum vulgus conſtabant. Hinc illa, auctori noſtro, de ſe confidentia:* ergo, potius a me de certa ſcripturarum explanatione, & aperta hiſtoriarum interpretatione, rerum veritatem percipiat gens Hungariæ, primordia generationis ſuæ, & fortia quæque facta ſua. *Quæ ingenua apertaque viri ſimplicitas, non poteſt non probari Lectori. Sed fontes* ſingulares, *quos habuerit, difficilius eſt definire. Profecto autem ita exiſtimo, pleraque ea omnia, quæ ignorata fuere chronicis Hungariæ, ex* Ruſſorum *eum annalibus fuiſſe mutuatum. Huc referre poſſis, quæ de Hungarorum,* Etyl *amne ſuperato, per* Kyowiam *egreſſu, refert Cap. VII. & quæ poſtea* Hungaris, *ſive bella cum* Ruſſis & Cumanis, *ſive fœdera, interceſſere, Cap. VIII. uſque ad Cap. XI.* Ruſſos *enim, gentem,* ad Hungarorum *uſque adventum, requietam, melius, & adcuratione multo exquiſitiore, ea omnia litteris conſignare potuiſſe, quæ, iſta* Hungarorum *impreſſione, quibuſque ducibus, evenerint; quam ipſos Hungaros, facile eſt conjectatu. Nam* Hungaros *quidem tum demum, & libros, actuum civilium, memoriales, quos nunc* protocolla *dicimus, habere; & rerum, a ſe bello geſtarum, ſive indices, ſive annales, ſenſim inſtruere cepiſſe reor, cum* Zultani *duces providentia, regni quædam formula, inter Hungaros fuit condita. Lege ſis* Cap. LIII. *p. 35. quorſum &* Juris

)( )(Hun-

Digitized by Google

Hungarici Consuetudinarii *origines, possis referre. Ceteroquin, auctori nostro, eo fuit pronius, ex publicis hujusmodi monumentis, in rem suam, quæ vellet, arcessere; quo erat ad ætatem illam propinquior. Enim vero, salvis adhuc rebus Hungaricis, in more positum fuit, ut Regum, gentisque res gestæ omnes, quin & familiarum nobilium actus insignes, in annales referrentur, traderenturque ad* ædes Magistri Tavernicorum, *qui eos, non secus, quam regios thesauros alios, custodiret, observaretque, ac cum opus foret, in publicos & privatos usus, inde pro muneris ratione, depromeret. Quod, priscorum Regum diplomatibus, facile foret docere, si id modus præfationis admitteret. Itaque, & publica gentis commentaria, & diaria equestrium familiarum privata, consuluisse auctor censendus est. Hinc vero factum, ut de occupata* Hungaria, *ea litteris mandarit noster, quæ nusquam, sive apud* Byzantinos, Italicos, Francicosque, *sive apud* Germanicos, *atque gentium aliarum scriptores, legas: quod indicio est, e* Russicis *ea partim, partim e domesticis scaturiginibus, demanavisse omnia. Nonne vero diplomatum simul side, usus fuit* Anonymus? *nulla ejus rei vestigia deprehendas alia, quam quod partitio agri Hungarici, inter duces ac nobiles, ab* Arpado *instituta, haud quidem sine tabulis confici potuerit: quarum postea usura, si superabant adhuc, proclive fuit auctori proficere.*

XIII. *Ita existimantibus, non videtur aliemum, fidem huic nostro, etiam eatenus adhibere, qua a vulgo* Hungaricorum Scriptorum *discessionem facit: quæ, & non pauca sunt, & præcipui momenti. Ut proinde immortalem operam, genti Hungaræ universæ, navarit* Joannes Georgius Schwandtnerus, *elegantis vir ingenii ac doctrinæ, cum auctorem incognitum adhuc, non solum, Regio concessu ac beneficio, ex membranis* Augustæ Bibliothecæ, *adcuratissime exscripsit; sed isto etiam, quem vides, cultu instructum, luci publicæ exposuit. Quantus quantus enim est scriptor, incognitus hucusque, utilitatis certe, in cognoscendis priscis illis rebus* Hungaricis, *est prorsus incomparabilis. Præterquam enim quod jejunam, apud* Thuroczium, *Hungariæ ducum, historiam, rerum, quas gesserunt, uberiore adparatu descriptam, ab eo accipis, Lector: mancas certe* Hunniacæ *non minus, quam* Slavicæ *gentis, ducum res gestas, & quas tenuerunt sedes; regionum porro, quæ fuit medio ævo, istis locis, geographiam; totius* Hungarici Principatus, *inde a primis ducibus, hæreditariam quidem, sed suis circumscriptam legibus, formulam;* Comitatuum *primævam, eamque genuinam originem; adpellationem situum nativam, atque urbium nonnullarum exordia; sic satis luculenter expromit; ut sit, cur operam illam, æqui rerum Hunga-*

Digitized by Google

ricarum existimatores, gratiis cumulatissimis prosequantur. Ceteroquin, habebunt Hungari *eruditi, ubi ingenii vires periclitentur: si ad recognoscendum illustrandumque, cum cura, auctorem, animos studiumque adjecerint. Hæc de* Anonymo *dixisse sufficiat: nam de ejus cum* Thúróczio *concordia, & dissensu, alias.*

XIV. *Ad* M. JOANNEM THURÓCZIUM, Chronici Hungarorum, *quemadmodum creditum est hactenus, primum omnium conditorem, pedem proferamus. Præcipuam, in optimæ notæ auctore, recognoscendo, emendando, supplendo, & integritati, quoad ejus fieri potuit, restituendo, operam posuit laudatus* SCHWANDTNERUS. *Ac potuit id quidem eo facere adparatius, quo magis in promtu erant subsidia, in eam rem unice necessaria; quæ, ne ignoret Lector, rerum Hungaricarum cupidus, professa nunc opera recensebimus.*

XV. *Primas hic sibi vendicat, antiquus* Anonymi *cujusdam auctoris Codex manuscriptus, idemque membranaceus, in forma folii minoris* Bibliothecæ Augustæ Vindobonensis, *foliorum septuaginta trium. Ita vero exorditur*: Anno Domini MCCCLVIII. feria tertia infra octavas Ascensionis ejusdem Domini incepta est ista Chronica: De Gestis Hungarorum antiquis & novissimis: Ortu & progressu, victoria eorundem & audacia. Collecta ex diversis Chronicis veteribus: Earundem veritatem ascribendo, & falsitatem omnino refutando. In nomine Domini Amen. *Et hæc quidem folium primum habet. Unde colligas, non defuisse jam tum ætati illi, quæ in tempora* LUDOVICI M. *incidit*, Chronica Vetera, *eaque* diversa, *quibus priscorum Hungarorum res continebantur: ut potuerit sane, novi hujus Chronici compilator, cum delectu sua depromere, & ad posteritatem istuc transcribere. Eo forte infelix dicendus, quod, cum tantula hæc, ex antiquis Chronicis congesserit, derivato qualicunque, ad nostram usque ætatem amniculo, fontes ipsos, uberes eos atque perennes, quasi data opera obturaverit. Quod unum est epitomatorum, in re, cum primis historica, adversus orbem eruditum, beneficium: ut cum rivulos qualescunque deducant, ex scaturiginibus limpidis largisque; his ipsis primo contemtum, oblivionem postea læthea quavis pertinaciorem, interitum denique perniciabilem, accelerent.*

XVI. *Alioquin, placet* PETRI LAMBECII, *de manuscripto hoc Codice sententia, quam in* Diario Itineris Cellensis, *aperte tulit & ex vero, edit. Vienens. for. 4. anni 1666. p. 61. 62. & 267.* Falso hactenus a quibusdam creditum est, JOANNEM THURÓCZIUM, sive Turocensem, qui sub Rege MATHIA CORVINO potissimum floruit, operis istius, quod sub

Digitized by Google

titulo *Chronicæ Hungarorum* edidit, partem primam & ſecundam, ſuo marte & ſuopte ingenio conſcripſiſſe. Contrarium enim demonſtrat Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis, utpote in qua etiam nunc adſervatur, antiquus Anonymi cujuſdam auctoris Codex membranaceus manuſcriptus in folio, inter Hiſtoricos Latinos manuſcriptos *quadringenteſimus quinquageſimus ſextus*, ſcriptus *anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo octavo*, & ſpectatu digniſſimis inauratis picturis exornatus, ex quo JOANNES THURÓCZIENSIS, omnia, *quæ* duabus illis partibus continentur, mutuatus eſt. *Id profecto ita eſt, ut nihil ſententiæ illi deſit, quam ut pollicem ei premamus: Cl. autem* SCHWANDTNERO *gratias habeamus, quod, in recenſendo* Bongarſianæ *editionis* Thúróczio, *manu exarato hoc codice, cum adtentione uti voluit: multa enim, eaque frugis optimæ, ad adcurandum eum auctorem, ex laudato manuſcripto acceſſiſſe, non eſt opus ut operoſe doceamus.*

XVII. *Erunt, credo, eruditorum non pauci, qui exſcribendum typis optaſſent codicem illum: ſed quæ tamen diligentia futura fuiſſet. Præterquam enim, quod octo priora manuſcripti folia, uſque ad titulum, qui eſt* de Septem Capitaneis, *nihilo fere a* Bongarſiana *editione differat; reliquus profecto Chronici, uſque ad finem, contextus, non modo integer, ſed cum manifeſtis etiam erroribus, fideliter adeo exſcriptus a* Thúróczio *eſt, ut non putem exiſtere potuiſſe quenquam, qui eadem hac cura, ſeu potuiſſet, ſeu voluiſſet, defungi exquiſitius. Quod cum obſervamus, non id agimus, ut crimen plagii litterarii intentemus bono* Thúróczio; *tametſi feciſſet omnino eruditi viri officium, ſi manuſcripti hujus noſtri mentionem, quam meruit, vel obiter habuiſſet: ſed uti referamus ei gratiam, quod ſua hac qualicunque ſolertia, operam navarit poſteritati, quando Chronicon id ad nos integrum propagavit, αὐτογράφῳ fortaſſis auctoris uſus, quod jam nuſquam adparet. Vindobonenſe enim iſtud, quod recenſemus, ἀπόγραφον eſt, idemque duobus ultimis capitibus truncatum, quippe quod, in Capite XCVII. quod* THURÓCZIUS, de Bello Caroli Regis cum Bazarad Vayvoda Tranſalpino infeliciter geſto, inſcribit; *codex autem manu exaratus,* Rex vadit cum exercitu contra Bazarad, *inſignit, medio in textu, ſenſu ad hæc mutilo, in verbis:* ut humilitatem diſcerent & docerent, quatenus - - *deficit. Vide textum, novæ hujus editionis p. 165. nota 1. Contra ea* Thúróczius, *præter Capitis XCVII. continuationem, duo alia, nempe Cap. XCVIII.* De incidentibus quibuſdam, *&* XCIX. De Morte Regis Caroli, *ſuperaddita habeat. Quæ, ex conſummatiore exemplari, ac forte auctoris αὐτογράφῳ ipſo accepiſſe cenſendus eſt.*

Digitized by Google

eſt. Nullum proinde facturus fuiſſet operæ pretium bibliopola, tametſi impenſam in excudendum imploratum codicem nihil dubitaſſet profundere, quam quod cramben bis coctam, Lectoribus eruditis, adpoſuiſſet.

XVIII. *Acceſſit incomparabilis recognitorum, in* Bongarſiana *editione, cum manuſcripto noſtro conferendo, adcuratio. Quidquid enim, ad emendandam, illuſtrandam, reſtituendam, atque locupletandam eam, pertinere videbatur; parca id quidem, ſed manu ſedula, & ſubacto judicio, adſcripſerunt, retulerintque in iis notulis, quæ ſub ſingularum fere paginarum columnis, conſpiciuntur, & nunc variantium lectionum vicem præſtant, nunc lucis quidpiam, dubio textui, adfundunt. Ergo, una hac fidelia, duos dealbaviſſe parietes, cenſendus eſt noſter: quando, & retruſum hucuſque codicem, opportune ac per compendia, in rem communem vertit, &* Bongarſii *editionem, eadem illa diligentia, correctiorem fecit, lautioremque. De icunculis, quas codex membranaceus, ex ætatis ejus more, haud vulgari arte, paſſim adpictas habet, ſileremus, nullo famæ diſpendio; niſi & has, æri incidi, & ſuis locis, interſeri chronico, curaviſſet bibliopola: partim, ne videretur neglexiſſe quidquam, quod editioni huic decus conciliaret, partim, ut armorum, inſignium, priſci item apud* Hungaros *veſtitus, quantulacunque ea ſunt, monimenta, his iſtiuſmodi laciniis, ad poſteritatem tranſmitteret. Quas domeſticæ antiquitatis, qualeſcunque reliquias, eo majoris facimus, quo eæ, ad veterem illam* Hungarorum *ætatem, propius quodammodo accedunt: ſed bis, ut immoremur, non eſt operæ pretium; eo quod referunt omnino, picta ea ſigna, vermultum* (a) *novitatis.*

XIX. *Gemina, præterea,* Thuróczii *editio,* Brunenſis *altera; altera* Auguſtana *fuit, quæ, poſt Spectatiſſimum codicem illum, recognitionem noſtræ hujus, fecit conſummatiorem, utraque bonæ notæ eſt; ſed altera tamen præſtantior altera.* Brunenſis *illius, nota typographi, quam ad calcem libri adtexuit, hæc habet:* Illuſtriſſimorum Regum Hungariæ Chronica, in inclyta terræ Moraviæ Civitate Brunenſi lucubratiſſime impreſſa fuit felicius Anno ſalutis MCCCCLXXXVIII. die XX. Martii. *Luculentum oppido indicium. Par, & in* Auguſtana *hac reperias,* Sereniſſimorum Hungariæ Regum Chronica, bene reviſa, ac fideli ſtudio emendata fuit feliciter. Impreſſa Eberhardi Ratoldt viri ſolertiſſimi eximia induſtria, & mira imprimendi arte, qua nuper Venetiis, nunc Auguſtæ ex-

(a) *Excutias velim tabulam pag.* 80.

Digitized by Google

cellit, nominatiſſimus. Impenſis ſiquidem Theobaldi Feger, (a) concivis Budenſis. Anno ſalutiferæ Incarnationis, milleſimo quadringenteſimo octavo, tertio Nonas Junii. *Itaque, unius ejuſdemque anni proventus, & Brunenſis, & Auguſtana editio fuit: quam utramque, adcuratori noſtro,* Auguſta *itidem* Vindobonenſis Bibliotheca, *commodavit. Typus utrobique* Gothicus *eſt; figuræ, qui Regum partim icones, partim inſicetas præliorum hypotypoſes, referunt, ligno, rudi ſane opificio, ſunt inaratæ:* Auguſtana *tamen,* Brunenſi *emendatior; ſicuti & plenior* Bongarſiana, *quippe quæ, uſque ad* Mathiæ Regis expeditionem Auſtriacam, captamque Viennam, *procurrit. Cujus rei admonendus fuit Lector. At enimvero,* Brunenſiſne *hæc editio* Thúróczii, *prima ſit omnium; an vero* Auguſtana *alia, uti vult* Zuittingerus, *jam tum anno MCCCCLXXXII. iiſdem formis* Ratoldianis, *iiſdemque impenſis* Fegeri, *procuſa, eandem præceſſerit; vel vero, qua ſe uſum fuiſſe ſcribit* Bongarſius? *paullo tardius, anno nimirum LXXXIII. ibidem prodierit, non habeo, quod tuto, ſive negem, ſive adfirmem. Sicuti ne id quidem,* Venetiis, *anno MCCCCLXXXVIII.* lucem adſpexiſſe THURÓCZIUM *noſtrum, compertum habeo: tametſi id quoque adſerere videatur* CZVITTINGERUS. *Difficile eſt enim, fugientibus ejus ætatis editionibus, ſive de earum anno, ſive de numero, ſive de officinis, ex quibus prodiere, certo ſtatuere. Illud obvium eſt,* alio Bongarſium, *in adornando* Thúróczio *ſuo, uſum fuiſſe exemplari; non noſtro hoc* Auguſtano, *anni MCCCCLXXXVIII. quippe ex quo, & ſpbalmata plura adſciſcit, & clauſula illa augmentoque, cujus meminimus, editionem ſuam intempeſtive fraudavit. Quid quod* bene reviſam, & fideli ſtudio, *editionem anni MCCCCLXXXVIII. fuiſſe* emendatam, *ſupra typographus teſtatus eſt. Quod ſatis condocet, reſpici bis, ad priorem quamcunque editionem aliam, erroribus contaminatam typographicis: qua emendatior hæc prodierit, & multis modis caſtigatior.*

XX. *Denique adminiculorum, inter ea, quæ typis ſunt excuſa, quæque in rem verti potuerunt, facile præſtantiſſimum judicaveris:* Antiqua Chronica Hungarorum, cum præfatione ad Venerandum Dominum Ladizlaum Præpoſitum Eccleſiæ Budenſis, Proto-Notarium Apoſtolicum, nec non Vice-Cancellarium Sereniſſimi Regis Mathiæ. *In folio minori,* Budæ

(a) *Vocabulum Hungaricum eſt, ex more illius ætatis ſcriptum:* Fejér *autem legatur, oportet, quod* album *ſignificat. Quod ideo notamus, ut conſtet, ea jam ætate fuiſſe in Hungaris, ſervitis etiam plebeja, qui litteris velificarentur.*

Digitized by Google

dæ, per Andream Heſs, Anno Domini 1473. in vigilia Pentecoſtes impreſſa. *Nam & bis uſus eſt, longe omnium ſcrupuloſiſſime, in reparando auctore ſuo, noſter. Eſt autem, totus is commentarius,* Chronicon Thuroczii *in compendium miſſum: quippe quod, & rebus, & dictione, ita cum eo concordat, ut epitomatorem habuiſſe credi poſſit; quemadmodum non ignarum Hiſtoriæ* Hungaricæ, *ſic* Thúróczio *ipſo multo adcuratiorem. Tametſi enim, ſectatur ſubinde compendia; tamen, non raro, cum in deſcribendis rerum geſtarum circumſtantiis, uberior eſt; tum maxime, in nominibus propriis expromendis, circumſpectior. Dices: eccur proinde, non eſt in* Thúróczii *iſthoc comitatu, ad eum modum typis exſcriptus? ut ejuſdem bipartitæ paginæ obtutu, contendi invicem, & de utroque,* Thúróczio, *atque* Budenſi *hoc* Chronico, *cum ratione ferri potuiſſet judicium? Nempe, eadem hic cauſæ militabant, quas ſupra, ad manuſcriptum illud* Thúróczii, *prolixe ediſſeruimus. Quid? quod iniquum putaverimus, celeberrimi ex* Hungaris, *nobiſque amiciſſimi viri, circulos interturbare; qui hanc, edendi* Thúróczii *cum* Chronico Budenſi, *curam, ante propriam ſibi fecit, quam de noſtra hac, vel cogitatio* Vindobonæ *ſuſciperetur. Quod unum, ad excuſationem ſatis eſſe opinamur.*

XXI. *Atque hæc fuere ſubſidia illa, quibus eo uſque profectum eſſe, in reſtituendo ſibi ipſi* Thúróczio, *confidimus; ut, novam hanc ejus editionem,* Brunenſi, Auguſtanæ, Francofurtenſi, *& ſi quæ prodiit alia, confidenter, ac multis modis anteferamus. Præterquam enim, quod charta, typique, pro ſeculi, quod degimus, elegantia, atque* Lipſienſium *operarum more, nitidiſſimi ſint; in recognoſcendo profecto, emendando, adcurandoque Chronici textu, nihil reſidui feciſſe exiſtimandus eſt, oculatiſſimus, idemque laborioſiſſimus Editor. Enim vero, ſingula, quæ ſeu inſignis codex MSC. ſeu impreſſæ typis,* Brunenſis, *atque* Auguſtana, *editiones, laudatumque nunc* Chronicon Budenſe, *ſuggeſſere, ſuis omnia locis, opportune adſcripta, & redintegrando auctori, ſumma cum cura ſunt adhibita: ubi litteræ, MS. codicem manuſcriptum; voces autem decurtatæ;* Edit. Brun. *Brunenſem;* Edit. Aug. *Auguſtanam editionem; denique,* Chr. Bud. *Chronicon indicant Budenſe. Itaque, omne id, in noſtra hac editione, uno quaſi faſce collectum, accipis,* Lector! *quod per ſingula ea exemplaria, reſtituendo* Thuroczio *idoneum, ſparſum fuit, ſed incognitum hucuſque. Eſt ergo, cur ſperemus, immo confidamus penitus, non ſolum* Hungaros, *qui magnum ſemper* Thúróczianis *bis; uti exiſtimavere, commentariis, pretium ſtatuebant: ſed etiam orbem erudium, novo hoc, ac ſplendido adparatu, in publicam lucem prodeuntem*

Thu-

Digitized by Google

THUROCZIUM, *non modo grate æſtimaturum, verum etiam, acceptarum gratiſſime. Quod, ſi ita eveniet, ſicuti omnino eventurum confidimus; auctoramento illud fuerit, cum Bibliopolæ, viro ſolerti atque indefeſſo, tum doctiſſimo* Schwandtnero *noſtro, & reliquis honeſtiſſimi inſtituti παραστάτοις, ad* Collectionem *hanc, eadem, qua cœptum eſt, alacritate & ſollertia, in plura volumina, continuandam. Profecto enim facile fuerit, ex editis partim, partim inediis adhuc Scriptoribus, in primis, ſi plures Viri eruditi, & rerum, & linguarum* Hungariæ, *experientes ac probe gnari, in laborum ſocietatem coiverint,* collectionem *iſtiuſmodi, vel ipſi* Muratorianæ, *qua jure quodam ſuo, gloriatur* Italia, *æmulam, concinnare. Ita enim exiſtimavi ſemper, tantis cœptis, viri unius, doctus licet ſit, & labori illi ferendo cum primis idoneus, ætatem vireſque haud ſufficere poſſe; plurium operæ, ſi proficere velis, coadunentur oportet. Quorum* illi, *pertinaci adſiduitate, conquirant colligantque monumenta, inſtruendis voluminibus uſui futura; excutiant avara tabulariorum ſcrinia, loculoſque bibliothecarum, alto ac diutino pulvere obſitos; ſub incudem vocent, quæ ea induſtria congeſſerunt, atque commentariis illuſtrent, lucis indiga: recognoſcant* iſti *curis ſecundis, quæcunque ad eum modum adparata ſint a ſociis; ſecum invicem conferant, ſcriptorum, quos in collectionem ſuam adſciverunt, argumenta, & horum, ſeu convenientiam, ſeu diſcrepantiam advertant, Chronologiæ & Geographiæ rationibus:* hi *denique, & qui ſunt proximi ad typographorum operas, advigilent omni ſtudio curaque, ne temere, ſive a typothetis, ſive a correctoribus, decerretur; neve, a bibliopolarum ſorditie, deſtinationi univerſæ, quem, admodum toto die fieri conſuevit, adſpergatur quidpiam, quod laudatiſſimæ molitioni, minus ſit decorum, immo detrimentoſum. Et quæ fuerint hujus diligentiæ partes reliquæ.* Bonum Deum! *hæc ſi ita inſtituerentur, quæ inde in publicum demanaret utilitas! quæ genti univerſæ procurarentur decora! quanti fierent, retruſiſſimarum in hiſtoria rerum, adparatus, proventus quanti! Atque ita omnino inſtitueramus facere, cum edendis* SCRIPTORIBUS HUNGARICIS, *ante hæc duo luſtra, D. Cæſare* CAROLO VI. *benigne admuente, animum adjiceremus. Neque deſtitui poſſe videbamur, ſive a ſociorum collegio, erudito illo & laborum patienti; ſive ab auctorum ſelectiſſimorum copia adparatuque. Nam, ut auctores, qui in luce ſunt publica, quique fugiunt jam, & rareſcunt, ſileamus: ſuperant omnino, cum apud* Vindobonenſem Auguſtam; *tum in cœnobiorum, privatorumque bibliothecis paſſim, rerum* Hungaricarum, Tranſilvanicarum, Croaticarum, & Dalmaticarum *MSC. frugis optimæ; ſed quæ, reipublicæ litterariæ, hucuſque ſecordia negavit, in-*

vi-

Digitized by Google

vidit gloriæ Hungaricæ *malevolentia. Nunc quando, ad procurandum, tanti momenti negotium, excelso animo, manum admovere vicini nostri, macte eos animo esse jubemus. Immortaliter, de gente nostra, merebuntur profecto; neque nos, præclari hujus eorum cœpti, aliter unquam meminerimus, quam eum meritissimæ laudis præconio: nam, quod, qua dabitur, destinationem eam, juvare simus parati, non una significatione, cognitum habent, exploratumque.* Feliciter!

XXII. *Jam, quod ad minutiores scriptores, quos* Bongarsii *exemplar sequuti, isto volumine complectimur, attinet, tametsi nullus eorum sit, qui non limatus politius, quam exstabat hucusque, nunc in lucem prodeat; tamen, in recognoscendis iis, eadem illa, quæ in* Thúróczio, *diligentia ac studium, haud potuit, debuitve collocari: tum, quod exempla* ἰδιογραφα, *criticorum illud pabulum, haud sufficiebant; tum, quod plerique eorum, ita comparati sunt, ut* Bongarsius *ipse, alios, subactiores luculentioresque, si forte occurrissent, in scenam maluisset producere. Ita vero ille, de suæ hujus collectionis auctoribus, sententiam pronunciat:* Thuroczii simplicitas placet & fides: quæ certa, ex fragmentis veterum Annalium, quæ Lazius citat non semel, & a Michaele Ritio, & Bonfinio ipso, quoties insistere veterum Hungaricarum Historiarum vestigiis lubet. Ranzanius sane negligens est. Callimachus, adcuratus, & elegans: nec inutilis Galeotti Martii opera. Posteriores aliquot, nisi qui loca ipsa describunt, & explicant, adgregandos censeo, compilatoribus rumusculorum, qui Historiarum scilicet volumina, in nundinas conficiunt; ut animos pascant hodiernæ plebeculæ, qua nullam fuisse unquam fabularum novarum cupidiorem existimo. *Atque, istud quidem nobis judicium satis est. Neque tamen eapropter rejectaneos penitus in his crediderim, etiam, qui sunt exiles maxime. Sua* Soitero *laus est, licet & studium prodat partium, & sinistrorum omnium captator sit, ad superstitionem usque sedulus. Tunc &* Basilius Joannes Heroldus, *non dictionis modo elegantia, sed & ingenii ac doctrinæ commendatione, egregie se lectoribus adprobavit hactenus: quando anni MDLVI. res, in* Pannonia *interamnensi, auspiciis* Ferdinandi *Cæsaris, gestas, erudito dialogo expromsit. Sed nec fraudandus encomio suo est,* Petrus Bizarus, *belli Pannonici, quod* Maximilianus, *cum* Solymanno *gessit, scriptor: ita illud, concinne atque prudenter, litteris mandavit; eo infelix, quod exterorum auctorum ritu, nomina* Hungarorum *propria, corrumpat. Reliquos non moramur differere: cum constet, nihil tam simplex ac humile esse, in historia, quod non majorem lectori-*

)()(ri-

Digitized by Google

ribus, quam pro habitu, ſive delectationem præſtet, ſive utilitatem. Id vero, cum in omni Hiſtoria prorſus ſibi conſtet, tum maximopere in noſtra Hungarica; *ubi, poſt tot naufragia, tenuia ſæpe tabulata, paſſim inter fluctus correpta, id nobis ſufficiant oportet, quod in gentibus aliis; naves onerariæ, ac locupletes. Nempe, colligere apud nos, fragmenta quævis Hiſtoriarum, neceſſe eſt; cum alibi terrarum, adparatus, etiam exaggeratiſſimi, faſtidiuntur.*

XXIII. *Atque hæc fuere, quæ dicere habuimus, pro eo, atque id modus præfationis videbatur requirere. Acceſſiones nunc, quæ corpori ſcriptorum* Bongarſiano, *hac ſunt editione factæ, tenues licet ſint; ſed ſilentio tamen haud prætereundæ. Huc,* Joannis Pistorii Niddani, Regum Hungariæ Genealogiam, *referas, quam ille, ex optimis, ſua ætate, auctoribus, condidit; nunc vero, qua erat neceſſum, quam curatiſſime emendavit, &, ne Lectores, plenioribus tabulis fraudarentur, ad noſtram uſque ætatem, inſigniter continuavit, laudatus* Schwandtnerus. *Ei, &* Martini Broniovii a Biezdzfedea, Deſcriptionem Tartariæ *debemus.* Stephani I. *Poloniæ Regis, juſſu, legatione ad* Tartaros, *iterato perfunctus* Broniovius, *hanc, nobis qualemcunque, reliquit regionis ejus deſignationem: quæ, ad anni MDXCV. editionem* Colonienſem, *recognita emendataque, nunc in præſenti ſcriptorum* Hungaricorum *comitatu, prodit: non alio magis nomine, quam quod vagina, ſæviſſimorum populorum fuerit, qui ſemel, iterum, ac ſæpius,* Hungariam *noſtram, evaſtaverunt. Vellem, in* Georgii Wernherii, *de* Admirandis Hungariæ Aquis, Hypomnematio, *conſummatius edendo, juvari potuiſſet noſter! Totus ille commentariolus, ſi non fortuitus, certe ex auditionibus, partem maximam, collectus eſt; dignus ideo, qui, ob argumenti ſingularem utilitatem, notis laculentioribus fuiſſet colluſtratus. Quod & feciſſemus lubentes, quando ad manus hæredum ſint,* Caroli Reygeri *ſenioris, Medici Piſonienſis, dum viveret, celeberrimi, notæ, experiundo, in auctorem eum, congeſtæ; ſi totius deſtinationis rationes, maturius ad nos pertigiſſet. At enim, manum tandem de tabula. Tu, Lector amice, vale! & bis, bonus gratuſque, dum plura accipies, in rem Tuam, utere.* Pisonii apud Quados. An. MDCCXLV. Cal. Octobr.

I. ANO-

Digitized by Google

I. ANONYMI BELÆ REGIS NOTARII
HISTORIA HUNGARICA
DE
SEPTEM PRIMIS DUCIBUS HUNGARIÆ.

QUAM

AD USUM, ET UTILITATEM PUBLICAM, EX CODICE M. S. MEMBRANACEO BIBLIOTHECÆ AUGUSTÆ VINDOBONENSIS, CLEMENTISSIMO INDULTU NUNC PRIMUM ACCURATISSIME EXSCRIPSIT

IOANNES GEORGIUS SCHWANDTNERUS
AUSTRIACUS STADELKIRCHENSIS.

INCIPIT PROLOGUS
IN
GESTA HUNGARORUM.

Prædictus Magiſter, ac quondam bonæ memoriæ glorioſiſſimi Belæ Regis Hungariæ, Notarius N. ſuo dileciſſimo amico, viro venerabili, & arte litteralis ſcientiæ imbuto ſalutem, & ſanæ petitionis affectum. Dum olim in ſcholari ſtudio ſimul eſſemus, & in hiſtoria Trojana, quam ego cum ſummo amore complexus, ex libris Daretis Phrygii, ceterorumque auctorum ſicut a magiſtris meis audiveram, in unum volumen proprio ſtylo compilaveram, pari voluntate legeremus, petiſti a me, ut, ſicut hiſtoriam Trojanam, bellaque Græcorum ſcripſeram, ita & genealogiam regum Hungariæ, & nobilium ſuorum, qualiter ſeptem principales perſonæ, quæ

Digitized by Google

Hetumoger vocantur, *de terra Scythica* deſcenderunt, vel, qualis ſit terra Scythica, & qualiter ſit generatus *dux Almus*, aut quare vocatur Almus, primus dux Hungariæ, a quo Reges Hungarorum originem duxerunt, vel quot regna & Reges ſibi ſubjugaverunt, aut quare populus de terra Scythica egreſſus, per idioma alienigenarum *Hungarii*, & in ſua lingua propria *Mogerii* vocantur? tibi ſcriberem; promiſi etiam me facturum, ſed aliis negotiis impeditus, tuæ petitionis, & meæ promiſſionis jam pœne eram oblitus, niſi me per litteras tua Dilectio debitum reddere monuiſſet. Memor ergo tuæ Dilectionis, quamvis multis & diverſis hujus laborioſi ſeculi impeditus ſim negotiis, facere tamen aggreſſus ſum, quæ facere juſſiſti, & ſecundum traditiones diverſorum hiſtoriographorum divinæ gratiæ fultus auxilio, optimum æſtimans, ut ne poſteris in ultimam generationem oblivioni tradatur. Optimum ergo duxi, ut vere, & ſimpliciter tibi ſcriberem, quod legentes poſſint agnoſcere, quomodo res geſtæ eſſent. Et ſi tam nobiliſſima gens Hungariæ primordia ſuæ generationis, & fortia quæque facta ſua ex falſis fabulis ruſticorum, vel a garrulo cantu joculatorum quaſi ſomniando audiret, valde indecorum & ſatis indecens eſſet. Ergo potius a me de certa ſcripturarum explanatione, & aperta hiſtoriarum interpretatione, rerum veritatem nobiliter percipiat. Felix ergo Hungaria, cui ſunt dona data varia, omnibus etiam horis gaudeat de munere ſui litteratoris. Quia exordium genealogiæ Regum ſuorum, & Nobilium habet. De quibus Regibus ſit laus & honor Regi æterno & ſanctæ Mariæ Matri ejus, per gratiam cujus Reges Hungariæ, & Nobiles regnum habeant felici fine, hic, & in ævum. Amen.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

De Scythia.

SCythia ergo maxima terra eſt quæ *Dentumoger* dicitur, verſus Orientem, finis ejus ab aquilonali parte extenditur uſque ad nigrum pontum, a tergo autem habet flumen, quod dicitur Thanais, cum paludibus magnis, ubi ultra modum abundanter inveniuntur Zobolini, ita, quod non ſolum nobiles & ignobiles veſtiuntur inde, verum etiam bubulci & ſubulci, ac opiliones ſua decorant veſtimenta in terra illa. Nam ibi abundat aurum & argentum, & inveniuntur in fluminibus terræ illius pretioſi lapides, & gemmæ. Ab orientali vero parte vicinæ Scythiæ fuerunt gentes Gog, & Magog, quos incluſit magnus Alexander. Scythica autem terra multum patula in longitudine, & latitudine. Homines vero, qui habitant eam vulgariter *Dentumoger* dicuntur uſque in hodiernum diem, & nullius unquam Imperatoris poteſtate ſubacti fuerunt. Scythici enim antiquiores ſunt populi, & eſt poteſtas Scythiæ in Oriente, ut ſupra diximus. Et primus Rex Scythiæ fuit *Magog* filius Japhet, & gens illa a Magog rege vocata eſt *Moger*. A cujus etiam progenie regis deſcendit nominatiſſimus atque potentiſſimus Rex *Athila*, qui anno dominicæ incarnationis CCCCLI. de terra Scythica deſcendens cum valida manu in terram *Pannoniæ* venit, & fugatis Romanis regnum obtinuit, & regalem ſibi locum conſtituit juxta Danubium *ſupra calidas aquas*, & omnia antiqua opera, quæ ibi invenit, renovari præcepit, & in circuitu muro fortiſſimo ædificavit, quæ per linguam hungaricam dicitur nunc *Buduuar*, & a Teutonicis *Ecilburgum* vocatur. Quid plura? iter hiſtoriæ teneamus. Longo autem poſt tempore de progenie ejusdem Regis Magog deſcendit *Vgek* pater *Almi* ducis, a quo Reges & Duces Hungariæ origi-

Digitized by Google

nem duxerunt, ſicut in ſequentibus dicetur. Scythici enim, ſicut diximus, ſunt antiquiores populi, de quibus hiſtoriographi, qui geſta Romanorum ſcripſerunt, ſic dicunt: Quod Scythica gens fuiſſet ſapientiſſima & manſueta, qui terram non laborabant, & fere nullum peccatum erat inter eos. Non enim habebant domos artificio paratas, ſed tantum tentoria de filamento parata, carnes, & piſces, & lac, & mel manducabant, & jumenta multa habebant. Veſtiti etiam erant de pellibus Zobolorum & aliarum ferarum. Aurum, & argentum, & gemmas habebant, ſicut lapides, quia in fluminibus ejuſdem terræ inveniebantur. Non concupiſcebant aliena, quia omnes divites erant, habentes animalia multa & victualia ſufficienter. Non erant etiam fornicatores, ſed ſolummodo unuſquiſque ſuam habebat uxorem. Poſtea vero jam dicta gens fatigata in bello ad tantam crudelitatem pervenit, ut quidam dicunt hiſtoriographi, quod iracundia ducti humanam manducaſſent carnem, & ſanguinem bibiſſent hominum. Et credo, quod adhuc eos cognoſcetis duram gentem, fuiſſe de fructibus eorum, Scythica enim gens a nullo imperatore fuit ſubjugata. Nam Darium regem Perſarum cum magna turpitudine Scythici fecerunt fugere, & perdidit ibi Darius octoginta millia hominum, & ſic cum magno timore fugit in Perſas. Item Scythici Cyrum regem Perſarum cum trecentis & triginta millibus hominum occiderunt. Item Scythici Alexandrum magnum filium Philippi regis & reginæ Olympiadis, qui multa regna pugnando ſibi ſubjugaverat, ipſum etiam turpiter fugaverunt. Gens namque Scythica dura erat ad ſuſtinendum omnem laborem, & erant corpore magni Scythici, & fortes in bello. Nam nihil habuiſſent in mundo, quod perdere timuiſſent pro illata ſibi injuria. Quando enim Scythici victoriam habebant, nihil de præda volebant, ut moderni de poſteris ſuis, ſed tantummodo laudem exinde quærebant. Et abſque Dario, & Cyro, atque Alexandro, nulla gens auſa fuit in mundo in terram illorum intrare. Prædicta vero Scythica gens dura erat ad pugnandum, & ſuper equos veloces & capita in galeis tenebant, & arcu ac ſagittis meliores erant ſuper omnes nationes mundi, & ſic cognoſcetis eos fuiſſe de poſteris eorum. Scythica enim terra, quanto a torrida zona remotior eſt, tanto propagandis generibus ſalubrior. Et quamvis admodum ſit ſpatioſa, tamen multitudinem populorum inibi generatorum non alere ſufficiebat, nec capere; Quapropter ſeptem principales perſonæ, qui *Hetumoger* dicti ſunt, anguſta locorum non ſufferentes, ea maxime devitare cogitabant. Tunc hæ ſeptem principales perſonæ habito inter ſe conſilio conſtituerunt, ut ad occupandas ſibi terras, quas incolere poſſent, a natali diſcederent ſolo, ſicut in conſequentibus dicetur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Quare Hungari dicitur.

NUnc reſtat dicere quare populus de terra Scythica egreſſus *Hungari* vocantur? *Hungari* dicti ſunt a caſtro *Hungu*, eo, quod ſubjugatis ſibi Sclavis VII. principales perſonæ intrantes terram *Pannoniæ* diutius ibi morati ſunt. Unde omnes nationes circumjacentes vocabant *Almum* filium *Ugek* ducem *de Hunguar*, & ſuos milites vocabant *Hunguaros*. Quid plura? his omiſſis redeamus ad propoſitum opus, iterque hiſtoriæ teneamus, &, ut Spiritus Sanctus dictaverit, inceptum opus perficiamus.

CAPUT III.

De Almo primo Duce.

ANno Dominicæ incarnationis DCCCXVIIII. *Ugek*, ſicut ſupra diximus, longo poſt tempore de genere *Magog* regis, erat quidam nobiliſſimus dux Scythiæ, qui duxit ſibi uxorem in *Dentumoger*, filiam *Eunedubeliani* ducis, nomine *Emeſu*. De qua genuit filium, qui agnominatus eſt *Almus*. Sed ab eventu divino eſt nominatus Almus, quia matri ejus prægnanti per ſomnium apparuit divina viſio, in forma aſturis, quæ quaſi veniens eam gravidavit. Et innotuit ei, quod de utero ejus egrederetur torrens, & de lumbis ejus reges glorioſi propagarentur, ſed non in ſua multiplicarentur terra. Quia ergo ſomnium lingua hungarica dicitur *Almu*, & illius ortus per ſomnium fuit prognoſticatus, ideo ipſe vocatus eſt *Almus*, vel ideo vocatus eſt *Almus*, id eſt *Sanctus*, quia ex progenie ejus ſancti reges & duces erant naſcituri. Quid ultra?

CAPUT IV.

De Duce Almo.

DUx autem *Almus*, poſtquam natus eſt in mundum, factum eſt Duci *Ugek* & ſuis cognatis magnum gaudium, & fere omnibus Primatibus Scythiæ, eo quod pater ſuus *Ugek* erat de genere *Magog* regis. Erat enim ipſe Almus

Digitized by Google

facie decorus, sed niger, & nigros habebat oculos, sed magnos, statura longus, & gracilis. Manus vero habebat grossas, & digitos prolixos, & erat ipse *Almus* pius, benevolus, largus, sapiens, bonus miles, hilaris dator omnibus illis, qui in regno Scythiæ tunc tempore erant milites. Cum autem ipse *Almus* perveniſſet ad maturam ætatem, tunc donum Spiritus ſancti erat in eo, licet paganus, tamen potentior fuit, & ſapientior omnibus ducibus Scythiæ. Et omnia negotia regni eo tempore faciebant conſilio & auxilio ipſius. Dux autem *Almus*, dum ad maturam ætatem juventutis perveniſſet, duxit ſibi uxorem in eadem terra filiam cujuſdam nobiliſſimi ducis, de qua genuit filium nomine *Arpad*, quem ſecum duxit in Pannoniam, ut in ſequentibus dicetur.

CAPUT V.

De electione Almi Ducis.

GEns itaque *Hungarorum* fortiſſima, & bellorum laboribus potentiſſima, ut ſuperius diximus de gente Scythica, quæ per idioma ſuum proprium *Dentumoger* dicitur, duxit originem. Et terra illa nimis erat plena ex multitudine populorum inibi generatorum, ut nec alere ſuos ſufficeret, nec capere, ut ſupra diximus. Quapropter tunc VII. principales perſonæ, qui *Hetumoger* vocantur uſque in hodiernum diem, anguſta locorum non ſufferentes, habito inter ſe conſilio, ut a natali ſolo diſcederent ad occupandas ſibi terras, quas incolere poſſent, armis & bello quærere non ceſſarunt. Tunc elegerunt ſibi quærere terram *Pannoniæ*, quam audiverant fama volante terram *Athilæ* regis eſſe, de cujus progenie dux *Almus* pater *Arpad* deſcenderat. Tunc ipſi VII. principales perſonæ communi, & vero conſilio intellexerunt, quod inceptum iter perficere non poſſent, niſi ducem, ac præceptorem ſuper ſe habeant. Ergo libera voluntate, & communi conſenſu VII. virorum, elegerunt ſibi ducem ac præceptorem in filios filiorum ſuorum uſque ad ultimam generationem, *Almum* filium *Ugek*, & qui de ejus generatione deſcenderent, quia *Almus* dux filius *Ugek*, & qui de ejus generatione deſcenderant, clariores erant genere & potentiores in bello. Iſti enim VII. principales perſonæ erant viri nobiles genere, & potentes in bello, fide ſtabiles. Tunc pari voluntate Almo Duci ſic dixerunt: *Ex hodierna die te nobis ducem, ac præceptorem eligimus; &, quo fortuna tua te duxerit, illuc te ſequimur.* Tunc ſupra dicti viri pro *Almo* duce more paganiſmo

Digitized by Google

mo fuſis propriis ſanguinibus in unum vas ratum fecerunt juramentum, & licet pagani fuiſſent, fidem tamen juramenti, quam tunc fecerant inter ſe, uſque ad obitum ipſorum ſervaverunt tali modo.

CAPUT VI.

De Juramento eorum.

PRimus ſtatus juramenti ſic fuit: *Ut, quamdiu vita duraret, tam ipſis, quam etiam poſteris ſuis ſemper ducem haberent, de progenie Almi ducis.* Secundus ſtatus juramenti ſic fuit: *Ut, quidquid boni per labores eorum acquirere poſſent, nemo eorum expers fieret.* Tertius ſtatus juramenti ſic fuit: *Ut, iſti principales perſonæ, qui ſua libera voluntate Almum ſibi Dominum elegerant, quod ipſi, & filii eorum nunquam a conſilio ducis & honore regni omnino privarentur.* Quartus ſtatus juramenti ſic fuit: *Ut, ſi quis de poſteris eorum infidelis fieret contra perſonam ducalem, & diſcordiam faceret inter ducem & cognatos ſuos, ſanguis nocentis funderetur, ſicut ſanguis eorum fuit fuſus in juramento, quod fecerunt Almo Duci.* Quintus ſtatus juramenti ſic fuit: *Ut, ſi quis de poſteris ducis Almi, & aliarum perſonarum principalium juramentum ſtatura ipſorum infringere voluerit, anathemati ſubjaceat in perpetuum.* Quorum VII. virorum nomina hæc fuerunt: *Almus* pater *Arpad. Eleud* pater *Zobolſu*, a quo genus *Saac* deſcendit. *Cundu* pater *Curzan. Ound* pater *Ete*, a quo genus *Calan*, & *Colſoy* deſcendit. *Toſu* pater *Lelu. Huba* a quo genus *Zemera* deſcendit. Septimus *Tuhutum*, pater *Horca*, cujus filii fuerunt *Gyyla* & *Zombor*, a quibus genus *Moglout* deſcendit, ut inferius dicetur. Quid plura? iter hiſtoriæ teneamus.

CAPUT VII.

De Egreſſu eorum.

ANno Dominicæ incarnationis DCCCLXXXIIII., ſicut in annalibus continetur chronicis, ſeptem principales perſonæ, qui *Hetumoger* vocantur, egreſſi ſunt de terra Scythica verſus occidentem. Inter quos *Almus* Dux filius *Ugek* de genere *Magog* regis vir bonæ memoriæ, Dominus & conſiliarius eorum, una cum uxore ſua & filio ſuo *Arpad*, & duobus filiis *Hulec* avunculi ſui, ſci-

Digitized by Google

ſcilicet *Zuard* & *Cuduſa*, nec non cum multitudine magna populorum non numerata fœderatorum de eadem regione egreſſus eſt. Venientes autem dies plurimos per deſerta loca & fluvium *Etyl* ſuper *Tulbou* ſedentes ritu paganiſmo transnataverunt, & nunquam viam civitatis, vel habitaculi invenerunt, nec labores hominum comederunt, ut mos erat eorum, ſed carnibus & piſcibus veſcebantur, donec in *Ruſciam*, quæ *Suſudal* vocatur, venerunt. Et juvenes eorum fere quotidie erant in venatione, unde a die illo uſque ad præſens, *Hungari* ſunt præ ceteris gentibus meliores in venatu. Et ſic *Almus* Dux cum omnibus ſuis venientes, terram intraverunt *Ruſciæ*, quæ vocatur *Suſudal.*

CAPUT VIII.

De Ruthenia.

POſtquam autem ad partes *Ruthenorum* pervenerunt, ſine aliqua contradictione uſque ad civitatem *Kyeu* tranſierunt, & dum per civitatem *Kyeu* tranſiſſent, fluvium *Denep* tranſnavigando voluerunt regnum *Ruthenorum* ſibi ſubjugare. Tunc, duces Ruthenorum hoc intelligentes, timuerunt valde, eo, quod audiverant *Almum* ducem filium *Ugek* de genere *Athilæ* Regis eſſe, cui proavi eorum annuatim tributa perſolvebant. Attamen dux de *Kyeu* convocatis omnibus primatibus ſuis, habito inter ſe conſilio, elegerunt, ut pugnam promoverent contra *Almum* ducem, & magis vellent mori in bello, quam amitterent regna propria, & ſubjugati eſſent ſine ſua ſponte duci *Almo*. Statim dux de *Kyeu* miſſis legatis VII. duces *Cumanorum* ſuos fideliſſimos amicos in adjutorium poſtulavit. Tunc hi VII. duces, quorum nomina hæc fuerant: *Ed*, *Edum*, *Etu*, *Bunger*, *Ouſad* pater *Urſuur*, *Boyta*, *Retel* pater *Oluptulus*, non modica multitudine equitum infinita coadunata, cauſa amicitiæ ducis de *Kyeu*, celerrimo curſu contra *Almum* ducem venerunt. Et dux de *Kyeu* cum exercitu ſuo obviam proceſſit eis, & adjutorio *Cumanorum*, armata multitudine contra *Almum* ducem venire ceperunt. Dux vero *Almus*, cujus adjutor erat ſanctus Spiritus, armis indutus, ordinata acie, ſuper equum ſedendo ibat huc & illuc, confortans ſuos milites, & facto impetu, ſtetit ante omnes ſuos & dixit eis: *O Scythici, & commilitones mei, viri fortiſſimi! memores eſtote initium viarum noſtrarum, quoniam dixiſtis, quod terram, quam incolere poſſetis, armis, & bello quæretis. Ergo nolite turbari de multitudine Ruthenorum & Cumanorum, qui aſſimulantur noſtris canibus. Nam canes ſtatim, ut audiunt verba*

do-

Digitized by Google

dominorum ſuorum, nonne in timorem vertuntur? Quia virtus non valet in multitudine populi, ſed in fortitudine animi. An neſcitis, quia unus leo multos cervos in fugam vertit, ut dicit quidam philoſophus? Sed his omniſſis dicam vobis, quis enim potuit contra ſtare militibus Scythiæ? Nonne Darium regem Perſarum Scythici in fugam converterunt, & ſic cum timore & maxima turpitudine fugiit in Perſas, & perdidit ibi octoginta millia hominum? Aut nonne Cyrum regem Perſarum Scythici cum trecentis triginta millibus exciderunt? Aut nonne magnum Alexandrum filium Philippi Regis & & reginæ Olimpiadis, qui multa regna pugnando ſibi ſubjugaverat, ipſum etiam Scythici turpiter fugaverunt? Unde ſtrenue, & fortiter pugnemus contra eos, qui aſſimulantur noſtris canibus, & ſic multitudinem eorum timeamus, ut muſcarum multitudinem? Hoc audientes milites *Almi* ducis multum ſunt confortati, ſtatimque fonuerunt tubas bellicas per partes, & commixta eſt utraque acies hoſtium, ceperuntque pugnare acriter inter ſe, & interficiebantur plurimi de *Ruthenis* & *Cumanis*. Prædicti vero duces *Ruthenorum* & *Cumanorum*, videntes ſuos deficere in bello, in fugam verſi ſunt, & pro ſalute vitæ properanter in civitatem *Kyeu* intraverunt. *Almus* dux & ſui milites perſequentes *Ruthenos* & *Cumanos* uſque ad civitatem *Kyeu*, & tonſa capita *Cumanorum Almi* ducis milites, mactabant tanquam crudas cucurbitas. Duces vero *Ruthenorum* & *Cumanorum* in civitatem ingreſſi, videntes audaciam *Scythicorum*, quaſi muti remanſerunt.

CAPUT IX.

De Pace inter Ducem & Ruthenos.

DUx vero *Almus* & ſui milites, adepta victoria, terras *Ruthenorum* ſibi ſubjugaverunt, & bona eorum accipientes, in ſecunda hebdomata civitatem *Kyeu* ceperunt expugnare. Et, dum ſcalas ad murum ponere cepiſſent, videntes duces *Cumanorum* & *Ruthenorum* audaciam *Scythicorum*, timuerunt valde. Et, dum hoc intellexiſſent, quod eis obſiſtere non valerent, tunc miſſis legatis, dux de *Kyeu* & alii duces *Ruthenorum* nec non *Cumanorum*, qui ibi fuerunt, rogaverunt *Almum* Ducem & principes ſuos, ut pacem facerent cum eis. Cum autem legati veniſſent ad *Almum* ducem, & eum rogaſſent, ut dominum eorum de ſedibus non expellerent ſuis, tunc dux *Almus* inito conſilio cum ſuis, ſic legatos remiſit Ruthenorum, *ut duces & primates ſui filios ſuos in obſides darent, tributumque annuatim perſolverent decem millia marcarum, & inſuper victum, veſtitum,*

Digitized by Google

& alia neceſſaria. Duces vero Ruthenorum, licet non ſponte, tamen hæc omnia *Almo* duci conceſſerunt. Sed rogaverunt *Almum* ducem, ut dimiſſa terra *Galiciæ*, ultra ſilvam *Hovos*, verſus occidentem in terram *Pannoniæ* deſcenderent, quæ primo *Athilæ* regis terra fuiſſet. Et laudabant eis terram *Pannoniæ* ultra modum eſſe bonam, dicebant enim, quod ibi confluerent nobiliſſimi fontes aquarum *Danubius* & *Thiſcia*, & alii nobiliſſimi fontes bonis piſcibus abundantes. Quam terram habitarent *Sclavi*, *Bulgarii* & *Blachii*, ac *paſtores Romanorum*, quia poſt mortem *Athilæ* regis terram *Pannoniæ* Romani dicebant *paſcua* eſſe, eo, quod greges eorum in terra Pannoniæ paſcebantur. Et jure *terra Pannoniæ paſcua Romanorum* eſſe dicebatur, nam & modo Romani paſcuntur de bonis Hungariæ. Quid plura?

CAPUT X.

De ſeptem Ducibus Cumanorum.

Dux vero *Almus* & ſui primates, inito inter ſe conſilio petitioni ducum *Ruthenorum* ſatisfacientes, pacem cum eis fecerunt. Tunc duces *Ruthenorum*, ſcilicet *de Kyeu* & *Sudal*, ut ne de ſedibus ſuis expellerentur, filios ſuos in obſides dederunt *Almo* duci, & cum eis miſerunt decem millia marcarum, & mille equos cum ſellis, & frenis more Ruthenico ornatis, & centum pueros Cumanos, & XL. camelos ad onera portanda, pelles ermelinas, & griſeas ſine numero, ac alia multa munera non numerata. Tunc prænominati duces *Cumanorum*, ſcilicet *Ed*, *Edumen*, *Etu*, *Bunger* pater *Borſu*, *Ouſad* pater *Urſuuru*, *Boyta*, a quo genus *Brucſa* deſcendit, *Retel* pater *Oluptulma*, cum vidiſſent pietatem *Almi* ducis, quam fecit circa *Ruthenos*, pedibus ejus provoluti, ſe ſua ſponte duci *Almo* ſubjugaverunt, dicentes: *Ex hodierna die, nobis te Dominum ac præceptorem uſque ad ultimam generationem eligimus, & quo te fortuna tua duxerit, illuc te ſequemur.* Hoc etiam, quod verbo dixerunt, *Almo* duci fide juramenti, more paganiſmo firmaverunt, & eodem etiam dux *Almus* & ſui primates, eis fide ſe & juramento conſtrinxerunt. Tunc hi VII. duces *Cumanorum* cum uxoribus & filiis ſuis, nec non cum magna multitudine in *Pannoniam* venire conceſſerunt. Similiter etiam multi de *Ruthenis Almo* duci adhærentes, ſecum in *Pannoniam* venerunt, quorum poſteritas uſque in hodiernum diem per diverſa loca in Hungaria habitat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Civitatibus Lodomeria & Galicia.

TUnc *Almus* dux, & alii principales perſonæ, qui *Hetumoger* dicuntur, nec non duces *Cumanorum*, una cum cognatis, ac famulis & famulabus ſuis, egreſſi ſunt de *Kyeu*, & in ductu *Ruthenorum Kyeuyenſium* venerunt uſque ad civitatem *Lodomer*. *Dux* vero *Lodomerienſis*, & ſui primates, obviam *Almo* duci, uſque ad confinium regni, cum diverſis pretioſis muneribus proceſſerunt, & civitatem *Lodomeriam* ultro ei aperuerunt, & dux *Almus* cum omnibus ſuis in eodem loco per tres hebdomadas manſit, in tertia vero hebdomada, *dux Lodomerienſis*, duos filios ſuos cum omnibus filiis Iobagionum ſuorum, duci *Almo* in obſides dedit, & inſuper duo millia marcarum argenti, & centum marcas auri cocti, cum pellibus & palliis non numeratis, & tercentos equos cum ſellis & frenis, & XXV. camelos, & mille boves ad onera portanda, & alia munera non numerata, tam duci quam ſuis primatibus præſentavit. Et in quarta hebdomada, dux *Almus* cum ſuis in *Galiciam* venit, & ibi requiei locum ſibi & ſuis elegit. Hoc dum *Galiciæ* dux audiviſſet, obviam *Almo* duci cum omnibus ſuis, nudis pedibus venit, & diverſa munera ad uſum *Almi* ducis præſentavit, & aperta porta civitatis *Galiciæ*, quaſi dominum ſuum proprium hoſpitio recepit, & unicum filium ſuum cum ceteris filiis primatum regni ſui, in obſidem dedit, & inſuper decem ſariſios optimos, & CCC. equos cum ſellis & frenis, & tria millia marcarum argenti, & CC. marcas auri, & veſtes nobiliſſimas, tam duci, quam omnibus etiam militibus ſuis condonavit. Dum enim dux *Almus*, requiei locum per menſem unum in *Galicia* habuiſſet, tunc Dux *Galiciæ*, ceterique conſocii ſui, quorum filii in obſides poſiti erant, ſic *Almum* ducem, & ſuos nobiles rogare ceperunt, ut ultra *Hóvos* verſus occidentem, in terram *Pannoniæ* deſcenderent. Dicebant enim eis ſic, quod terra illa nimis bona eſſet, & ibi confluerent nobiliſſimi fontes, quorum nomina hæc eſſent, ut ſupra diximus, *Danubius*, *Thiſcia*, *Wag*, *Moriſius*, *Criſius*, *Temus* & ceteri, quæ etiam primo fuiſſet terra *Athilæ* regis, & mortuo illo præoccupaſſent *Romani* principes terram *Pannoniæ*, uſque ad Danubium vero collocaviſſent paſtores ſuos. Terram vero, quæ jacet inter *Thiſciam* & *Danubium*, præoccupaviſſet ſibi *Reanus magnus dux Bulgariæ*, avus *Salani* ducis, uſque ad confinium *Ruthenorum* & *Polonorum*, & feciſſet ibi habitare *Sclavos* & *Bulgaros*. Terram vero, quæ eſt inter *Thiſciam* & *ſilvam Igſon*, quæ

Digitized by Google

jacet ad *Erdevelu* a fluvio *Morus* usque ad fluvium *Zomus*, præoccupaviſſet ſibi dux *Morout*, cujus nepos dictus eſt ab Hungaris *Menumorout*, eo, quod plures habebat amicas, & terram illam habitarent gentes, *Cozar* qui dicuntur. Terram vero, quæ eſt a fluvio *Morus* uſque ad caſtrum *Urſcia*, præoccupaviſſet quidam dux nomine *Gaad*, de *Bundyn* caſtro egreſſus adjutorio Cumanorum, ex cujus progenie *Othum* fuit natus, quem poſtea longo poſt tempore, ſancti Regis *Stephani Sunad* filius *Dobuca* nepos Regis, in caſtro ſuo juxta *Moriſium* interfecit, eo, quod prædicto Regi rebellis fuit in omnibus. Cui etiam prædictus Rex, pro bono ſervitio ſuo, uxorem & caſtrum *Othum* cum omnibus appendiciis ſuis condonavit. Sic enim mos eſt bonorum Dominorum, ſuos fideles remunerare. Quod caſtrum nunc *Sunad* nuncupatur. Quid ultra ?

CAPUT XII.

Quomodo Pannoniam intraverunt.

DUx vero *Almus* & ſui primates, acquieſcentes conſiliis Ruthenorum, pacem firmiſſimam cum eis fecerunt. Duces etiam Ruthenorum, ut ne de ſedibus ſuis expellerentur, filios ſuos, ut ſupra diximus, in obſides dederunt cum muneribus non numeratis. Tunc *dux Galiciæ*, duo millia ſagittariorum, & tria millia ruſticorum anteire præcepit, qui eis per ſilvam *Hóvos* viam præpararent uſque ad confinium *Hungariæ*, & omnia jumenta eorum victualibus & aliis neceſſariis oneravit, & pecudes ad victum condonavit ſine numero. Tunc ſeptem principales perſonæ, quæ *Hetumoger* dicuntur, & hi VII. duces Cumanorum, quorum nomina ſupra diximus, una cum cognatis & famulis, ac famulabus, conſilio, & auxilio *Ruthenorum* Galiciæ ſunt egreſſi in terram *Pannoniæ*. Et ſic venientes per ſilvam *Hóvos*, ad partes *Hung* deſcenderunt, & cum illuc perveniſſent, locum, quem primo occupaverunt, *Muncas* nominaverunt, eo, quod cum maximo labore ad terram, quam ſibi adoptabant, pervenerant. Tunc ibi pro requie laborum ſuorum XL. dies permanſerunt, & terram ultra, quam dici poteſt, dilexerunt. *Sclavi* vero habitatores terræ, audientes adventum eorum, timuerunt valde, & ſua ſponte *Almo* duci ſe ſubjugaverunt; eo, quod audiverant *Almum* ducem de genere *Athilæ* Regis deſcendiſſe. Et licet homines fuiſſent *Salani* ducis, tamen cum magno honore & timore ſerviebant *Almo* duci, omnia, quæ ſunt neceſſaria ad victum, ſicut decet domino ſuo, offerentes. Et talis timor & tremor

Digitized by Google

mor irruerat ſuper habitatores terræ, & adulabantur duci & ſuis primatibus, ſicut ſervi ad ſuos proprios dominos, & laudabant eis fertilitatem terræ illius, & narrabant, quomodo mortuo *Athila* Rege, *magnus Reanus* proavus ducis *Salani*, dux de *Bulgaria* egreſſus, auxilio & conſilio *Imperatoris Græcorum* præoccupaverat terram illam. Qualiter etiam ipſi Sclavi de terra Bulgariæ conducti fuerunt ad confinium Ruthenorum, & qualiter nunc *Salanus* dux eorum, ſe & ſuos teneret, & quantæ poteſtatis eſſet circa ſuos vicinos.

CAPUT XIII.

De Hung Caſtro.

TUnc dux *Almus* & ſui primates audientes talia, lætiores facti ſunt ſolito, & ad caſtrum *Hung* equitaverunt, ut caperent eum. Et dum caſtra metati eſſent circa murum, tunc comes ejuſdem caſtri nomine *Loborcy*, qui in lingua eorum *Duca* vocabatur, fuga lapſus, ad caſtrum *Zemlum* properabat, quem milites ducis perſequentes, juxta quemdam fluvium comprehendentes, laqueo ſuſpenderunt in eodem loco. Et a die illo, fluvium illum vocaverunt ſub nomine ejuſdem *Loborcy*. Tunc dux *Almus* & ſui, caſtrum *Hung* ſubintrantes, diis immortalibus magnas victimas fecerunt, & convivia per quatuor dies celebraverunt. Quarto autem die inito conſilio, & accepto juramento omnium ſuorum, dux *Almus* ipſo vivente, filium ſuum *Arpadium*, ducem ac præceptorem conſtituit. Et vocatus eſt *Arpad* dux *Hunguariæ*, & ab *Hungu* omnes ſui milites vocati ſunt *Hunguari* ſecundum linguam alienigenarum, & illa vocatio uſque ad præſens durat per totum mundum.

CAPUT XIV.

De Arpad Duce.

ANno Dominicæ incarnationis DCCCCIII. *Arpad* dux miſſis exercitibus ſuis, totam terram, quæ eſt inter *Thiſciam* & *Budrug* uſque ad *Ugoſam*, ſibi cum omnibus habitatoribus ſuis præoccupavit, & caſtrum *Borſoa* obſedit, & tertio die pugnando apprehendit, muros ejus deſtruxit, & milites *Salani* ducis, quos ibi invenit, catenis ligatos in caſtrum *Hung* duci præcepit, & dum ibi

Digitized by Google

per plures dies habitaſſent, dux & ſui videntes fertilitatem terræ, & abundantiam omnium beſtiarum, & copiam piſcium de fluminibus *Thiſciæ*, & *Budrug*, terram, ultra quam dici poteſt, dux Arpad & ſui dilexerunt. Tandem vero, dum hæc omnia, quæ acta fuerant, Dux *Salanus* a ſuis ſuga lapſis audiviſſet, manum levare auſus non fuit, ſed miſſis legatis ſuis more Bulgarico, ut mos eſt eorum, minari cepit, & *Arpadium* ducem Hungariæ, quaſi deridendo ſalutavit, & ſuos pro riſu *Hunguaros* appellavit, & multis modis mirari cepit, qui eſſent, & unde veniſſent, qui talia auſi facere ſuiſſent, & mandavit eis, ut mala facta ſua emendarent, & fluvium Budrug nullo modo tranſire auderent, ut ne ipſe veniens cum adjutorio *Græcorum* & *Bulgarorum*, de malo facto eorum eis vicem reddens, vix aliquem dimitteret, qui ad propria remeans ſalutis gaudia nuntiaret. Miſſi vere *Salani* ducis venientes ad caſtrum *Zemlim*, & tranſito fluvio *Budrug*, ſecunda die ad ducem *Arpadium* pervenerunt, tertio autem die ducem *Arpadium* verbo Domini ſui ſalutaverunt, & mandata ejus duci *Arpadio* retulerunt. Dux autem *Arpad* audita legatione *Salani* ſuperbi ducis, non ſuperbe, ſed humiliter ei reſpondit, dicens: *Licet proavus meus potentiſſimus Rex Athila habuerit terram, quæ jacet inter Danubium & Thiſciam uſque ad confinium Bulgarorum, quam ipſe habet; attamen ego non propter aliquem timorem Græcorum vel Bulgarorum, quod eis reſiſtere non valeam, ſed propter amicitiam Salani ducis veſtri, peto de mea juſtitia unam particulam propter pecora mea, ſcilicet terram uſque ad fluvium Soviou, & inſuper peto ab ipſo duce veſtro, ut mittat mihi gratia ipſius duas lagunculas plenas aqua Danubii, & unam ſarcinam de herbis ſabulorum Olpar, ut poſſim probare, ſi ſint dulciores herbæ ſabulorum Olpar, herbis Scythicorum, & Dentumoger, & aquæ Danubii ſi ſint, meliores aquis Thanaidis?* Et data eis legatione diverſis eos muneribus ditavit, & capta benevolentia eorum repatriare præcepit. Tunc dux *Arpad* inito conſilio, eodem etiam miſit nuntios ſuos ad *Salanum* ducem, & miſit ei XII. albos equos, & XII. Camelos, & XII. pueros Cumanicos, & duciſſa XII. puellas Ruthenicas prudentiſſimas, & duodecim pelles ermelinas, & XII. zobolos, & duodecim pallia deaurata, & miſſi ſunt in legatione illa de nobilioribus perſonis, *Oundu* pater *Ethe*, & alter *Retel* pater *Oluptulmac*, & iterum miſerunt quendam ſtrenuiſſimum militem nomine *Turſol* cauſa ſpectaculi, qui inſpiceret qualitatem terræ, & citius reverſus nunciaret domino ſuo duci *Arpad*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

De Camaro Caſtro.

MO vero *Arpad* ducis *Oundu* pater *Ethe*, & *Retel* pater *Oluptulma*, & *Turzol* miles Cumanus, cujus genealogia defecit in ſemetipſo, venientes, fluvium *Budrug* transnataverunt in illo loco, ubi parvus fluvius manens *Aſaturholmu* deſcendit in *Budrug*. Et ſic tranſeuntes fluvium *Budrug*, cum prædictum parvum fluvium tranſirent quaſi læti, tunc per inundationem aquarum, *Retel*, equo offendente in aquam ſubmerſus eſt, & ſociis ſuis adjuvantibus vix a letho liberatus eſt. Tunc fluvius ille per ſocios *Retel*, vocatus eſt per riſum *Retelpotaca*. Et poſtea dux *Arpad* per gratiam ſuam totam terram cum habitatoribus ſuis, eidem *Retel*, *Aſaturholmu* uſque ad fluvium *Tulſuoa* condonavit, & non tantum hæc, ſed etiam majora his condonavit, quia dux *Arpad* ſubjugata ſibi tota terra *Pannoniæ*, pro fideliſſimo ſervitio ſuo, eidem *Retel* dedit terram magnam juxta Danubium, ubi fluvius *Wag* deſcendit, ubi poſtea *Oluptulma* filius *Retel* caſtrum conſtruxit, quod *Camarum* nuncupavit, ad ſervitium cujus caſtri tam de populo ſecum ducto, quam etiam a duce acquiſito duas partes condonavit. Ubi etiam longo poſt tempore, ipſe *Retel* & filius ſuus *Tulma*, more paganiſmo ſepulti ſunt. Sed terram illam, quæ nunc *Retelpotaca* vocatur, poſteritas ejus uſque ad tempora *Andreæ* Regis filii *calvi Ladislai*, habuit. Attamen Rex *Andreas*, de poſteris *Retel* cambiavit illum locum duabus de cauſis. Unum, quia utilis regibus erat ad venationes; ſecundum, quia diligebat partes illas habitare uxor ſua, eo, quod propius ad natale ſolum eſſet, quia erat filia ducis Ruthenorum, & timebat adventum Imperatoris Teutonicorum, ut ne ulterius ſanguis *Petri* regis Hungariam intraret, ut in ſequentibus dicetur.

CAPUP XVI.

De Monte Turzol.

TUnc *Ound* & *Retel*, nec non *Turzol*, tranſeuntes ſilvam, juxta fluvium *Budrug* equitando, qui bravium accipere volentes, ſuper equos velociſſimos currentes, ſuper verticem unius altioris montis aſcenderunt. Quos

Tur-

Digitized by Google

Turzol miles ſtrenuiſſimus antecedens, cacumem montis primus omnium aſcendit, & montem illum a die illo uſque nunc montem *Turzol* nominaverunt. Tunc hi tres domini ſuper verticem ejuſdem montis, terram undique proſpicientes, quantum humanus oculus valet, ultra quam dici poteſt, dilexerunt, & in eodem loco more paganiſmo, occiſo equo pinguiſſimo, magnum *Aldamas* fecerunt. *Turzol* a ſociis, accepta licentia, ſicut erat vir audax & fidus in armis, cum ſuis militibus ad ducem *Arpadium* reverſus eſt, ut ei utilitatem illius terræ nunciaret, quod & ſic factum eſt. *Ound* vero & *Retel* equitantes celerrimo curſu, egreſſi de monte *Turzol*, tertio die ducem *Salanum* in caſtro *Opar* juxta *Thiſciam* invenerunt, quem ex parte *Arpad* ſalutaverunt, & ei ſecunda die poſt ingreſſum curiæ ſuæ, dona, quæ ſecum portaverant, ac mandata *Arpad* ducis ei retulerunt. Dux *Salanus* viſis muneribus & audita legatione tam ſuorum, quam iſtorum, lætior factus eſt ſolito, & miſſos *Arpad* ducis benigne ſuſcepit, & diverſis donis ditavit, & inſuper poſtulata *Arpad* conceſſit. Decimo autem die, *Ound* & *Retel*, accepta licentia a *Salano* duce repatriare ceperunt, per quos dux Salanus duas lagunculas aqua Danubii plenas, & unam farcinam de herbis melioribus ſabulorum *Olpar*, quaſi pro riſu deridendo, cum diverſis muneribus duci *Arpad* miſit, & inſuper cum habitatoribus ſuis terram uſque ad fluvium *Souyoy* conceſſit. Tunc *Ound* & *Retel* ad ducem *Arpad* citius venientes cum legatis *Salani* ducis, ac munera miſſa præſentaverunt, & terram cum omnibus habitatoribus ſuis, Duci *Arpadio* condonatam eſſe dixerunt. Unde maxima lætitia orta eſt in curia *Arpad* ducis, & per tres dies magnum convivium celebraverunt, & tunc roborata pace, legatos *Salani* ducis diverſis muneribus ditatos, repatriare dimiſit paciferos.

CAPUT XVII.

De Zerenche.

ARpad vero dux & ſui nobiles, egreſſi de caſtro *Hung* cum magno gaudio, ultra montem *Turzol*, caſtra metati ſunt in campo juxta fluvium *Tucota* uſque ad montem *Zerenche*, & inſpicientes ſuper montana illa qualitatem illius loci, & nominaverunt locum illum amabilem, quod interpretatur in lingua eorum *Zelermes*, eo, quod multum dilexerit illum locum, & a die illo uſque nunc a *Zerelmu* locus ille vocatur *Zerenche*. Ubi etiam dux *Arpad*, & omnes

ſui

Digitized by Google

ſui primates cum omni familia ſua, labore poſtpoſito, factis tuguriis requiei locum ſibi elegerunt, & non paucos ibi dies permanſerunt, donec omnia loca ſibi vicina ſubjugaverunt, ſcilicet uſque ad fluvium *Souyou*, & uſque ad caſtrum *Salis*. Et ibidem juxta *Tocotam* & infra ſilvas, dux *Arpad* dedit terras multas, diverſorum locorum cum ſuis habitatoribus, *Edunec*, & *Edumernec*. Quas etiam terras poſteritas eorum, divina gratia adjuvante, uſque nunc habere meruerunt. Prædictus vero *Turzoi* per gratiam *Arpad* ducis, ad radicem ejuſdem montis, ubi *Budrug* deſcendit in *Thyſciam*, acquiſivit magnam terram, & in eodem loco caſtrum conſtruxit terreum, quod nunc in præſenti *Hymuſuduor* nuncupatur.

CAPUT XVIII.

De Borſod.

ET dum ita radicati eſſent, tunc communi conſilio & admonitione omnium incolarum, miſſus eſt *Borſu* filius *Bunger* cum valida manu verſus terram *Polonorum*, qui confinia regni conſpiceret, & obſtaculis confirmaret uſque ad montem *Tatur*, & in loco convenienti caſtrum conſtrueret, cauſa cuſtodiæ regni. *Borſu* vero accepta licentia egreſſus felici fortuna, collecta multitudine ruſticorum, juxta fluvium *Buldua* caſtrum conſtruxit, quod vocatum eſt a populo illo *Borſod*, eo quod parvum fuerit. *Bors* vero acceptis filiis incolarum in obſides, & factis metis, per montes *Tatur* reverſus eſt ad ducem *Arpad*, & de reverſione *Borſu* factum eſt gaudium magnum in curia ducis. Dux vero pro beneficio ſuo, *Borſum* in eodem caſtro comitem conſtituit, & totam curam illius partis ſibi condonavit.

CAPUT XIX.

De Duce Byhorienſi.

DUx vero *Arpad* tranſactis quibusdam diebus, accepto ſuorum conſilio nobilium, legatos miſit in caſtrum *Byhor* ad ducem *Menumorout*, petens ab eo, quod de juſtitia atavi ſui *Athilæ* regis, ſibi concederet terram a fluvio *Zomus* uſque ad confinium *Nyr*, & uſque ad *portam Meseſynam*, & miſit ei dona-

Digitized by Google

ria ſua, ſicut primo miſerat *Salano* duci *Tytulenſi*. Et in legatione illa miſſi ſunt duo ſtrenuiſſimi milites, *Uſubuu* pater *Zoloucu*, & *Velec*, a cujus progenie *Turda* epiſcopus deſcendit. Erant enim iſti genere nobiliſſimi, ſicut & alii de terra Scythica egreſſi, qui poſt *Almum* ducem venerant cum magna multitudine populorum.

CAPUT XX.

Qualiter Contra Byhor miſſum eſt.

MIſſi vero *Arpad* ducis *Uſubuu* & *Veluc*, fluvium *Thiſciæ* in portu *Lucy* transnavigaverunt, & hinc egreſſi, in caſtrum *Byhor* venientes, ducem *Menumorout* ſalutaverunt, & donaria, quæ dux eorum miſerat, ei præſentaverunt. Tandem vero mandata *Arpad* ducis ei referentes, terram, quam prænominavimus, poſtulaverunt. Dux autem *Menumorout* eos benigne recepit, & diverſis donis ditatos, tertia die repatriare præcepit. Quibus tamen ita reſpondit, dicens: *Dicite Arpadio duci Hungariæ, Domino veſtro: Debitores ſumus ei, ut amicus amico, in omnibus, quæ ei neceſſaria ſunt, quia hoſpes homo eſt, & in multis indiget, terram autem, quam petivit a noſtra gratia, nullatenus concedimus nobis viventibus; hoc etiam indigne tulimus, quod Salanus dux ei conceſſit maximam terram, aut propter amorem, ut dicitur, aut propter timorem, quod negatur. Nos autem, nec propter timorem, ei concedimus terram, etiam quantum pugillus caperet, licet dixerit jus ſuum eſſe. Et verba ſua non conturbant animum noſtrum, eo, quod mandaverit nobis ſe deſcendiſſe de genere Athilæ Regis, qui flagellum Dei dicebatur, qui etiam violenta manu rapuerat terram hanc ab atavo meo, ſed tamen modo per gratiam Domini mei Imperatoris Conſtantinopolitani, nemo poteſt auferre de manibus meis.* Et hoc dicto dedit eis licentiam recedendi: Tunc *Uſubuu* & *Veluc* legati ducis *Arpad*, curſu celeriori ad dominum ſuum properaverunt, & venientes mandata *Menumorout* domino ſuo duci *Arpad* retuleruntt. *Arpad* vero dux, & ſui nobiles hoc audientes iracundia ducti ſunt, & ſtatim contra eum exercitum mittere ordinaverunt. Tunc conſtituerunt, quod *Toſu* pater *Lelu*, & *Zobolſu* filius *Eleud*, a quo genus *Saac* deſcendit, nec non *Tubutum* pater *Horca*, avus *Geula* & *Zumbor*, a quibus genus *Moglout* deſcendit, irent. Qui, cum a Duce *Arpadio* eſſent licentiati, cum exercitu non modico egreſſi ſunt, & *Thiſciam* transnataverunt in portu *Ladeo*, nemine adverſario contradicente. Secundo autem die ceperunt equitare juxta *Thiſciam* verſus *fluvium*

Zo-

Digitized by Google

Zomus, & caſtra metati ſunt in illo loco, ubi nunc eſt *Zobolſu*. Et in eodem loco, fere omnes habitatores terræ, ſe ſua ſponte eis ſubjugaverunt, & pedibus eorum provoluti, filios ſuos in obſides dederunt, ut ne aliquid mali paterentur. Nam timebant eos fere omnes gentes, & quidam a facie eorum fugientes vix evaſerunt, qui venientes ad *Menumorout*, facta eorum nuntiaverunt. Hoc audito, talis & tantus timor irruit ſuper *Menumorout*, quod manum levare auſus non fuit. Quia omnes habitatores timebant eos, ultra quam dici poteſt, eo, quod audiverunt *Almum* Ducem patrem *Arpadii*, a genere *Athilæ* Regis deſcendiſſe, unde nullus credebat ſe poſſe vivere, niſi per gratiam *Arpad* filii *Almi* Ducis, & ſuorum nobilium, unde plurimi ſe ſua ſponte ſubjugabant eis. Bene implevit Dominus, in *Almo* duce & filio ſuo *Arpad*, prophetiam, quam cecinit *Moyſes* propheta, de filiis *Iſrael* dicens: *Et locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit.* Quia a die illo, loca, quæ calcaverunt *Almus* dux & filius ſuus *Arpad*, cum ſuis nobilibus, uſque ad præſens poſteritates eorum habuerunt & habent.

CAPUT XXI.

De Zobolſu.

TUnc *Zobolſu* vir ſapientiſſimus, conſiderans quendam locum juxta *Thiſciam*, & cum vidiſſet qualitatem loci, intellexit eſſe munitiſſimum ad caſtrum faciendum. Communi ergo conſilio ſociorum ſuorum, congregatione facta civium, fecit foſſatam magnam, & caſtrum fortiſſimum ædificavit de terra, quod nunc caſtrum *Zobolſu* nuncupatur. Tunc *Zobolſu*, & ſocii ſui, de incolis terræ, ad caſtrum illud multos ordinaverunt ſervientes, qui nunc *civiles* vocantur. Et dimiſſis ibi militibus, ſub quodam nobiliſſimo milite nomine *Eculſu*, ſe longius ire præpavarerunt. Tunc *Zobolſu* & ſocii ſui, totum exercitum in duas partes diviſerunt, ut una pars iret juxta *fluvium Zomus*, & altera pars per partes *Nir*. *Zobolſu* & *Thoſu* pater *Lelu*, cum medietate exercitus egreſſi ſunt per crepidinem *Thiſciæ*, ſubjugando ſibi gentes, & venerunt verſus fluvium *Zomus* ad illum locum, qui nunc dicitur *Sarvuar*, & in eodem loco infra paludes, *Thoſu* pater *Lelu*, congregata multitudine populi, foſſatam magnam fecit, & caſtrum munitiſſimum de terra conſtruxit, quod primo caſtrum *Thoſu* nominatum, nunc vero *Sarvuar* vocatur. Et acceptis

Digitized by Google

filiis incolarum in obſides, caſtrum militibus plenum dimiſerunt. Tunc *Thoſu* pro petitione populi, domino ſuo duci *Arpad* ſubjugati, fecit ſtare forum inter *Nir*, & *Thiſciam*, cui etiam foro nomen ſuum impoſuit, quod uſque nunc *Forum Thoſu* nuncupatur. Poſt vero *Zobolſu* & *Thoſu* hinc egreſſi, uſque ad caſtrum *Zotmar* pervenerunt, & caſtrum, per tres dies pugnando obſidentes victoriam adepti ſunt, & quarto die caſtrum intrantes, milites ducis *Menumorout*, quos ibi apprehendere potuerunt, catenis ferreis obligatos, in teterrima carceris inferiora miſerunt, & filios incolarum in obſides acceperunt, & caſtrum militibus plenum dimiſerunt. Ipſi vero ad *portas Mezeſinas* ire cœperunt.

CAPUT XXII.

De Nyr.

TUhutum vero, & filius ſuus *Horca*, per partes *Nyr* equitantes, magnum ſibi populum ſubjugaverunt, a ſilvis *Nyr* uſque ad *Umuſover*, & ſic aſcendentes uſque ad *Zyloc* pervenerunt, contra eos nemine manum levante, quia dux *Menumorout* & ſui, non ſunt auſi pugnare contra eos, ſed fluvium *Cris* cuſtodire ceperunt. Tunc *Tuhutum*, & filius ſuus *Horca*, de *Zyloc* egreſſi, venerunt in *partes Mezeſinas* ad *Zobolſum* & *Thoſum*, & cum ſe ad invicem vidiſſent, gaudio gaviſi ſunt magno, & facto convivio unuſquiſque laudabat ſe ipſum de ſua victoria. Mane autem facto *Zobolſu*, *Thoſu* & *Tuhutum*, inito conſilio conſtituerunt, ut meta regni Ducis *Arpad* eſſet in *porta Mezeſina*. Tunc incolæ terræ, juſſu eorum portas lapideas ædificaverunt, & clauſuram magnam de arboribus per confinium regni fecerunt. Tunc hi tres prænominati viri, omnia facta ſua, duci *Arpad* & ſuis primatibus, per fideles nuntios mandaverunt. Quod, cum renutiatum fuiſſet duci *Arpad* & ſuis Jobagionibus, gaviſi ſunt gaudio magno valde, & more paganiſmo fecerunt *Aldumás*, & gaudium anuntiantibus diverſa dona præſentaverunt. Dux vero *Arpad* & ſui primates, ob hanc cauſam lætitiæ, per totam unam hebdomadam ſolemniter comedebant, & fere ſingulis diebus inebriabantur propter eventum tantæ lætitiæ. Et hoc audito, dux *Arpad* & ſui ingreſſi ſunt a *Zeremſu*, & caſtra metati ſunt juxta fluvium *Soviou*, a *Thiſcia* uſque ad fluvium *Honrat*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

De Victoria Thoſu, Zobolſu & Tuhutum.

Thoſu & *Zobolſu*, nec non *Tuhutum*, cum vidiſſent, quod Deus dedit eis victoriam magnam, & ſubjugaverunt domino ſuo fere plures nationes illius terræ; tunc exaltati ſunt nimis ſuper habitatores illius terræ, & dum ibi nullus inventus eſſet eis, plures dies ibi manſerunt, donec confinia regni firmaverunt obſtaculis firmiſſimis.

CAPUT XXIV.

De terra ultra Silvana.

ET dum ibi diutius morarentur, tunc *Tuhutum* pater *Horca*, ſicut erat vir aſtutus, dum cepiſſet audire ab incolis bonitatem *terræ ultra ſilvanæ*, ubi *Gelou* quidam *Blacus* dominium tenebat, cepit ad hoc anhelare, quod ſi poſſe eſſet, per gratiam ducis *Arpad* domini ſui, *terram ultra ſilvanam* ſibi, & ſuis poſteris acquireret, quod & ſic factum fuit poſtea. Nam *terram ultra ſilvanam*, poſteritas *Tuhutum* uſque ad tempus *S. Regis Stephani* habuerunt, & diutius habuiſſent, ſi minor *Gyla* cum duobus filiis ſuis *Bivia* & *Bucna*, chriſtiani eſſe voluiſſent, & ſemper contrarie ſancto Regi non feciſſent, ut in ſequentibus dicetur.

CAPUT XXV.

De prudentia Tuhuti.

Prædictus vero *Tuhutum* vir prudentiſſimus, miſit quendam virum aſtutum, patrem *Opaforcos*, *Ogmand*, ut furtive ambulans prævideret ſibi qualitatem & ſertilitatem *terræ ultra ſilvanæ*, & quales eſſent habitatores ejus, quod ſi poſſe eſſet, bellum cum eis committeret, nam volebat *Tuhutum* per ſe nomen ſibi & terram acquirere, ut dicunt noſtri joculatores: *omnes loca ſibi acquirebant, & nomen bonum accipiebant.* Quid plura? dum pater *Ogmand* ſpeculator *Tuhutum*, per circuitum more vulpino, bonitatem & fertilitatem terræ, & habita-

Digitized by Google

tores ejus inſpexiſſet, quantum humanus viſus valet, ultra, quam dici poteſt, dilexit, & celerrimo curſu ad dominum ſuum reverſus eſt. Qui cum veniſſet, domino ſuo de bonitate illius terræ multa dixit, quod terra illa irrigaretur optimis fluviis, quorum nomina & utilitates ſeriatim dixit, & quod in arenis eorum aurum colligeretur, & aurum terræ illius optimum eſſet, & ut ibi ſoderetur ſal, & ſalgenia, & habitatores terræ illius viliores homines eſſent totius mundi, quia eſſent *Blaſii* & *Sclavi*, quia alia arma non haberent niſi arcum & ſagittas, dux eorum *Geleou* minus eſſet tenax, & non haberet circa ſe bonos milites & auderent ſtare contra audaciam *Hungarorum*, quia a *Cumanis* & *Picenatis* multas injurias paterentur.

CAPUT XXVI.

Quomodo contra Gelu itum eſt.

TUnc *Tuhutum* audita bonitate terræ illius, miſit legatos ſuos ad ducem *Arpad*, ut ſibi licentiam daret ultra ſilvas eundi, contra *Gelou* ducem pugnare. Dux vero *Arpad* inito conſilio voluntatem *Tuhutum* laudavit, & ei licentiam ultra ſilvas eundi, contra *Gelou* pugnare, conceſſit. Hoc dum *Tuhutum* audiviſſet a legato, præparavit ſe cum ſuis militibus, & dimiſſis ibi ſociis ſuis, egreſſus eſt ultra ſilvas verſus orientem, contra *Gelou ducem Blacorum*. *Gelou* vero *dux ultra ſilvanus* audiens adventum ejus, congregavit exercitum ſuum, & cepit velociſſimo curſu equitare obviam ei, ut eum per *portas Mezeſinas* prohiberet, ſed *Tuhutum* uno die ſilvam pertranſiens, ad fluvium *Almus* pervenit, tunc uterque exercitus ad invicem pervenerunt medio fluvio interjacente. Dux vero *Gelou* volebat, quod ibi eos prohiberet cum ſagittariis ſuis.

CAPUT XXVII.

De morte Gelou.

MAne autem facto, *Tuhutum*, ante auroram diviſit exercitum ſuum in duas partes, & partem alteram miſit parum ſuperius, ut tranſito fluvio, militibus *Gelou* neſcientibus, pugnam ingrederentur, quod ſic factum eſt. Et quia levem habuerunt tranſitum, utraque acies pariter ad pugnandum pervenerunt,

Digitized by Google

runt, & pugnatum eſt inter eos acriter, ſed victi ſunt milites ducis *Gelou*, & ex eis multi interfecti, plures vero capti. Cum *Gelou* dux eorum hoc vidiſſet, tunc pro defenſione vitæ cum paucis fugam cepit. Qui cum fugeret properans ad caſtrum ſuum, juxta fluvium *Zomus* poſitum, milites *Tuhutum*, audaci curſu perſequentes, ducem *Geloum*, juxta fluvium *Copus* interfecerunt. Tunc habitatores terræ videntes mortem domini ſui, ſua propria voluntate dextram dantes, dominum ſibi elegerunt *Tuhutum* patrem *Horca*, & in loco illo, qui dicitur *Eſculeu*, fidem cum juramento firmaverunt, & a die illo locus ille nuncupatus eſt *Eſculeu*, eo, quod ibi juraverunt. *Tuhutum* vero, a die illo terram illam obtinuit pacifice & feliciter, ſed poſteritas ejus uſque ad tempora *S. Regis Stephani* obtinuit. *Tuhutum* vero genuit *Horcam*, *Horca* genuit *Geulam* & *Zubor*. *Geula* genuit duas filias, quarum una vocabatur *Caroldu*, & altera *Saroltu*, & *Sarolt* fuit mater *S. Regis Stephani*. *Zumbor* vero genuit *minorem Geulam* patrem *Bue*, & *Bucne*, tempore cujus *S. Rex Stephanus* ſubjugavit ſibi *terram ultra ſilvanam*, & ipſum *Geulam* vinctum in *Hungariam* duxit, & per omnes dies vitæ ſuæ carceratum tenuit, eo, quod in fide eſſet vanus, & noluit eſſe chriſtianus, & multa contraria faciebat *S. Regi Stephano*, quamvis fuiſſet ex cognatione matris ſuæ.

CAPUT XXVIII.

De Duce Menumorout.

TOſu vero, & *Zobolſu*, adepta victoria reverſi ſunt ad ducem *Arpad*, ſubjugando totum populum a fluvio *Zomus* uſque ad *Criſium*, & nullus contra eos auſus fuit manus levare. Et ipſe *Menumorout* dux eorum, magis præparabat vias ſuas in *Græciam* eundi, quam contra eos veniendi. Et deinde egreſſi, deſcenderunt juxta quendam fluvium nomine *Humuſover*, & venerunt uſque ad locum *Zerep*, & deinde egreſſi venerunt uſque ad *Zeguholmu*, & ibi volebant tranſire *Criſium*, ut contra *Menumorout* pugnarent, ſed venientes milites *Menumorout*, eis tranſitum prohibuerunt. Deinde egreſſi per diem unum equitantes, caſtra metati ſunt juxta parvos montes, & hinc juxta fluvium *Turu* equitantes, uſque ad *Thiſciam* pervenerunt, & in portu *Drugma* fluvium *Thiſciæ* tranſnavigantes, ubi etiam per gratiam *Arpad* ducis, cuidam cumano militi nomine *Huhot*, magnam terram acquiſiverunt, quam poſteritas ejus uſque nunc habuerunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

De Reditu Eorum.

DUm nâvigaſſent fluvium *Thyſciæ*, nuntios ſuos ad ducem *Arpadium* præmiſerunt, qui gaudia ſalutis nuntiarent. Qui, cum ad ducem *Arpad* veniſſent, & gaudia ei annuntiaſſent, quod *Zobolſu*, & *Thoſu*, cum exercitu ſuo ſani & incolumes reverſi eſſent, & portum *Drugma*, cum omnibus exercitibus ſuis transnavigaſſent. Hoc, cum audiviſſet dux *Arpad*, quod *Thoſu* & *Zobolſu*, cum omnibus exercitibus ſuis ſani & incolumes reverſi eſſent, & fluvium *Thyſciæ* transnavigaſſent, fecit magnum convivium, & gaudium annuntiantibus diverſa dedit donaria. Tunc *Thoſu* & *Zobolſu*, cum curiam ducis intrare vellent, dux omnes ſuos milites obviam eis præmiſit, & ſic eos cum magno gaudio recepit. Et, ſicut mos eſt bonorum dominorum, ſuos diligere fideles, ſere quotidie eos faciebat ad menſam ſuam comedere, & multa eis dona præſentabat, ſimiliter etiam ipſi duci *Arpad* diverſa dona, ac filios incolarum in obſides eis poſitos, præſentaverunt.

CAPUT XXX.

De Duce Salano.

DUx vero *Arpad*, tranſactis quibuſdam diebus, inito conſilio, & ſui nobiles miſerunt nuntios ſuos ad ducem *Salanum*, qui nuntiarent ei victoriam, *Thoſu* & *Bulſuu*, nec non & *Tuhutum*, quaſi præ gaudio, & peterent ab eo terram uſque ad fluvium *Zogea*, quod ſic factum eſt. Miſſi ſunt enim *Etu*, & *Boyta*, qui cum inveniſſent ducem *Salanum* in *Sabulo Olpar*, mandata gaudia nuntiaverunt, & terram ab eo uſque ad fluvium *Zogea* poſtulaverunt. *Salanus* dux, hoc audito, in maximum irruit timorem, & terram ab ipſo poſtulatam, timore percuſſus, aſque ad fluvium *Zogea*, duci *Arpad* conceſſit, & legatis diverſa dona præſentavit. Septimo autem die *Etu* & *Boyta*, accepta licentia ad dominum ſuum ſunt reverſi. Quos dux *Arpad* honorifice recepit, & audita legatione eorum, factum eſt gaudium magnum in curia ducis, & cepit dux donare ſuis fidelibus loca, & poſſeſſiones magnas.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

De egreſſu Zeremſu.

POſtea dux & ſui principes egreſſi ſunt de *Zeremſu*, & tranſnavigaverunt fluvium *Sovyou*, in illo loco, ubi fons *Honrad* deſcendit, & caſtra metati ſunt juxta fluvium *Hevyou*, uſque ad *Thyſciam*, & uſque ad *Emeud*, & permanſerunt ibi per unum menſem. Ibi etiam dux dedit *Bungernec* patri *Borſu*, terram magnam a fluvio *Topulucea*, uſque ad fluvium *Sovyou*, qui nunc vocatur *Miſcoucy*, & dedit ei caſtrum, quod dicitur *Geuru*, & illud caſtrum filius ſuus *Borſu*, cum ſuo caſtro, quod dicitur *Borſod*, unum fecit comitatum.

CAPUT XXXII.

De Caſtro Urſuur, & Fluvio Egur.

POſtea dux *Arpad*, & ſui nobiles hinc egreſſi, venientes uſque ad fluvium *Naragi*, & caſtra metati ſunt juxta rivulos aquarum, a loco illo, qui nunc dicitur *Caſu*, ubi etiam dedit terram magnam *Ouſadunec* patri *Urſuur*, & ibi poſtea *Urſuur* filius ejus, ad caput ejuſdem fluminis caſtrum conſtruxit, quod nunc caſtrum *Urſuur* nuncupatur. Hinc vero dux *Arpad* & ſui egreſſi, venerunt uſque ad fluvium *Egur*, & ibi paratis tuguriis plures dies permanſerunt, & montem illum, ſuper quem duci ſoliata fecerunt, nominaverunt *Zenuholmu*, & caſtra eorum fuerunt a fluvio *Uſtoros*, uſque ad caſtrum *Purozlou*. Deinde egreſſi, venerunt uſque ad fluvium *Zogea*. & caſtra metati ſunt per crepidinem ejuſdem fluminis, a *Thyſcia* uſque ad ſilvam *Matra*, & ſubjugaverunt ſibi omnes habitatores terrae, a *Griſio* uſque ad fluvium *Zogeva*; & uſque ad ſilvam *Zepus*. Tunc dux *Arpad*, in ſilva *Matra*, dedit terram magnam *Edunec*, & *Edumernec*, ubi poſtea *Pota* nepos eorum caſtrum conſtruxit, ex quorum etiam progenie, longo poſt tempore rex *Samuel* deſcendit, qui pro ſua pietate *Oba* vocabatur.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

De Caſtro Novgrad & Nitra.

IN eiſdem temporibus Dux *Arpad*, dum ſe per milites ſuos vidiſſet ita ſublimatum, & tutum eſſe, tunc habito inter ſe conſilio, miſit multos milites in expeditionem, qui ſubjugarent ſibi populum de *caſtro Gumur*, & *Novgrad*, &, ſi fortuna eis faveret, tunc aſcenderent verſus fines *Boemorum*, uſque ad caſtrum *Nitra*. Quibus etiam militibus in expeditionem euntibus, principes & ductores conſtituit duos filios avunculi ſui Hulec, *Zuardum* & *Caduſam*, nec non *Hubam*, unum de principalibus perſonis. Tunc hi tres domini, accepta licentia a duce *Arpad*, egreſſi ſunt a loco illo, qui dicitur *Pazthu*, equitantes juxta fluvium *Hongu*, & eundem fluvium tranſierunt juxta fluvium *Sovyou*. Et inde egreſſi ſunt per partes caſtri *Gumur*, & venerunt uſque ad montem *Bulhadu*, & inde ad partes *Novgrad* venientes, uſque ad fluvium *Caliga* pervenerunt, hinc vero egredientes per crepidinem *Danubii* iverunt, & fluvium *Werevecca* tranſeuntes, caſtra metati ſunt juxta fluvium *Ypul*, & quia divina gratia in eis erat, timuit eos omnis homo, & maxime ideo timebant eos, quia audierant ducem *Arpadium* filium *Almi* ducis, ex progenie *Athilæ* Regis deſcendiſſe. Tunc omnes *Sclavi* habitatores terræ, qui primo erant *Salani* ducis, propter timorem eorum, ſe ſua libera ſponte ſubjugaverunt eis, nullo manum ſublevante, & ita cum magno timore & tremore ſerviebant eis, ac ſi olim domini eorum fuiſſent. Tunc *Zuardu*, & *Caduſa* nec non *Huba*, a quo prudens *Zemera* deſcendit, cum vidiſſent populum multum ſine bello ipſis ſubjugatum, fecerunt magnum convivium, & melioribus habitatoribus terræ, qui filios ſuos in obſides dederant, diverſa dona præſentaverunt, & blandis verbis ſub dominium ducis *Arpad* ſine bello ſubjugaverunt, & ipſos ſecum in expeditionem duxerunt, filios vero eorum in obſides accipientes, ad ducem *Arpad*, cum diverſis muneribus remiſerunt. Unde dux & ſui nobiles, lætiores facti ſunt ſolito. Nuntiis gaudia ferentibus multa dederunt dona.

CAPUT XXXIV.

De Fluvio Gron & Caſtro Borſu.

INterea *Zuard* & *Caduſa* filii *Hulec*, nec non *Huba*, & omnis exercitus eorum, fluvium *Ypul* juxta *Danubium* tranſierunt. Et alio die tranſito fluvio *Gron*, ca-

Digitized by Google

caſtra metati ſunt in campo, juxta quodam caſtellum terreum, quod nuncupatur *Varod*. Et, capto illo caſtro, manſerunt ibi tres dies, expectantes adventum *Borſu* filii *Bunger*, quem Dux *Arpad*, cum magno exercitu miſerat in auxilium eorum. Quarto die, cum *Borſu* ad eos veniſſet cum valida manu, timuerunt eos omnes incolæ terræ, & nullus auſus fuit levare manus contra eos. Tunc hi quatuor domini, inito inter ſe conſilio, per petitionem incolarum ſibi fidelium, conſtituerunt, ut tertia pars de exercitu, cum incolis terræ irent in ſilvam *Zovolon*, qui facerent in confinio regni munitiones fortes, tam de lapidibus quam etiam de lignis, ut ne aliquando Boemii vel Polonji, poſſent intrare cauſa furti & rapinæ in regnum eorum. Tunc communi conſilio hac de cauſa miſſus eſt *Borſu* filius *Bunger*, cum ſuis militibus, & cum equitarent juxta fluvium *Gron*, cervus fuga lapſus ante eos, cacumina montium aſcendit, quem *Borſu* celerrimo curſu perſecutus, ictibus ſagittarum in vertice montium interfecit; & tunc *Borſu*, cum montes illos in circum aſpexiſſet, in memoriam duxit, ut ibi caſtrum conſtrueret. Et ſtatim congregata multitudine civium, in vertice unius altioris montis, caſtrum fortiſſimum conſtruxit, cui nomen ſuum impoſuit proprium, ut caſtrum *Borſu* nuncupetur, & inde cum exercitibus ſuis, uſque ad ſilvam *Zovolun* perrexit, & maximam munitionem de lapidibus facere præcepit, quod nunc caſtrum *Borſſed Zovolun* vocatur.

CAPUT XXXV.

De Nitria Civitate.

ZUardu & *Caduſa* nec non *Huba*, poſt diſceſſum *Borſu*, cum omnibus exercitibus ſuis egreſſi de caſtro, quod dicitur *Varod*, ultra ſilvam *Turſoc* caſtra metati ſunt juxta fluvium *Sytua*; altera autem die miſerunt quoſdam ſpeculatores, viros, quos ſciebant eſſe audaces, qui tranſirent fluvium *Nitra*, & viderent, ſi ſine bello poſſent transmeare uſque ad civitatem *Nitra*. Qui cum velociſſimo curſu veniſſent uſque ad rivulum *Turmas*, ubi deſcendit in rivulum *Nitræ*, viderunt habitatores illius provinciæ *Sclavos* & *Boemos*, eis obſiſtere cum adjutorio Ducis *Boemorum*. Quia mortuo *Athila* rege, terram, quæ jacet inter *Wag* & *Gron*, a *Danubio* uſque ad fluvium *Morova*, Dux *Boemorum* ſibi præoccupaverat, & in unum ducatum fecerat, & tunc tempore per gratiam Ducis *Boemorum*, *Dux Nitrienſis* factus erat *Zubur*.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

De Speculatoribus missis a Ducibus.

CUm autem speculatores illi, qui fuerant missi a *Zuard* & *Caduſa*, vidissent *Sclavos* & *Boemos* eis obsistere non valentes, miserunt sagittas tribus vicibus super eos, & quosdam ex ipsis ictibus sagittarum interfecerunt. Hoc cum vidissent *Sclavi* & *Boemi*, quos ad custodiam constituerat *Zubur*, quod isti, qui dicuntur *Hetumoger*, talibus uterentur armis, timuerunt valde, quia talis armatura nunquam visa fuit eis. Statim nuntiaverunt *Zuburio* Domino eorum, ceterisque principibus ejusdem provinciæ.

CAPUT XXXVII.

De Pugna Ducum Arpadii.

TUnc *Zubur*, hoc audito, cum adjutorio *Boemorum*, armata multitudine obviam eis venit pugnaturus. Et dum uterque exercitus, ad fluvium *Nitra* perveniſſent, *Zuardu*, *Caduſa*, & *Huba*, volebant transire fluvium, sed *Zubur*, *Dux Nitrienſis*, & sui milites, contra eos diutissime certantes, nullo modo eis transitum concedere volebant, & cum diu inter se certassent, *Hungarii*, ex *Boemis* & *Sclavis*, ictibus sagittarum multos interficiebant, sed per tres dies, nullo modo *Hungarii*, propter inundationem aquarum, transitum habuissent, tandem quarta die, *Boemi* & omnes *Nitrienſes Sclavi*, videntes audaciam *Hungarorum* & percussiones sagittarum non sufferentes, fuga lapsi sunt, & velocissimo cursu, pro defensione vitæ, in civitatem *Nitriam* inclusi sunt, cum magno timore. Quos *Zuardu*, *Caduſa* & *Huba*, nec non ceteri milites, persequentes eos usque ad civitatem, & ex eis quosdam interfecerunt, quosdam vulneraverunt, & alios ceperunt, *Zuber* vero Dux eorum, dum fugiendo contra eos pugnare vellet, per lanceam *Caduſæ* cecidit, captus in custodiam traditus est; ceteri vero in civitatem inclusi quasi muti remanserunt. Alio namque die, *Zuard*, *Caduſa* & *Huba*, armata multitudine exercituum, ceperunt fortiter expugnare civitatem *Nitriam* multis modis, & dedit eis Dominus victoriam magnam, & pugnantes intraverunt eam, & fusus est per eos ibi sanguis multorum adversariorum. Tunc iracundia ducti, *Zuburium* Ducem illius provinciæ, quem nudius tertius ceperant, supra mon-

Digitized by Google

montem excelsum ducentes, laqueo suspenderunt. Unde mons ille, a die illo usque nunc *mons Zubur* nuncupatur. Et propter hoc factum, timuerunt eos omnes homines illius patriæ, & omnes nobiles, filios suos in obsides eis dederunt, & omnes nationes illius terræ se subjugaverunt sibi usque ad fluvium *Wag*, & quia gratia Dei antecedebat eos, non solummodo ipsos subjugaverunt, verum etiam omnia castra eorum ceperunt, quorum nomina hæc sunt usque modo: *Stumrey*, *Colgouy*, *Trusun*, *Blundus*, & *Bana*, & ordinandis custodibus castrorum, iverunt usque ad fluvium *Morova*, & firmatis obstaculis, constituerunt terminos Regni Hungarorum usque ad *Boronam*, & usque ad *Sarvuar*, & adepta victoria reversi sunt ad Ducem *Arpad* & omnes infideles illius terræ, ferreis catenis ligatos secum duxerunt. Cumque *Zuard*, *Caduſa*, nec non *Huba*, ad Ducem *Arpad*, cum omnibus captivis suis, venissent sani & incolumes, factum est gaudium magnum in curia Ducis. Dux *Arpad*, consilio & petitione suorum nobilium, donavit, accepto juramento infidelium, terras in diversis locis, prædictis infidelibus de partibus *Nitriæ* ductis, ut ne aliquando infideliores facti repatriando, nocerent sibi fidelibus, in confinio *Nitriæ* habitantibus, & in eodem gaudio, Dux *Arpad*, *Hubam* fecit *Comitem Nitrienſem*, & aliorum castrorum, & dedit ei terram propriam juxta fluvium *Sytuva*, usque ad silvam *Turſoc*.

CAPUT XXXVIII.

De exercitu Græcorum & Bulgarorum.

INterea Dux *Salanus*, dum intellexisset potentiam & facta Hungarorum, timuit, ut ne aliquando iracundia ducti, eum expellerent de regno suo. Tunc inito consilio suorum, misit legatos suos ad Imperatorem *Græcorum*, & Ducem *Bulgarorum*, ut sibi auxilium darent causa pugnæ contra *Arpad*, Ducem Hungarorum. Imperator Græcorum, & Dux Bulgarorum, magnum exercitum *Salano* Duci miserunt, qui cum ad Ducem *Salanum* perveniſſent in illo loco, qui dicitur *Tetel*, factum est gaudium magnum in curia Ducis, secundo autem die, Dux *Salanus* & sui nobiles, inito consilio, miserunt legatos ad Ducem *Arpad*, dicendo, ut terram eorum dimitteret, & ad natale solum repatriare inciperet. Qui cum ad Ducem *Arpad* perveniſſent, ac mandata *Salani* Ducis ei dixissent, Dux *Arpad* & sui nobiles ægre ferentes, sic per eosdem legatos, Duci *Salano* remandaverunt: *Terram, quæ inter Danubium & Thiſciam jacet, & aquam Danubii quæ a Ratisbona in Græciam deſcendit, pecunia noſtra comparavimus tunc tempore, quan-*

Digitized by Google

do novi fuimus, & pro pretio ei misimus duodecim albos equos, & cetera, ut supra. Ipse etiam laudans bonitatem terræ suæ, misit unam sarcinam de herbis fabulorum Olpar & duas lagunculas de aquis Danubii. Unde præcipimus Domino vestro Duci Salano, ut dimissa nostra terra, celerrimo cursu terram Bulgarorum eat, unde proavus suus descenderat, mortuo Athila Rege atavo nostro; si autem hoc non fecerit, sciat, nos in proximo tempore contra eum dimicaturos. Legati vero hoc audientes, accepta licentia, tristi vultu ad ducem *Salanum* properaverunt. Dux autem *Arpad* & sui nobiles egressi, de fluvio *Zogea*, cum omni exercitu castra metati sunt, juxta montem *Tetevetlen* usque ad *Thysciam*, deinde venientes per crepidinem *Thysciæ*, usque ad *fabulum Olpar* pervenerunt.

CAPUT XXXIX.

De Egressu Salani Ducis contra Arpadium Ducem.

DUx autem *Salanus*, cum adjutorio *Græcorum* & *Bulgarorum*, egressus de *Tetel* furiata mente, per admonitionem suorum, contra ducem *Arpad* equitare cepit. Et dum uterque exercitus ad invicem prope pernoctassent, neuter eorum dormire per totam noctem ausus fuit, sed equos sellatos in manibus tenendo pernoctaverunt. Mane autem facto, ante auroram, utraque pars se ad bellum præparavit. Dux vero *Arpad*, cujus adjutor erat dominus omnium, armis indutus, ordinata acie, fusis lachrymis dominum orans, suos confortans milites, dicens: *O Scythici! qui per superbiam Bulgarorum, a castro Hungu vocati estis Hungarii, nolite obliviscí propter timorem Græcorum gladios vestros, & amittatis vestrum bonum nomen, unde strenue & fortiter pugnemus contra Græcos & Bulgaros, qui assimilantur nostris fœminis, & sic timeamus multitudinem Græcorum, sicut multitudinem fœminarum.* Hoc audito milites sui multum sunt confortati, statimque *Lelu* filius *Tosu* tuba cecinit, & *Buljiu* filius *Bogar*, elevato vexillo, in prima acie contra *Græcos* pugnaturi, venire ceperunt, & commixta est utraque acies hostium ad bellum, & ceperunt pugnare acriter inter se, & dum totus exercitus ducis *Arpad*, accessisset pugnaturus contra Græcos, plurimi interficiebantur de Græcis & Bulgariis. Prædictus vero dux *Salanus*, cum vidisset suos deficere in bello, fuga lapsus est, & pro salute vitæ *Albam Bulgariæ* properavit. *Græci* vero & *Bulgari* timore *Hungarorum* percussi, viam quam venerant, oblivioni tradiderunt, fuga lapsi pro salute vitæ, *Thysciam*, pro parvo fluvio reputantes, transnatare volebant, sed quia talis timor & terror irruerat super eos, ut propter ti-

Digitized by Google

timorem Hungarorum, fere omnes in fluvio *Thyſciæ* mortui ſunt, ita, quod aliqui vix remanſerunt, qui Imperatori eorum mala ſalutis nuntiarent, unde locus ille, ubi *Græci* mortui fuerunt, a die illo uſque nunc *Portus Græcorum* nuncupatur.

CAPUT XL.

De Victoria Arpad Ducis.

DUx vero *Arpad* & ſui milites, adepta victoria hinc egreſſi, venerunt uſque ad ſtagnum, quod dicitur *Curtueltou*, & manſerunt ibi juxta ſilvam *Gemelſen* triginta quatuor diebus, & in illo loco, dux & ſui nobiles ordinaverunt omnes conſuetudinarias leges Regni, & omnia jura ejus, qualiter ſervirent duci & primatibus ſuis, vel qualiter judicium facerent, pro quolibet crimine commiſſo. Ibi etiam dux condonavit ſuis nobilibus ſecum venientibus, diverſa loca cum omnibus habitatoribus ſuis. Et locum illum, ubi hæc omnia fuerunt ordinata, Hungarii ſecundum ſuum idioma nominaverunt *Scerrii*, eo, quod ibi ordinatum fuit totum negotium Regni, & dux locum illum dedit *Oundunec* patri *Ete* a *Thyſcia* uſque ad ſtagnum *Botua*, & a *Curtueltou* uſque ad *ſabulum Olpar*. Poſtea vero, tranſactis quibuſdam temporibus, *Ete* filius *Oundu*, congregata multitudine *Sclavorum*, fecit inter caſtrum *Olpar* & portum *Beuldu* ædificari caſtrum fortiſſimum de terra, quod nominaverunt *Sclavi* ſecundum idioma ſuum *Surungrad*, id eſt: *Nigrum caſtrum.*

CAPUT XLI.

De Egreſſu Arpad.

POſtea vero Dux *Arpad* & ſui nobiles, hinc egreſſi venerunt uſque ad *Titulum*, ſubjugando ſibi populum. Deinde egreſſi venerunt uſque ad portum *Zoloncaman*, & totum populum infra *Thyſciam* & *Danubium* habitantem, ſub jugum ſuum conſtituerunt. Hinc vero venientes ad partes *Budrug* pervenerunt, & juxta fluvium *Voyos* caſtra metati ſunt, & in partibus illis dux dedit terram magnam, cum omnibus habitatoribus ſuis, *Toſunec* patri *Lelu*, cum avunculo ſuo *Culpun*, patre *Botond*. Tunc Dux *Arpad* & ſui primates, inito con-

Digitized by Google

consilio constituerunt, quod exercitum mitterent propter *Salanum* Ducem ultra Danubium, contra *Albam Bulgariæ*. Super quem exercitum constituti sunt principes & ductores, *Lelu* filius *Tosu*, *Bulsuu* filius *Bogar*, *Botond* filius *Culpun*, quia accepta licentia a Duce *Arpad* equitantes, transnavigaverunt Danubium nullo contradicente, in illo loco, ubi fluvius *Zova* descendit in Danubium. Et inde egressi, contra *Albam Bulgariæ civitatem* equitare ceperunt; tunc Dux *Bulgarorum*, consanguineus *Salani* Ducis, cum magno exercitu contra eos pugnaturus, cum adjutorio *Græcorum* accessit. Altera autem die, ordinatæ acies in campo juxta ripam Danubii. Statim *Lelu* filius *Tosu* elevato vexillo sui signi, & *Bulsuu* filius *Bogar*, tubas bellicas sonando, pugnaturi accesserunt, & commixtæ sunt per partes manus utriusque hostis, & cœperunt pugnare inter se acriter, & interfecti sunt de Græcis & Bulgariis plurimi, & quidam capti sunt ex eis. Videns ergo Dux *Bulgariæ*, suos deficere in bello, fuga lapsus, pro defensione vitæ *Albam* civitatem ingressus est. Tunc *Lelu*, *Bulsuu*, nec non *Botond*, adepta victoria castra metati sunt juxta *Danubium*, parum inferius in campo, & omnes captivos Bulgarorum & Græcorum ante se duci fecerunt, quos ferro ligatos Duci *Arpad* remiserunt in *Hungariam*.

CAPUT XLII.

De nuntiis Ducis Bulgariæ.

SEcundo autem die, *Dux Bulgariæ* misit nuntios suos cum diversis donis ad *Lelu* & *Bulsuu*, atque *Bontond*, & deprecans eos, ut paci faveant, & insuper mandavit, quod partem *Salani* Ducis avunculi sui non foveret, sed *Arpadio* Duci *Hungariæ* subjugatus fideliter serviret, & annuale vectigal persolveret. Illi vero paci faventes, proprium filium Ducis in pignus accipientes, cum multis bonis rebus Bulgariæ discesserunt, & Ducem eorum illæsum dimiserunt. Deinde egressi, usque ad portam *Wazil* iverunt, & ex hinc egressi terram *Racy* subjugaverunt, & Ducem ejus captum, diu ferro ligatum tenuerunt. Hinc vero egressi, usque ad mare pervenerunt, & omnes nationes illius patriæ, dominatui *Arpad* Ducis *Hungarorum*, potenter & pacifice subjugaverunt, & civitatem *Spaletensem* ceperunt, & totam *Crovatiam* sibi subjugaverunt, & inde egressi, filios nobilium in obsides acceperunt, & in Hungariam reversi sunt ad Ducem *Arpad*. Quorum etiam bella, & fortia quæque facta

sua,

Digitized by Google

fua, ſi ſcriptis præſentis paginæ non vultis, credite garrulis cantibus joculatorum, & falſis fabulis ruſticorum, qui fortia facta & bella Hungarorum, uſque in hodiernum diem oblivioni non tradunt. Sed quidam dicunt, eos iviſſe uſque ad *Conſtantinopolim*, & portam auream Conſtantinopolis, *Botondium* cum dolabro ſuo incidiſſe, ſed ego, quia in nullo codice hiſtoriographorum inveni, niſi ex falſis fabulis ruſticorum audivi, ideo ad præſens opus ſcribere non propoſui.

CAPUT XLIII.

De Caſtris Zabrach, Poſaga & Ulcov.

Bulſuu, *Lelu* & *Botond* hinc egreſſi, ſilvam, quæ dicitur *Peturgoz* deſcendentes, juxta fluvium *Culpe* caſtra metati ſunt, & tranſito fluvio illo, uſque ad fluvium *Zova*, caſtrum *Zabrag* ceperunt, & hinc equitantes caſtrum *Poſaga*, & caſtrum *Ulcau* ceperunt. Et hinc egreſſi, *Danubium*, in *portu Græci* tranſnavigantes, in curiam Ducis *Arpad* pervenerunt. Cumque *Lelu*, *Bulſuu* & *Botond*, ceterique milites ſani & incolumes, cum magna victoria, in ſecundo anno ad Ducem *Arpad* reverſi fuiſſent, factum eſt gaudium magnum per totam curiam Ducis, & fecerunt convivium magnum, & epulabantur quotidie *Hunguarii*, una cum diverſis nationibus. Et vicinæ nationes audientes facinora & facta eorum, confluebant ad Ducem *Arpad*, & pura fide ſubditi ſerviebant ei ſub magna cura, & plurimi hoſpites facti ſunt domeſtici.

CAPUT XLIV.

De Inſula Danubii.

POſthæc vero egreſſus Dux *Arpad* de partibus illis, ubi nunc eſt caſtrum *Budrug*, & deſcendit juxta *Danubium* uſque ad inſulam magnam, & caſtra metati ſunt juxta inſulam, & Dux *Arpad*, ſuique nobiles intrantes inſulam, viſa fertilitate & ubertate illius loci, ac munitione aquarum Danubii, dilexerunt locum ultra, quam dici poteſt, & conſtituerunt, ut ducalis eſſet inſula, & unuſquiſque nobilium perſonarum, ſuam ibi haberet curiam & villam. Statim Dux *Arpad*, conductis artificibus, præcepit facere egregias domos ducales, & omnes equos ſuos longitudine dierum fatigatos, ibi introductos paſcere

Digitized by Google

præcepit, & agaſonibus ſuis magiſtrum præfecit quemdam Cumanum, virum prudentiſſimum, nomine *Sepel*, & propter *Sepel magiſtrum agazonum* inibi morantem, vocata eſt inſula illa nomine *Sepel*, uſque in hodiernam diem. Dux vero *Arpad* & ſui nobiles, permanſerunt ibi cum famulis & famulabus ſuis, pacifice & potenter a menſe Aprili uſque ad menſem Octobrem, & dimiſſis ibi uxoribus ſuis, communi conſilio ab inſula exeuntes, conſtituerunt, ut ultra *Danubium* irent, & *terram Pannoniæ* ſubjugarent, & contra *Carinthinos* bellum promoverent, ac in *Marciam Lambardiæ* ſe venire præpararent. Et antequam hoc fieret, mitterent exercitum contra *Glad* Ducem, qui dominium habebat a fluvio *Morus* uſque ad caſtrum *Horom*, ex cujus etiam progenie, longo poſt tempore deſcenderat *Othum*, quem *Sunad* interfecit. Ad hoc autem miſſi ſunt *Zuardu* & *Caduſa*; atque *Boyta*, qui, cum accepta licentia equitarent, *Thiſciam* in *Renesna* tranſnavigaverunt, & deſcenſum fecerunt juxta fluvium *Sextureg*, & nemo adverſarius inventus eſt eis, qui levaret manus contra eos, quia timor eorum irruerat ſuper omnes homines illius terræ. Ex hinc egreſſi ad partes *Beguey* pervenerunt, & ibi per duas hebdomadas permanſerunt, donec omnes habitatores illius patriæ, a *Morifio* uſque ad fluvium *Temes*, ſibi ſubjugaverunt, & filios eorum in obſides acceperunt; deinde amoto exercitu venerunt verſus fluvium *Temes*, & caſtra metati ſunt juxta vadum arenarum, & cum vellent tranſire amnem *Temes*, venit obviam eis *Glad*, a cujus progenie *Othum* deſcendit, Dux illius patriæ, cum magno exercitu equitum & peditum, adjutorio *Cumanorum*, & *Bulgarorum*, atque *Blacorum*. Altera autem die, dum utraque acies, interjacente fluvio *Temes*, ad invicem nullatenus tranſire valuiſſet, tunc *Zuardu* injunxit fratri ſuo *Caduſæ*, ut cum dimidia parte exercitus ſui deſcenderet inferius, &, quolibet modo poſſet tranſmeare, pugnaret contra hoſtes. Statim *Caduſa* præceptis fratris ſui obediens, cum medietate exercitus equitans, deſcendit inferius celerrimo curſu, &, ſicut divina gratia erat eis prævia, levem habuit tranſitum, &, dum una pars exercitus *Hungarorum* cum *Caduſa* ultra eſſet, & dimedia pars cum *Zuard* citra eſſet, tunc *Hungarii* tubas bellicas ſonuerunt, & fluvium tranſnatando acriter pugnare ceperunt, & quia dominus ſua gratia antecedebat *Hungaros*, dedit eis victoriam magnam, & inimici eorum cadebant ante eos, ſicut manipuli poſt meſſores, & in eodem bello mortui ſunt duo Duces Cumanorum, & tres *Kenezy Bulgarorum*, & ipſe *Glad* Dux eorum fuga lapſus evaſit, ſed omnis exercitus ejus liquefacti tanquam cera a facie ignis, in ore gladii conſumpti ſunt. Tunc *Zuard* & *Caduſa*, atque *Boyda* adepta victoria hinc egreſſi, venerunt verſus fines *Bulga-*

Digitized by Google

garorum, & caſtra metati ſunt juxta fluvium *Ponoucea*, Dux vero *Glad* fuga lapſus, ut ſupra diximus, propter timorem *Hungarorum*, caſtrum *Kevee* ingreſſus eſt, & tertio die *Zuardu* & *Caduſa*, nec non *Boyta*, a quo genus *Brucſa*, deſcendit, ordinato exercitu, contra caſtrum *Kevee* pugnare ceperunt. Hoc cum *Glad* Dux eorum vidiſſet, miſſis legatis pacem ab eis petere cepit, & caſtrum ſua ſponte cum diverſis donis condonavit. Hinc euntes caſtrum *Urſova* ceperunt, & per menſem unum ibi habitaverunt, & *Boytam* cum tertia parte exercitus, ac filiis incolarum in obſides poſitis, ad Ducem *Arpad* remiſerunt, & inſuper legatos ſuos miſerunt, ut eis licentiam daret in *Græciam* eundi, ut totam *Macedoniam* ſibi ſubjugarent, a *Danubio* uſque ad *nigrum mare*. Nam mens *Hungarorum*, tunc tempore nihil aliud optabat, niſi occupare ſibi terras, & ſubjugare nationes, & bellico uti labore. Quia *Hungarii* tunc tempore ita gaudebant de effuſſione humani ſanguinis, ſicut ſanguiſuga, & niſi ita feciſſent, tot bonas terras poſteris ſuis non dimiſiſſent. Quid plura? *Boyta* & legati eorum ad Ducem *Arpad* pervenerunt, & res geſtas ſibi narraverunt, Dux vero opus eorum collaudavit, & *Zuardu* ac *Caduſæ* licentiam conceſſit liberam, in *Græciam* eundi, & terram præoccupandi ſibi. Et *Boytæ* pro ſuo fideliſſimo ſervitio, dedit terram magnam juxta *Thiſciam* nomine *Torhus*. Tunc legati *Zuard* & fratris ſui *Caduſæ*, accepta licentia, læti ad dominos ſuos reverſi ſunt.

CAPUT XLV.

De Civibus Bulgarorum & Macedonum.

TRanſactis quibuſdam diebus, *Zuard* & *Caduſa*, cum omni exercitu ſuo, elevatis vexillis figniferis aquam *Danubii* tranſnavigaverunt, & caſtrum *Borons* ceperunt, deinde ad caſtrum *Scereducy* iverunt, audientes hoc cives *Bulgarorum* & *Macedonum*, timuerunt valde a facie eorum. Tunc omnes incolæ illius terræ, miſerunt nuntios ſuos cum donariis multis, ut terram ſibi ſubjugarent, & filios ſuos in obſides traderent. *Zuard* & *Caduſa* paci faventes, & dona & obſides eorum accipientes, eos quaſi ſuum proprium populum in pace dimiſerunt. Ipſi vero ceperunt equitare ultra portam *Wacil*, & caſtrum *Philippi Regis* ceperunt, deinde totam terram uſque ad *Cleopatram* civitatem ſibi ſubjugaverunt, & ſub poteſtate ſua habuerunt totam terram a civitate *Duraſſu*, uſque ad terram *Rachy*. Et *Zuardu* in eadem terra duxit ſibi uxorem,

Digitized by Google

& populus ille, qui nunc dicitur *Sobamogera*, mortuo Duce *Zuard*, in *Græcia* remanſit, & ideo dictus eſt *Soba* ſecundum Græcos, id eſt *ſtultus populus*, quia mortuo domino ſuo, viam non dilexit redire ad patriam ſuam.

CAPUT XLVI.

De Portu Moger.

TRanſactis quibusdam diebus, Dux *Arpad* & omnes ſui primates, communi conſilio & pari conſenſu ac libera voluntate, egredientes de inſula, caſtra metati ſunt ultra *Surcuſar* uſque ad fluvium *Racus*, &, dum vidiſſent, quod undique tuti eſſent, nec aliquis eis obſiſtere valeret, tranſierunt *Danubium*, & portum, ubi tranſitum fecerunt, *portum Moger* nominaverunt, eo, quod VII. principales perſonæ, qui *Hetumoger* dicti ſunt, ibi *Danubium* tranſnavigaverunt. Tranſito Danubio caſtra metati ſunt juxta *Danubium*, uſque ad *aquas calidas* ſuperiores, & hoc audito, omnes *Romani*, per terram *Pannoniæ* habitantes, vitam ſuga ſervaverunt. Secundo autem die, Dux *Arpad* & omnes ſui primates, cum omnibus militibus *Hungariæ* intraverunt in civitatem *Athilæ* Regis, & viderunt omnia palatia regalia, quædam deſtructa uſque ad fundamentum, quædam non, & admirabantur ultra modum omnia illa ædificia lapidea, & facti ſunt læti ultra, quam dici poteſt, eo, quod capere meruerunt ſine bello *civitatem Athilæ Regis*, ex cujus progenie Dux *Arpad* deſcenderat. Et epulabantur quotidie cum gaudio magno, in palatio Athilæ Regis, collateraliter ſedendo. Et omnes ſymphonias, atque dulces ſonos cytharārum & fiſtularum, cum omnibus cantibus joculatorum habebant ante ſe. Fercula, pocula, portabantur Duci & nobilibus in vaſis aureis, ſervientibus & ruſticis in vaſis argenteis, quia omnia bona aliorum regnorum circumjacentium dederat Deus in manus eorum, & vivebant large, ac ſplendide, cum omnibus hoſpitibus ad ſe venientibus. Et hoſpitibus ſecum commorantibus, Dux *Arpad*, terras & poſſeſſiones magnas dabat, & hoc audito, multi hoſpitum confluebant ad eum, & ovantes morabantur cum eo. Tunc Dux *Arpad* & ſui, propter lætitiam permanſerunt in civitate *Athilæ Regis* per viginti dies, & omnes milites Hungariæ, ante præſentiam Ducis, fere quotidie ſuper dextrarios ſuos ſedentes, cum clypeis & lanceis maximum tornamentum faciebant. Et alii juvenes, more paganiſmo, cum arcubus & ſagittis ludebant, unde Dux *Arpad* valde lætus factus eſt, & omnibus ſuis diverſa donaria, tam in auro, quam in argento, cum ceteris

Digitized by Google

teris poſſeſſionibus donavit, & in eodem loco, *Cadunec* patri *Curzan* dedit terram, a *civitate Athilæ Regis* uſque ad *centum montes*, & uſque ad *Gyoyg*, & filio ſuo dedit unum caſtrum ad cuſtodiam populi ſui. Tunc *Curzan* caſtrum illud ſub ſuo proprio nomine juſſit appellari, quod nomen uſque in hodiernum diem non eſt oblivioni traditum.

CAPUT XLVII.

De Terra Pannoniæ

DUx vero *Arpad*, vigeſimo primo die, inito conſilio, egreſſus eſt de *Ecilburgu*, ut ſubjugaret ſibi terram *Pannoniæ* uſque ad fluvium *Drova*, & prima die caſtra metatus eſt juxta *Danubium*, verſus *centum montes*. Tunc ordinatum eſt, quod Dux de exercitu ſuo unam partem mitteret juxta *Danubium*, verſus caſtrum *Borona*, cui præſecit principes & ductores duos de principalibus perſonis, ſcilicet *Ete* pater *Eudu*, & *Boyta* a quo genus *Brugſa* deſcendit, quibus etiam pro ſuo fideliſſimo obſequio, Dux *Arpad* donavit munera non minima, & *Eudunec* filio *Ete*, dedit terram juxta Danubium, cum populo non numerato, & in loco illo, *Eudu*, ſubjugato populo illius partis, ædificavit caſtrum, quod nominavit vulgariter *Zecuſeu*, eo, quod ſibi ſedem & ſtabilitatem conſtituit. Et *Boytæ* eodem modo dedit terram magnam verſus *Saru*, cum populo non numerato, quæ uſque modo nuncupatur *Boyta*.

CAPUT XLVIII.

De Civitate Bezprem.

IN ſecunda parte exercitus, miſſus eſt *Uſubu* pater *Zolocu*, & *Euſee*, qui iret verſus civitatem *Bezprem*. & ſubjugaret omnes habitatores terræ, uſque ad *caſtrum ferreum*. Tunc *Uſubu*, princeps & ductor illius exercitus, licentiatus a duce, elevato vexillo egreſſus eſt, & caſtra metatus eſt juxta montem *Pacoztu*. Hinc vero equitantes, in caſtro *Peytu* caſtra metati ſunt, & per tres dies ibi permanſerunt, quarto autem uſque ad caſtrum *Bezprem* pervenerunt. Tunc *Uſubu* & *Euſee*, ordinato exercitu, contra Romanos milites, qui caſtrum *Bezprem* cuſtodiebant, pugnare acriter ceperunt, & pugnatum eſt inter eos per hebdo-

Digitized by Google

madam unam, in qua hebdomada, feria quarta, dum utraque pars exercitus, labore belli nimis esset fatigata, tunc *Usubu* & *Eusee*, plures milites *Romanorum* in ore gladii consumserunt, & quosdem ictibus sagittarum interfecerunt, reliqui vero *Romanorum*, videntes audaciam *Hungarorum*, dimisso castro *Bezprem*, fuga lapsi sunt, & pro remedio vitæ, in terram *Teutonicorum* properaverunt, quos *Usubuu* & *Eusee*, usque ad confinium *Teutonicorum* persecuti sunt. Quadam autem die, dum Hungarii & Romani in confinio essent, Romani fugiendo, latenter fluvium, qui est in confinio Pannoniæ & Teutonicorum transnataverunt, unde fluvius ille ab Hungaris vocatur *Loponsu*, eo quod Romani, propter metum Hungarorum latenter transnataverunt.

CAPUT XLIX.

De Castro Ferreo.

ET ex hinc, *Usubuu* pater *Zoloucu*, & *Eusee* pater *Urcun*, reversi, *castrum ferreum* ceperunt, & filios incolarum in obsides acceperunt. Hinc vero equitantes juxta fluvium *Bolotun*, usque ad *Thyon* pervenerunt, & subjugatis sibi gentibus, decimo quarto die castrum *Bezprem* intraverunt. Tunc *Usubuu* & *Eusee*, inito consilio, nuntios suos cum diversis muneribus, & filiis incolarum in obsides positis, Duci *Arpad* transmiserunt, & qualiter dedit eis Deus victoriam, & quomodo Romani, dimisso castro *Bezprem*, ante eos fuga lapsi, fluvium *Loponsu* latenter transnataverunt. Missi vero eorum, Ducem *Arpad*, in silva *Turobag Arpalice* ambulantem invenerunt, & eum cum diversis ex parte *Usubuu* & *Eusee* salutaverunt, & filios incolarum in obsides positos, Duci præsentaverunt. Dux vero *Arpad*, audito hoc lætior factus est solito, & iterum in *Ecilburgu* reversus, magnum fecit convivium, & legatis gaudia nuntiantibus, munera magna condonavit.

CAPUT L.

De Devastatione Pannoniæ.

TUnc Dux *Arpad* & sui nobiles, cum tertia parte exercitus sui, de *Ecilburgu* egressi, castra metati sunt juxta *campum putei salsi*, & inde equitantes usque

Digitized by Google

uſque ad montem *Bodoctu* pervenerunt. Dux vero *Arpad*, ab orientali parte dedit *Eleuduncc* patri *Zolſu* ſilvam magnam, quæ nunc *Vetrus* vocatur propter *clypeos Teutonicorum* inibi dimiſſos. Ad radicem cujus ſilvæ, juxta ſtagnum *Ferteu*, *Sac* nepos *Zobolſu*, longo poſt tempore caſtrum conſtruxit. Quid ultra? Dux autem *Arpad* & ſui milites, ſic eundo juxta *montem* S. *Martini* caſtra metati ſunt, & de fonte *Sabariæ*, tam ipſi, quam eorum animalia biberunt. Et montem aſcendentes, & viſa pulchritudine terræ *Pannoniæ*, nimis læti facti ſunt, & inde egreſſi, uſque ad *Rabam*, & *Rabuceam* venerunt, *Sclavorum* & *Pannoniorum* gentes & regna vaſtaverunt, & eorum regiones occupaverunt. Sed & *Carinthinorum*, *Moroanenſium* fines, crebris incurſibus diripuerunt, quorum multa millia hominum in ore gladii occiderunt, præſidia ſubverterunt, & regiones eorum poſſederunt, ut uſque in hodierum diem, adjuvante domino, potenter & pacifice poſteritas eorum detinet. Tunc *Uſubuu* & *Euſee* pater *Urcun*, cum omni exercitu eorum, ſani & incolumes, cum magna victoria reverſi ſunt ad Ducem *Arpad*. Deus enim, cujus miſericordia prævia erat, tradidit Duci *Arpad* & ſuis militibus, inimicos eorum, & per manus ſuas labores populorum poſſederunt. Ubi cum radicati fuiſſent, & fere omnia viciniora regna ſibi ſubjugaſſent, reverſi ſunt juxta *Danubium* verſus ſilvam, cauſa venationis, & dimiſſis militibus ad ſua propria, Dux & ſui nobiles, manſerunt in eadem ſilva per decem dies, & inde venerunt in *civitatem Atæ* Regis, & ad inſulam *Sepel* deſcenderunt, ubi Duciſſa & aliæ mulieres nobilium fuerunt. Et eodem anno, Dux *Arpad* genuit filium nomine *Zulta*, & factum eſt gaudium magnum inter *Hungaros*, & Dux & ſui nobiles, per plurimos dies faciebant convivia magna, juveneſque eorum ludebant ante faciem Ducis & ſuorum nobilium, ſicut agni ovium ante arietes. Tranſactis autem quibuſdam diebus, Dux *Arpad* & ſui nobiles, communi conſilio miſerunt exercitum, contra *Menumorout* Ducem *Byhorienſem*, cui exercitui principes & ductores facti ſunt *Uſubuu* & *Velec*, qui egreſſi ſunt de inſula equitantes per ſabulum, & fluvium *Thiſciæ* in portu *Beuldu* tranſnavigaverunt. Et inde equitantes, juxta fluvium *Couroug* caſtra metati ſunt, & omnes *Siculi*, qui primo erant populi *Athylæ* Regis, audita fama *Uſubuu*, obviam pacifici venerunt, & ſua ſponte filios ſuos cum diverſis muneribus in obſides dederunt, & ante exercitum *Uſubuu*, in prima acie contra *Menumorout* pugnaturi ceperunt, & ſtatim filios *Siculorum* Duci *Arpad* tranſmiſerunt, & ipſi præcedentibus *Siculis*, una contra *Menumorout* equitare ceperunt, fluvium *Cris* in *Cerumo* monte tranſnataverunt, & inde equitantes juxta fluvium *Tekereu* caſtra metati ſunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LI.

De Duce Menumorout.

Hæc cum audiviſſet *Menumorout*, quod *Uſubuu* & *Velec* nobiliſſimi milites Ducis *Arpad*, cum valida manu, præcedentibus *Siculis*, contra eum venirent, timuit ultra, quam debuit, & contra eos auſus venire non fuit, eo, quod audiverat, Ducem *Arpadium* & ſuos milites, validiores eſſe in bello, & *Romanos* fugatos eſſe de *Pannonia* per ipſos, & *Carinthinorum, Moroanenſium* fines devaſtaſſe, & multa millia hominum occidiſſe in ore gladii eorum, *Regnumque Pannoniorum* occupaſſe, & inimicos eorum ante faciem eorum fugiſſe. Tunc Dux *Menumorout*, dimiſſa multitudine militum in caſtro *Byhor*, ipſe cum uxore & filia ſua, fugiens a facie eorum, in nemoribus *Ygfon* habitare cepit. *Uſubuu* & *Velec*, omniſque exercitus eorum læti, contra caſtrum *Byhor* equitare ceperunt, & caſtra metati ſunt juxta fluvium *Jouxas*. Tertio autem die, ordinatis exercitibus, ad caſtrum *Bellarad* egreſſi ſunt, ſicut e converſo, milites congregati ex diverſis nationibus, contra *Uſubuu* & ſuos milites pugnare ceperunt. *Sycli* & *Hungarii*, ictibus ſagittarum multos homines interfecerunt; *Uſubuu* & *Velec*, per baliſtas, centum viginti quinque milites occiderunt, & pugnatum eſt inter eos duodecim dies, & de militibus *Uſubuu*, viginti Hungarii, & quindecim Sycli interfecti ſunt. Tertio decimo die autem, cum *Hungari* & *Sycli* foſſata caſtri impleviſſent, & ſcalas ad murum ponere vellent, milites Ducis *Menumorout*, videntes audaciam *Hungarorum*, ceperunt rogare hos duos principes exercitus, & aperto caſtro, nudis pedibus, ſupplicantes ante faciem *Uſubuu* & *Velec* venerunt. Quibus *Uſubuu* & *Velec* cuſtodiam ponentes, ipſi in caſtrum *Byhor* intraverunt, & multa bona illorum militum inibi invenerunt. Hoc, cum *Menumorout* per nuntios fuga lapſos audiviſſet, irruit in maximum timorem, & miſit nuntios ſuos cum diverſis muneribus ad *Uſubuu* & *Velec*, & rogavit eos, ut ipſi paci faventes, legatos ſuos ad Ducem *Arpad* eundi dimitterent, qui nuntiarent ei: *Quod Menumorout, qui Duci Arpad, primo per legatos proprios, bulgarico corde, ſuperbe mandando, terram cum pugillo ſe daturum negabat, modo per eoſdem nuntios, victus & proſtratus, totum regnum, & Zultæ filio Arpad, filiam ſuam dare non dubituret.* Tunc *Uſubuu* & *Velec* conſilium ejus laudaverunt, & cum legatis ſuis nuntios miſerunt, qui dominum ſuum Ducem *Arpadium*, cauſa pacis rogarent. Qui cum inſulam *Sepel* intraviſſent, & Ducem *Arpad* ſalutaſ-

Digitized by Google

taſſent, ſecunda die legati mandata *Menumorout* dixerunt. Dux vero *Arpad*, inito conſilio ſuorum nobilium, mandata *Menumorout* dilexit, & laudavit. Et dum filiam *Menumorout* ejuſdem ætatis, ut filius ſuus *Zultus*, jam eſſe audiviſſet, petitionem *Menumorout* differre noluit, & filiam ſuam in uxorem *Zultæ* accepit, cum regno ſibi promiſſo. Et miſſis legatis ad *Uſubuu* & *Velec*, mandavit, ut celebratis nuptiis, filiam *Menumorout*, filio ſuo *Zultæ* in uxorem acciperent, & filios incolarum in obſides poſitos ſecum ducerent, & Duci *Menumorout* darent *Byhor* caſtrum.

CAPUT LII.

De Uſubuu & Velec.

Uſubuu & Velec, nec non omnis exercitus, præceptis domini ſui faventes, filiam *Menumorout*, celebratis nuptiis, acceperunt, & filios incolarum in obſides poſitos ſecum duxerunt, & ipſum *Menumorout* in caſtro *Byhor* dimiſerunt. Tunc *Uſubuu* & *Velec*, cum magno honore & gaudio ad Ducem *Arpad* reverſi ſunt. Dux vero & ſui jobagiones obviam eis proceſſerunt, & filiam *Menumorout*, ſicut decet ſponſam tanti Ducis, honorifice ad ducalem domum duxerunt. Dux vero *Arpad*, & omnes ſui primates, celebrantes nuptias, magna fecerunt convivia, & fere quotidie comedebant nuptialiter, cum diverſis millibus circumjacentium regnorum. Et juvenes eorum ludebant ante faciem Ducis & ſuorum nobilium. Dux *Arpad*, accepto juramento Primatum & militum *Hungariæ*, filium ſuum *Zultam* Ducem, cum magno honore elevari fecit. Tunc Dux, *Uſubunec* patri *Zoloucu*, pro ſuo fideliſſimo ſervitio, dedit caſtrum *Bzprem*, cum omnibus appendiciis ſuis, & *Veluquo* dedit *comitatum de Zarand*, & ſic ceteris nobilibus, honores & loca condonavit. *Menumorout*, poſt iſtam cauſam in ſecundo anno, ſine filio mortuus eſt, & regnum ejus, totaliter *Zultæ* genero ſuo, dimiſit in pace. Poſt hæc anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVII. Dux *Arpad* migravit de hoc ſeculo, qui honorifice ſepultus eſt ſupra caput unius parvi fluminis, qui deſcendit per alveum lapideum in civitatem *Athylæ* Regis, ubi etiam poſt converſionem Hungarorum, ædificata eſt *Eccleſia*, quæ vocatur *alba*, ſub honore *Beatæ Mariæ Virginis*.

Digitized by Google

CAPUT LIII.

De Succeſſione Zultæ Ducis.

ET ſucceſſit ei filius ſuus *Zulta*, ſimilis patri moribus, diſſimilis natura. Fuit enim Dux *Zulta* parum blæſus & candidus, capillo molli & flavo, ſtatura mediocri, Dux bellicoſus, animo fortis, ſed in civibus clemens, voce ſuavi, ſed cupidus imperii, quem omnes primates & milites Hungariæ miro modo diligebant. Tranſactis quibuſdam temporibus, Dux *Zulta*, cum eſſet tredecim annorum, omnes primates regni ſui, communi conſilio & pari voluntate, quoſdam rectores regni ſub Duce præfecerunt, qui moderamine juris conſuetudinis, diſſidentium lites contentionesque ſopirent, alios autem conſtituerunt ductores exercitus, cum quibus diverſa regna vaſtarent, quorum nomina hæc fuerunt: *Lelu* filius *Toſu*, *Bulſuu* vir ſanguinis filius *Bogat*, *Bonton* filius *Culpun*, erant enim iſti Viri bellicoſi, & fortes in animo, quorum cura nulla fuit alia, niſi domino ſuo ſubjugare gentes, & devaſtare regna aliorum. Qui accepta licentia a Duce *Zulta*, cum exercitu *Caranthino* decreverunt, & per *Forum Julii* in *Marchiam Lombardiæ* venerunt, ubi civitatem *Paduam*, cædibus & incendiis, & gladio, & rapinis magnis, crudeliter devaſtaverunt. Ex hinc intrantes *Lombardiam*, multa mala facere ceperunt, quorum violentiæ ac belluino furori, cum terræ incolæ in unum agmen conglobatæ reſiſtere conarentur, tunc innumerabilis multitudo *Lombardorum*, per *Hungaros* ictibus ſagittarum periit, quam plurimis Epiſcopis & comitibus trucidatis. Tunc *Lutuardus*, Epiſcopus *Vercellenſis* Eccleſiæ, vir nominatiſſimus, *Caroli minoris*, quondam Imperatoris, familiariſſimus amicus, ac fideliſſimus conſiliarius a ſecreto, hoc audito, aſſumtis ſecum opibus atque incomparabilibus theſauris, quibus ultra, quam æſtimari poteſt, abundabat, cum omnibus votis effugere laboraret eorum cruentam ferocitatem, tunc inſcius ſuper *Hungaros* incidit, & mox ab eis captus interficitur, & theſaurum exiſtimationem humanam tranſcendentem, quem ſecum ferebat, rapuerunt. Eodemque tempore *Stephanus*, frater *Waldonis* comitis, cum in ſeceſſu reſidens, ſuper murum caſtri, in nocturnis alvum purgare vellet, tunc a quodam *Hungaro*, per feneſtram cubiculi ſui, ſagittæ ictu graviter vulneratur, de quo vulnere eadem nocte extinguitur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LIV.

De Devaſtatione Lotharingiæ, Alemanniæ, & Franciæ.

DEinde *Lotharingiam* & *Alemanniam* devaſtaverunt, *Francos* quoque *Orientales*, in confinio *Franconiæ* & *Bavariæ*, multis millibus eorum cæſis, ictibus ſagittarum in turpem fugam converterunt, & omnia bona eorum accipientes, ad Ducem *Zultam* in Hungariam reverſi ſunt.

CAPUT LV.

De morte Lelu & Bulſuu.

POſtea vero anno quinto, regnante *Conrado* Imperatore, *Lelu*, *Bulſu*, *Botond*, inclyti quondam & glorioſiſſimi milites *Zultæ*, Ducis Hungariæ, miſſi a domino ſuo, partes Alemanniæ irruperunt, & multa bona eorum acceperunt. Sed tandem *Bavarorum* & *Allemannorum* nefandis fraudibus, *Lelu* & *Bulſuu* capti ſunt, & juxta fluvium *Hin*, in patibulo ſuſpenſi, occiduntur. *Botondu* & alii *Hungarorum* milites, qui ex eis reſidui fuerant, videntes, ſe malo dolo inimicorum coarctatos, audacter & viriliter ſteterunt, & ab invicem non ſunt alienati, ſed alter alteram partem, menſurando periculum, præcipue ſumſerunt adjuvare, & vulneratorum more leonum, in media arma fremebundi ruentes, hoſtes ſuos graviſſima cæde proſtraverunt. Felix igitur Hungarorum embola, multa periculorum experientia, jam ſecurior & exercitatior, de ipſa continua exercitatione præliorum, viribus & poteſtate præſtantior, totam *Bavariam* & *Alemanniam*, ac *Saxoniam* & *regnum Lotharienſe*, igne & glagio conſumſerunt, & *Erchargenum*, atque *Bertuldum*, duces eorum, decollaverunt. Hinc vero egreſſi, *Franciam* & *Galliam* expugnaverunt, & dum inde victores reverterentur, ex inſidiis *Saxonum* magna ſtrage perierunt, qui autem ex ipſis evaſerunt, ad propria redierunt. Sed de morte *Lelu* & *Bulſuu* aliorumque ſuorum militum, dux *Zulta* & ſui primates non modicum ſunt conturbati, & inimici *Teutonicorum* ſunt facti. Tunc dux *Zulta* & ſui milites, propter illatam injuriam inimicorum, contra eos conſpirare ceperunt, & quolibet modo poſſent eis vices reddere, non tacerent. Sed divina gratia adjuvante, dux

Digitized by Google

Zulta, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXI. genuit filium, quem nominavit *Tocſun*, pulchris oculis & magnis, capilli nigri & molles, comam habebat ut leo, ut in ſequentibus audietis.

CAPUT LVI.

De Inimicis Athonis Regis.

EOdem anno, inimici *Athonis* Regis *Teutonicorum* in necem ejus deteſtabili facinore machinabantur, qui, cum per ſe nihil mali ei facere potuiſſent, auxilium *Hungarorum* rogare ceperunt, quia ſciebant, quod *Hungari* eſſent inſuperabiles in aſſuetis bellorum laboribus, & plurimis Regnis, Deus per eos furoris ſui flagella propinaſſet. Tunc illi inimici *Athonis* Regis *Teutonicorum*, miſerunt nuntios ſuos ad *Zultam* Ducem, virum bellicoſum, & rogaverunt eum dato auro multo, ut adjutorio Hungaro, prædictum *Regem Athonem* invaderent. Dux vero *Zulta*, iracundia ductus, tam pro eorum pace & pretio, quam etiam pro morte *Lelu* & *Bulſuu*, gemebundo pectore miſit exercitum magnum. contra *Athonem* Regem *Teutonicorum*, quibus principes & ductores fecit *Botundium* filium *Cuulpun* & *Zobolſum* filium *Eleud*, nec non *Ircundium* filium *Euſee*. Qui cum egreſſi eſſent a Duce *Zulta*, rurſum *Bavariam*, *Alemanniam* & *Saxoniam*, atque *Thuringiam* in gladio percuſſerunt, & exinde egreſſi in quadrageſima, tranſierunt *Rhenum* fluvium, & Regnum *Lotharienſe* in arcu & ſagittis exterminaverunt, univerſam quoque *Galliam* atrociter affligentes, Eccleſias Dei crudeliter intrantes, ſpoliaverunt. Inde per abrupta *Senonenſium*, per populos *Aliminos*, ferro ſibi viam & gladio aperuerunt. Superatis ergo illis bellicoſiſſimis gentibus, & naturali ſitu locorum tutiſſimis, *montes Senonum* tranſcenderunt, & *Seguſam* ceperunt civitatem. Deinde egreſſi, *Taurinam* civitatem opulentiſſimam expugnaverunt, & poſtquam planam regionem *Lombardiæ* aſpexerunt, totam pene *Italiam*, bonis omnibus affluentem & exuberantem, concitatis curſibus ſpoliaverunt. Deinde vero *Botond* filius *Culpun*, & *Urcun* filius *Euſee*, ſuperatis omnibus gentibus præmemoratis, felici victoria fruentes, ad propria regna revertuntur. Tunc *Hoto* Rex *Teutonicorum*, poſuit inſidias juxta *Rhenum* fluvium, & cum omni robore regni ſui eos invadens, multos ex eis interfecit. *Botond* & *Urcun*, ac reliqui exercitus magis volentes mori in bello, quam appropriatam ſibi victoriam amitterent. Tunc hoſtibus pertinaciter inſiſtunt, & in

eo-

Digitized by Google

eodem bello quendam magnum Ducem, virum nominatiſſimum, interficiunt, & alios graviter vulneratos in fugam convertunt, quorum ſpolia diripiunt, & exinde ad propria redeunt regna, cum magna victoria. Et cum *Botond* & *Urcun*, in terram *Pannoniæ* læti reverterentur, tunc *Botond* longo labore belli fatigatus, miro modo infirmari cepit, e luce migravit, & ſepultus eſt prope fluvium *Vereucea*. Sed iſtud notum ſit omnibus ſcire volentibus, quod milites Hungarorum, hæc & alia hujuſmodi bella, uſque ad tempora *Tocſun* Ducis geſſerunt.

CAPUT LVII.

De Conſtitutione Regni.

DUx vero *Zulta*, poſt reverſionem militum ſuorum, fixit metas Regni *Hungariæ*. Ex parte *Græcorum*, uſque ad portam *Wacil*, & uſque ad terram *Racy*. Ab occidente uſque ad mare, ubi eſt *Spaletina* civitas; & ex parte *Teutonicorum*, uſque ad pontem *Guncil*, & in eiſdem partibus dedit caſtrum conſtruere *Ruthenis*; qui cum *Almo* duce, avo ſuo, in *Pannoniam* venerant; & in eodem confinio ultra lutum *Muſun*, collocavit etiam *Biſſenos* non paucos habitare, pro defenſione regni ſui, ut ne aliquando in poſterum furibundi *Teutonici*, propter injuriam ſibi illatam, fines *Hungarorum* devaſtare poſſent. Ex parte vero *Boemorum*, fixit metas uſque ad fluvium *Moroa*, ſub tali conditione, ut Dux eorum annuatim tributa perſolveret duci *Hungariæ*, & eodem modo ex parte *Polonorum*, uſque ad montem *Tatur*, ſicut primo fecerat regni metam *Borſu* filius *Bunger*. Et dum Dux *Zulta* & ſui milites, ita radicati eſſent, tunc Dux *Zulta* duxit filio *Tocſun* uxorem, de terra *Cumanorum*, & ipſo vivente accepit juramenta ſuorum nobilium, & filium ſuum *Tocſun* fecit Ducem ac Dominatorem, ſuper totum Regnum *Hungariæ*. Et ipſe Dux *Zulta*, tertio anno regni ſui filii, de ergaſtulo corporis viam univerſæ carnis egreſſus eſt. *Tocſun* vero Dux, cum omnibus primatibus *Hungariæ*, potenter & pacifice, per omnes dies vitæ ſuæ, obtinuit omnia jura regni ſui. Et audita pietate ipſius, multi hoſpites confluebant ad eum, ex diverſis nationibus. Nam de terra *Bular*, venerunt quidam nobiliſſimi Domini, cum magna multitudine *Hiſmahelitarum*, quorum nomina fuerunt: *Billa* & *Bocſu*, quibus dux per di-

Digitized by Google

verſa loca *Hungarorum*, condonavit terras, & inſuper caſtrum, quod dicitur *Peſt*, in perpetuum conceſſit. *Billa* vero & frater ejus *Bocſu*, a quorum progenie *Ethey* deſcendit, inito conſilio, de populo ſecum ducto, duas partes ad ſervitium prædicti caſtri conceſſerunt, tertiam vero partem ſuis poſteris dimiſerunt. Et eodem tempore, de eadem regione, venit quidam nobiliſſimus miles, nomine *Heten*, cui etiam Dux, terras & alias poſſeſſiones non modicas, condonavit. Dux vero *Tocſum* genuit filium nomine *Geyſam*, quintum Ducem *Hungariæ*. Et in eodem tempore, de terra *Byſſenorum* venit quidam miles, de Ducali progenie, cujus nomen fuit *Thomizoba*, pater *Urcund*, a quo deſcendit genus *Thomoy*, cui Dux *Tocſun* dedit terram habitandi, in partibus *Remey*, uſque ad *Thiſciam*, ubi nunc eſt portus *Obad*. Sed iſte *Thomizoba* vixit uſque ad tempora S. Regis *Stephani*, nepotis Ducis *Tocſun*. Et dum beatus Rex *Stephanus* verba vitæ prædicaret, & *Hungaros* baptizaret, tunc *Thomizoba* in fide vanus, noluit eſſe chriſtianus, ſed cum uxore *Vivuros*, ad portum *Obad* eſt ſepultus, ut ne baptizando ipſe & uxor ſua, viverent cum Chriſto in æternum, ſed *Urcun* filius ſuus chriſtianus factus, vivit cum Chriſto in perpetuum.

II.

Digitized by Google

II. JOANNIS DE THWRÓCZ
CHRONICA HUNGARORUM

AB ORIGINE GENTIS, INSERTA SIMUL CHRONICA

JOANNIS ARCHIDIACONI DE KIKULLEW,

ad annum usque Christi MCCCCLXIV. & ultra perducta; nunc ad fidem duarum Editionum, Brunnensis nimirum & Augustanæ de anno MCCCCLXXXVIII. Nec non M. S. Codicis Membranacei Bibliothecæ Augustæ Vindobonensis recognita, aucta & emendata, sparsisque quibusdam notis ac plurimis variantibus lectionibus, ex Budensi quoque Chronico antiquo illustrata

A IOANNE GEORGIO SCHWANDTNERO

AUSTRIACO STADELKIRCHENSI.

AD EGREGIUM

DOMINUM

THOMAM DE DRAG,

Personalis Præsentiæ Serenissimi Principis Domini Mathiæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis, Austriæque Ducis, Cancellarium.

PRÆFATIO

MACISTRI JOANNIS DE THWRÓCZ,

In primum librum Chronicæ Hungarorum feliciter incipit.

JUgi otio his annis nobis æque simul torpentibus, varii rerum ordines cum occurrissent, suaves interdum lites, media inter colloquia surrexere, & levia disputationum jurgia sæpius emersérunt. Dum de primævis Hungaricæ natio-

Digitized by Google

tionis rebus, deque parte mundi, quæ Hungaros aut germinavit, aut in hanc regionem, quæ antiquitus Pannonia, nunc vero Hungaris ab eiſdem Hungaria dicta eſt, fudit, variis utamur ſententiis; experiendi tandem gratia placuit, dudum ſuper his rebus contextas revolvere hiſtorias. Quas equidem dum diligenti lectione perluſtravimus, multa in eiſdem de parte mundi Scythica, unde & Hungari emerſiſſe perhibentur, aut omiſſa aut neglecta, ſeorſumque ab aliorum auctorum poſitionibus conſcripta apparebant. Enimvero, & magni regis Athylæ geſtarum gloria rerum, ſtyli parvitate comprehenſa, digno laudum præconio non minus quaſi ſubdicere videbatur. Nec crimine de hoc, Hungarorum vetuſtas arguenda eſt, quod ſuarum memoriam rerum, altum oblivionis in pelagus defluere permiſit. Hoc genus hominum, ipſarum ætate rerum, armorum potius ſtrepitu, quam literarum ſcientia ſeſe exercitabat. Nam & hoc noſtro ævo, pars nationis ejuſdem quædam, Tranſilvanis regni poſita in oris, characteres quoſdam ligno ſculpit, & talis ſculpturæ uſu literarum ad inſtar vivit. Externarum nationum invidiam, exactis per ipſum Athylam Regem victoriis, condignum præconii ſubtraxiſſe ſtylum, & eidem Regi Athylæ gloriam Imperialis nominis demſiſſe puto, neque per ipſum geſtarum rerum in decus, quidpiam, præterquam illatas per ipſum eis miſerias, planctuoſi carminis adinſtar, ſcripſiſſe inveniuntur. Unde Paulus Oroſius, ſuarum ultimo libro hiſtoriarum, Hunnorum de eruptione mentionem faciens, *tredecimo*, inquit, *anno imperii Valentis, radix illa miſeriarum noſtrarum, copioſiſſimos ſimul frutices germinavit.* Et Antoninus Florentinus Archiepiſcopus, in ſecunda parte ſui chronici operis, *ipſa*, ait, *gentis barbaries me ſilere faceret, niſi illud famoſum Gallia-*

Digitized by Google

liarum & Italiarum excidium, me loqui cogeret: nemo mundanam, miseria absque aliena, adeptus est gloriam. Ninus Assyriorum rex, regna quod in aliena violentas injecit manus, universarum originem historiarum peperit. Et nisi quondam Agamemnon Græcorum Imperator, Trojanum Ilion evertisset; Magnus quoque Alexander tristibus armis orbem vastasset, illorum nomina pariter cum corporibus cecidissent. Scythicas igitur partes, Regis quoque Athylæ ævum, ingentium facinorum præ magnitudine, immortalitate dignum, ampliori stylo ut describerem, simulque & subsequentium Hungariæ Regum historias, olim editas percursitarem, & in illis, si quid negligentia Scriptorum vitiasset, castigarem, tuis animatus persuasionibus, rem meis viribus haud parem, aggredi præsumsi. Dulce enim tuum & admodum delectabile eloquium me vicit: quamvis tantarum magnitudo rerum, majori sit digna vate, tua tamen persuasio, cum erga me vim habeat mandati, tibique nondum persuadenti paruerim, persuadenti eo magis omnem vim meam dedicavi. Enimvero, in præsumente, ut arbitror, hæc præsumtio, invidia auctrice, ludibrium pariet, & lingua, quæ parcere scit nemini, in detractionem illius dissolvetur. Noscimus, inquient hunc hominem. Verum quidem juxta Evangelicam lectionem, nullum sua acceptat patria, cum tamen rebus in his ex me fecerim nihil, veteres in omnibus secutus sum historias, & sententias auctorum transgressus sum in nullo. Partes quidem Scythiæ, & illarum situm, Athylæ quoque Regis gesta, pluribus chronicis operibus eapropter indagatis, stylo paulo ampliori, quam priores Hungaricarum historiarum effecerant auctores, illorum undique positiones intermiscendo, conscribere, ac ceterorum Divorum Hungariæ Regum histo-

Digitized by Google

rias, debilis mei operis infra limites, puta, quondam Caroli Regis nequiter interfecti, miſerabile uſque ad carmen, quantum mei eſt ingenii, diligenter caſtigare curavi, altiusque iſtud alta me juvent ordinare Numina cœli. Tu quoque ſuſcipe nautam, altas pelagi voragines, abſque temone temperieque ratis, ac remigis officio, tua ad deſideria ſulcantem. Suſcipe, inquam, tuæ tantum voluntati ſatisfacere volentem, & ſuſcipe me, non ex me, ſed ex veterum has res deſcribentium voluminibus auctorum, gratum velut florem, viridibus lectum de ceſpitibus, tuæ offerentem dominationi. Vale.

Digitized by Google

SOLILOQUIUM.

OLim antiqua auctorum vetuſtas, Hunnorum ſive Hungarorum diverſimode originem deſcripſiſſe invenitur, quibus tam modernorum, quam præteritorum temporum homines, diverſos ſenſus accommodantes, non parva in hac re diſcrepatione diſſentiunt. Duo enim volumina chronici operis, propaginem ſimiliterque & gẽſta illorum elucidantia, a ceteris auctoribus, ac etiam in ſeipſis, maxime in declaratione illorum germinis, diſſidentia, temporibus quondam Divorum Caroli & Ludovici Hungariæ Regum, ut dici præſumitur, edita reperiuntur; quorum alterum ſuper libro Geneſis decimo, alterum ſuper undecimo, capitulis ſuas fundaverunt origines. Cum autem huic, quod poſt diluvii vindictam, univerſa caro, a Noe & ejus filiis, puta Sem, Cham, & Japhet, novam receperit generationem, univerſalis Chriſtianæ religionis natio cedat; alienarum propter Hungaricam, quod voluminibus in eiſdem declaraverunt generationem, ſuperfluitati potius, quam neceſſitati, adſcribi debere dignoſcitur. Unde, ne ipſe ex ſe huic operi quidpiam addidiſſe reprehendar, illorum ſequens voluminum auctores, meis propoſitis idem principium pono.

Digitized by Google

PARS PRIMA
CHRONICÆ HUNGARORUM

De Hunnorum Origine, & Primo Ingreſſu in Pannoniam, ceteriſque eorum rebus geſtis.

CAPUT I.

Exordium Narrationis in Primam Partem Chronicæ Hungarorum.

HAe ſunt generationes Noe & filiorum illius, Sem, Cham, & Japhet: de quibus poſt diluvii cladem, LXX. duæ generationes, puta de Sem, XXVII. de Cham, XXX. & de Japhet, XV. proceſſiſſe perhibentur. Hæ generationes diſſeminatæ ſunt in orbe terrarum, & ſecundum quoſdam Sem, Aſiam; Cham, Africam; & Japhet, Europam, ſortiti ſunt. Secundum vero Hieronymum de Hebraicis quæſtionibus, nec non & Joſephum, filii Japhet poſſediſſe dicuntur ſeptentrionalem regionem, a Tauro & Imao, montibus Scythiæ, uſque ad fluvium Tanaim, qui eandem mediam ſcindit. Unde primus filius Japhet Gomer, a quo nominati ſunt Galatæ, poſtea Galli, quos noſtra ætas a quodam Francone 1), filio olim Paridis filii Priami, ultimi regis Trojanorum, Duce videlicet eorum denominatos, Francos vocat. Hic Franco, poſt Trojanæ urbis excidium, in *Pannoniam*, quæ olim Magni Alexandri ævo, *ſuperior Græcia* vocabatur, magno cum populo veniſſe, & ſub monte *Sycan* 2), ſecus fluvium Iſtrum 3), qui & Danubius dicitur, civitatem ampliſſimam ædificaſſe, & illi nomen a monte Sycan prædicto, *Sycambriam* impoſuiſſe, & tandem orientalium metu nationum, abinde ad partes occidentales declinaſſe, & regionem circa fluvium Sycana 4) occupaſſe, illamque a præfato Francone Duce eorum, Franciam appellaſſe, & regione in eadem

(1) M. S. Hung. Chr. illum *Francionem* appellat. (2) Ibidem *Sycan* legitur. (3) Idem habet: *qui alamanice Dun nominatur.* (4) In eodem, *Sakana*, per quem ſine dubio *Sequana* hodiernus Galliæ fluvius intelligitur.

Digitized by Google

dem civitatem condidiſſe, & illam in memoriam paterni nominis Paris denominaſſe, traditur. Secundus filius Japhet Magog, a quo deſcenderunt Scythæ, ſecundum ſanctum Hieronymum, & Madai, a quo dicti ſunt Medi; Javan, a quo Græci; & Tubal, a quo deſcenderunt Hiſpani; & Moſoch, a quo derivati ſunt Cappadoces, unde & nunc habent civitatem nomine Maſechab 1); & Thyras, a quo nominati ſunt Thraces. Gomer autem genuit Aſſenes 2), a quo Trojani. Javan genuit Eliſa, a quo Eliſæi, & poſtea Aeolides; & Tharſis, a quo Cilices deſcendiſſe perhibentur, nunc civitas illorum metropolis, hoc vocabulo Tharſis denominatur. In hac civitate natus fuit Beatus Paulus Apoſtolus, prout habetur in Actibus Apoſtolorum capitulo XXI. Et ſubdens Beatus Hieronymus, *ab his*, inquit, *diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam & familias ſuas in nationibus ſuis.* Quod dictum ipſe Beatus Hieronymus anticipaſſe invenitur, nam hoc poſtea, tempore confuſionis linguarum actum eſt. Filii autem Cham, Chus, a quo & Aethiopes, unde in Hebræo Aethiopes, Chus nominantur; & Meſraim, a quo Aegyptii, in Hebræo enim Aegyptus Meſraim dicitur; Phuth, a quo Phuthei, eſt enim in illorum regione fluvius quidam, qui etiam modo Phuth vocitatur; & Chanaan, a quo dicti ſunt Chananæi, quorum terra poſtea filiis Iſrael data fuit. Filii autem Chus, Saba, a quo Sabæi; Evila, a quo Gentiles; & Sabatha, a quo Sabatheni proceſſiſſe perhibentur. Ex his poſtea, propter longi ævi irreminiſcibilem vetuſtatem, mutata ſunt plurima, paucaque in ſe vel in ſibi ſimili aut propinquo permanſerunt. Et iterum ſubjungit Beatus Hieronymus: *porro Chus genuit Nemroth.* Iſte Nemroth fuit, qui induxit poſteritatem Noe ad ædificandum turrim & civitatem, contra Dominum. Unde Joſephus in libro de antiquitatibus rerum: *dum*, inquit, *præſcriptæ tribus, Sem, Cham, & Japhet, una & eadem Hebraica uterentur lingua, ducenteſimo primo poſt diluvium anno, Nemroth Gigas cepit turrim conſtruere, cum omni cognatione ſua, periculum diluvii attendendo*: ut ſi contingeret diluvium iterari, turris in refugio, ultionis evadere poſſent judicium. Divini tamen judicii ſententia, cui humanus non valet reſiſtere intellectus, ſic illorum mutavit & confudit loquelam, ut proximus a proximo non intelligeretur, tandemque opere non conſummato, in diverſas diſperſi ſunt regiones Hanc grandem & cunctis ſeculis admirandam turris ædificationem, alii inter Nubiam & Aegyptum fuiſſe,

(1) M. S. *Mazecab.* Edit. Brun. *Meſechab.* (2) M. S. & Edit. Brun. *Aſſenech.*

Digitized by Google

ac illius antiqualia, per hos, qui a Memphis in Alexandriam irent, uſque hodie cerni; alii vero in Chaldæa ad flumen Euphraten, illo videlicet in loco, ubi poſtea multas poſt ætates, Semiramis, cunctarum famoſiſſima Reginarum, urbem illam celeberrimam Babylonem, primi imperii genitricem condidit, extitiſſe, & a Babel turri, quondam propter confuſionem linguarum denominata, non tantum ſolam civitatem, ſed & Chaldæam ipſam, totamque Aſſyriam & Meſopotamiam magnam, propter Imperatorum illam inhabitantium facinorum gloriam, Babylonis nomen accepiſſe, tradunt. Multa & admiratione digna, hujus urbis de conditione & ædificio, Etheſius & Clitharcus, item Herodotus, nec non Diodorus Siculus ſcripſere: quæ poſtmodum, per quoſdam, turri prænotatæ appropriata invenientur. In uno enim dictorum duorum voluminum Joſephum referre poſuerunt, quod Nemroth in turri ipſa, ex auro puriſſimo Deorum feciſſet templa: palatia ex lapidibus pretioſis ædificaſſet; & columnas aureas in illis erexiſſet; plateaſque illius diverſi coloris lapidibus pavimentaſſet, cui haud adhibenda eſt fides. Nam poſt non diu tunc præteritum univerſale diluvium, nondum tantum auri in uſu fuiſſe credi poteſt, quod de illo & templa ædificari, & columnæ erigi potuiſſent: & nec tunc Deorum erat cultus, quibus ipſa templa ædificari debuiſſent, cum multa poſt ſecula, rex Aſſyriorum Ninus, defuncto Belo Rege patre ſuo, in illius memoriam, & pro ſui conſolatione, ex auro patri ſimile feciſſe ſimulacrum, illudque tam ipſe coluiſſe, quam etiam cunctum ſui regni per populum coli mandaſſe; & non poſt multum temporis, in illud ſimulacrum immundum ſpiritum intraſſe, & petentibus reſponſa exhibuiſſe, exindeque cunctam idololatriæ perniciem originem cepiſſe, multæ doceant ſcripturæ. Tandem ſequitur: *Et turris ipſa in quadrum ſublevabatur ab uno angulo in alium;* habens longitudinis paſſuum mille XV. latitudinis totidem, quantitas vero altitudinis nondum finita erat, ſed illorum propoſito, lunarem uſque ad circulum ſublevari debebat. Groſſitudo autem fundamenti trecentorum erat paſſuum: paulatim quidem ſublevando arctabatur, ut præeminens pondus groſſitudo fundamenti levius ſuſtineret. Et rurſus in Geneſi, capitulo ubi ſupra, dicitur: *Ipſe*, videlicet Nemroth, *cepit eſſe potens in terra.* Nam per potentiam alios ſibi ſubjugabat, & ad turris opus nolentes compellebat, & ideo ſubjungitur: *& erat robuſtus venator*, id eſt, oppreſſor hominum coram Domino, & exinde proverbium illud exivit: *quaſi Nemroth.* Dum enim poſtea aliquis oppreſſor hominum videbatur, dicebatur alter Nemroth, vel ſimilis Nemroth. Fuit autem ſecundum ſanctum Hieronymum, initium regni ejus Babylon, & in terra Sennaar.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Generationis Hunnorum, ſive Hungarorum Origine.

Hunc *Nemroth*, quidam voluerunt *Hunnorum* ſive *Hungarorum* fuiſſe protoparentem. Nam in uno dictorum voluminum poſitum eſt, quod Nemroth gigas, poſt linguarum confuſionem, in terra Evilath, quæ nunc Perſida vocatur, intraſſet, & ibi ex conjuge ſua, *Enech* (1) vocitata, duos generaſſet filios, quorum alter *Hunor*, alter vero *Magor* denominati extitiſſent: ex quibus tandem univerſi Hunni ſive Hungari, ipſorum generationis recepiſſent propaginem. Dicitur etiam, quod idem Nemroth plures, præter Enech, uxores habuiſſet, ex quibus præter Hunor & Magor plures filios procreaſſet, hi & eorundem poſteritates, Perſidem regionem prædictam inhabitarent, ſtatura & colore ſimiles Hunnis, tantummodo in loquela, velut Saxones & Turingi, modicum differentes. In altero autem voluminum prædictorum ſubditur, quod Hunor & Magor, patres Hunnorum ſive Hungarorum, non fuiſſent filii Nemroth, qui fuit filius Chus, qui fuit Cham, qui fuit a Noe genitore ſuo maledictus; tum ex eo, quia ipſe Nemroth nunquam juxta fluvium Tanaim habitaſſet, tum vero, quia, ut ſupra dictum eſt, a Magog filio Japhet deſcendiſſent Scythæ, &c. Nam ſubditur ibidem: *Ergo, ut ſacra Scriptura & ſancti doctores dicunt, Hungari deſcenderunt a Magog filio Japhet, qui poſt diluvium anno 58. prout S. Sigilbertus Epiſcopus Antiochenus in Chronica orientalium nationum refert, intravit terram Evilath, & ex conjuge ſua Enech, genuit Hunor & Magor ſupradictos, a quibus Hunni & Magyari generati & denominati fuiſſent.*

CAPUT III.

De eodem Tractatu.

Antoninus autem Florentinus Archiepiſcopus, de quo ſuperius mentionem me feciſſe, recolo, Sigilbertum & Vincentium ſequens, in ſecunda ſui chronici operis parte, *Hunnorum* originem, in antiquorum hiſtoriis ſe ſic legiſſe ponit.

(1) M. S. *Evee.*

Digitized by Google

ponit. *Silimer*, inquit, *rex Gothorum, alias Getharum, filius magni Gaderici, poſt egreſſum Sycantiæ inſulæ Scythiæ, jam quinto loco tenens principatum, cum terras Scythiæ cum ſua gente intraſſet, quasdam magas mulieres in populo reperiſſet, quas ſermone Gethico alirumnas vocaſſent, easque habens ſuſpectas, de medio ſui proturbaſſet, longeque ab exercitu ſuo fugatas, in ſolitudine coegiſſet errare. Quas tandem ſilveſtres homines, (quos nonnulli faunos ficarios vocant; quod genus, quondam ſancto Antonio, cum eremi pervagabatur ſolitudinem, obviaſſe legitur,) cum deſerti per devia errare vidiſſent, in illarum amplexus pariterque & coitum ſe commiſcuiſſent. Exhincque, hoc ferociſſimum ac pavendum & terribile hominum genus edidiſſent, quod primum inter Meotidas paludes fuiſſet. Cumque in gentem crevi:ſent, mox in vicinorum agros ſe ingerentes, vaſtitates edidiſſent, obſtantesque, quos forſitan ferro non ſuperaſſent, ſui vultus terribilitate fugaſſent, qui & in pignora ſua, prima die nata, deſæviſſent. Nam maribus ferro genas ſecaſſent, ut antequam ſuavia lactis nutrimenta perciperent, vulneris cogerentur ſubire tolerantiam. Tali ergo*, inquit, *ſtirpe procreati Hunni, exigui quidem forma, ſed arguti, moribus expediti, ad equitandum promtiſſimi, ſcapulis lati, ac arcus ſagittasque tractare parati, cervicibus firmi, & ſuperbia ſupererecti, cunctis vicinis gentibus, horrori pariter & formidini erant.* Hæc Antoninus. Jordanus autem & quidam alii, *Hunno*, ab incubis dæmonibus & quibusdam mulieribus, originem ſumſiſſe dixere. Invidia auctrice, Jordanus hac ducitur ſententia. Nam cum Gothorum de genere, quos Hungari propriis expulere de ſedibus, ſuam ducat originem: progenitorum injuriam præ corde ferens, hoc opprobrio, Hunnorum affeciſſe generationem, credi poteſt. Sacra etiam hanc ſententiam reprobat Scriptura. Cum Evangelicæ lectiones, noſtrum canant protuliſſe Salvatorem: *quod enim*, inquit, *eſt de carne, caro eſt: quod autem de ſpiritu eſt, ſpiritus eſt.* Et rurſus: *Spiritus carnem & oſſa non habet.* Contrarium igitur veritati & erroneum eſt, credere, quod ſpiritus, quibus naturalia, quæ vim & officium habent generandi, conceſſa non ſunt, generare poſſent. Diodorus vero Siculus, Scytharum gentem, apud Araxim flumen originem habuiſſe, parvamque ab initio, ac modicæ terræ cultricem fuiſſe: deinde Regem nactam potentem & bellicoſum, ac militari virtute præcipuum, patriam ampliaſſe, montanam, uſque ad Caucaſum; campeſtrem vero uſque ad oceanum Scythicum, & paludem Meotidem, flumenque Tanaim, ſui hiſtorici laboris tertio in libro poſuit. Et tam ipſe Diodorus ibidem, quam Herodotus in ſua Chronica libro quarto, fabulam inducunt quandam, dicentes: Quod cum olim *Hercules*, prior illo, qui poſtmodum res Trojanas turbavit, Geryonis vaccas cuſtodiviſſet, & in terram, quam nunc Scythiam vocant, tunc omnino deſertam, deveniſſet; deprehenſus

tan-

Digitized by Google

tandem vehementi pluvia & gelu, ſubſtrata ſibi pelle leonina obdormiviſſet: interim autem, equæ illius a curru per paſcua errantes, diſparuiſſent. Qui expergefactus, omnem illam regionem perluſtrans, easdem non inveniſſet; ultimatim, cum in terram quandam, quæ *Hylea* dicitur, deveniſſent, ibidem quandam virginem de tellure natam, ancipitis naturæ, humanæ videlicet ac ſerpentinæ, ſupra femora quidem fæminam, inferius autem viperam, reperiſſet, eamque conſpicatus atque admiratus, ſi alicubi ſuas vidiſſet equas, interrogaſſet: illa, ſe eaſdem ſcire, ſed interim donec cum ipſa concumberet, ipſas ſibi reddere nolle, reſpondiſſet. Hercules igitur, ſub ea mercede cum illa concubuiſſet. Illa vero, cum Hercule ampliori cupiens uti concubitu, eidem equas non reſtituiſſet, donec ab illo ſe gravidam comperiſſet. Tandem reſtitutis Herculi equis, mulier illi dixiſſet: *Has ego tibi equas, quæ huc venerant, ſervavi: tu quidem mihi ſerva jus, cum illarum præmium perſolviſti. Concepi enim ex te filios tres, qui, ubi nati fuerint & adoleverint, de illis quid fim factura, mihi dicito: an hic debeant habere domicilium? ipſa enim hujus regionis teneo imperium; an illos ad te mittere debeam, qui pater illorum es.* Cui Hercules arcum unum, duos enim deferebat, ac baltheum, ad cujus commiſſuram aurea dependebat phiala, dediſſet, & antequam illi hæc dona aſſignaſſet, arcum detendiſſet, & baltheo ſe præcinxiſſet, dixiſſetque illi: *Quem illorum, hunc arcum ita tendentem, & hoc baltheo ſicut me præcinctum videris, eum tu regionis iſtius incolam effice; qui autem his operibus, quæ ipſi præcipio, impar erit, illum ablegabis.* His igitur dictis, Hercules abiſſet. Poſt hoc, enixa mulier illa, filiis, uni *Agathirſo*, alteri *Gelono*, noviſſimo autem *Scytha*, nomina impoſuiſſet. Qui, cum in virilem adoleviſſent ætatem, mulier ipſa mandatorum memor, ea, quæ ſibi injuncta erant, peregiſſet, & filiis tentatis, ultimum, puta Scytham, paternis præceptis æquatum fore comperiſſet: quare duobus, Agathirſo videlicet & Gelono ablegatis, Scytham ſui regni hæredem conſtituiſſet, a quo tandem, tum populi, tumque Reges Scytharum proceſſiſſent, ipſaque regio nomen accepiſſet. Item Trogus Pompejus, Scythas cum Ægyptiis, tanquam homines gentiles, qui ſemper mundum ſine initio ſtetiſſe putarunt, de generis vetuſtate contendiſſe fatur. Dixere enim Ægyptii: terrarum quidem, alia ſolis premitur ardore; alia vero frigoris algore riget in tantum, ut ne quidem homines vel animantia generare poſſet, verum & advenas necat: Ægyptus vero, adeo æris beneficio foret temperata, quod nec æſtivi ſolis ardores, neque hyemalia frigora, illius offenderent incolas. Præterea Ægypti tam fœcundus eſſet ager, quod in procreatione alimentorum, illa terra feracior eſſet nulla; unde de jure, homines prius natos ibi videri debere, ubi facilius educari poſſunt.

Digitized by Google

Econtra Scythæ reſpondiſſent, quod cœli temperamentum, propoſitæ quæſtioni nullo argumento foret, quippe cum primum natura, caloris & frigoris incrementa, regionibus diviſit, ſtatim ad locorum auræ tolerantiam, quæque animalia generavit. Unde & ſalamandram ignis, & certos vermes anima vitali vegetantes, antiquæ nives gignere pariter & nutrire perhibentur; eodem modo, arborum atque frugum varietates, pro regionum conditione natura produxit. Quanto enim Scythis aura eſt aſperior quam Ægyptiis, tanto & corpora & ingenia Scytharum ſunt duriora. Ceterum, ſi mundi primordia, vel aquarum illuvies tenuit; vel ignis (qui & mundum genuiſſe credebatur) poſſedit; utrumque Scythis potius priorem præſtare originem potuerunt. Nam ſi ignis primas res poſſedit, nonne paulatim extinctus, ſeptentrionali agro, qui ſupra omnes terras hiberno frigore alget, aeris temperiem dedit: Ægyptus vero, & totus oriens, qui & nunc torrenti ſolis calore æſtuant, poſt extinctum primævi ignis ardorem, tardiſſime temperamentum aeris recepere. Si vero aquarum inundatio omnes terras ſubmerſit, profecto decurrentibus aquis, altior terrarum pars, prius detecta fuit, humilibus autem terræ in partibus, aqua diutiſſime morata eſt, & quanto prior quæque pars terrarum, aut ab igne liberata, aut ab aquis ſiccata ſit, tanto prius animalia generare cepit. Porro, Scythia adeo altior omnibus terris eſt, ut cuncta flumina ibi nata, in mare Meoticum, deinde in Ponticum, & deinde in Ægyptium, decurrant. Ægyptus vero, ſi ab aquarum in eam per vim decurrentium incurſibus, multis molibus aggerum munita non fuiſſet, coli aliter, niſi excluſis Nili fluctibus, non valuiſſet. His igitur argumentis ſuperati Ægyptii, Scythæ antiquiores viſi fuere.

CAPUT IV.

Continuatio Narrationis.

Qualicunque a cardine ortus, Hunni ſive Hungari proceſſerint: præclarum tamen illorum laudis præconium, lata mundi per climata, præ geſtarum magnitudine rerum, longe diffuſum; illos & Catholicam fidem non minus amplecti, probitatis titulo fulgere, grataque vigere morum honeſtate; tum vero militari præſtantia, & armorum virtute, ceteras nationes longe evadere, ubique clamat. Ex hac generatione, nedum Reges, verum etiam & plebejæ conditionis homines, catalogo Sanctorum adſcripti, ſe ſuper æthera conſcendiſſe lætantur.

Digitized by Google

tur. Nec ille magnus Athyla, ſuam quomodocunque deprehendi poteſt negle-xiſſe nationem. Nonne nepotem magni Nemroth, ſuo in titulo ſe ſcripſiſſe invenitur? & in ſecundo libro chronici operis Hungaricarum rerum, dum de illorum ſecundo tractatur ingreſſu, ipſi Hungari, ſuæ originis propaginem, per generationis lineam, ad magnum Nemroth deduxiſſe reperiuntur. A Magog vero, filio Japhet, Scythas, qui prius Hetæ, poſtea Gothi ſunt vocati, quos Hunni propriis expulere ſedibus, ut infra dicetur, tum Iſidori documento, tum vero certis ad id accedentibus ſcripturis, proceſſiſſe, negari non poteſt. Unde ipſarum Hungaricarum Chronicarum in primordiis ſequitur: dum enim *Hunor* & *Magor* Nemroth eſſent primogeniti, a patre eorum ſeparatim in tabernaculis habitabant. Accidit tandem, una dierum cum venandi cauſa ad campum proceſſiſſent, & illis in deſerto una cerva occurriſſet, quam cum fugientem inſequentes, in paludes Meotidas deveniſſent, & cerva eadem, in crebris ſilvarum ſaltibus evanuiſſet, ipſi eandem diutius perquiſitam, potuerunt invenire minime. Peragratis tandem paludibus eiſdem, cum illas armentorum pro paſcuis optimas fore conſpexiſſent, redeuntes ad patrem, ab ipſo licentia impetrata, cum omnibus ipſorum rebus, in ipſas *paludes Meotides* intraverunt, ibidem moraturi. Hanc paludem regionem eſſe, & Perſidæ provinciæ vicinam fore; pontoque illam in gyro vallari; unum tantum vadum habere; aditumque illic & exitum difficilem præbere; herbis, ſilvis, piſcibus, volucribus & beſtiis abundare, in Chronica poſuere Hungarica. Dionyſius autem, paludem hanc matrem Ponti appellavit. Multas enim famoſiſſimorum amnium aquas, in illam devehi, ac tandem eaſdem, ipſam paludem in mare Ponticum emittere, dicit. Paludes ergo Meotidas, Hunor & Magor adeuntes, quinque annis ibidem immobiliter permanſerunt. Anno vero ſexto exeuntes, dum per deſertum vagarentur, ſonitum ſymphoniæ audierunt, & ſcrutinii gratia ulterius procedentes, uxores ac filias *Bereka*, ſine maribus in tabernaculis manentes, ac feſtum *Tubæ* colentes, & choreas ducentes, caſu repererunt; quas celeri rapina comprehenſas, ſimul cum earum rebus, in paludes Meotidas deduxerunt. Contingit autem, eoſdem in hac rapina, inter ceteras, *Dulæ* principis Alanorum, duas filias virgines, forma præclaras comprehendere; quarum unam Hunor, alteram Magor in uxores receperunt, ex quibus mulieribus tandem omnes Hunni, ſive Hungari originem ſumſiſſe perhibentur, & hanc quidem rapinam, cunctarum prædarum primam nonnulli fuiſſe dixere. Factum eſt autem, cum diutius paludibus in eiſdem permanſiſſent, in gentem creverunt validiſſimam: ita quod palus ipſa eoſdem capere, ac eiſdem nutrimentorum alimenta præſtare nequiret. Subtiliſſima igitur

Digitized by Google

quadam aſtutiæ calliditate excogitata, in Scythiam ipſis vicinam exploratores deſtinaverunt. Qui redeuntes, cum terram Scythiæ amplam, pro armentiſque paſcendis valentem eſſe dixiſſent, mox cum omni generatione, ac rebus & armentis ipſorum, illam intraverunt, ibidemque quoſdam *Alproſuros* (1), quos in prioribus Chronicis Hungarorum, nunc *Ruthenos* vocari, ſcripſerunt, inveniſſe perhibentur. Deletis igitur eiſdem & expulſis, ac ſub jugum redactis, regnum illud, invitis vicinis, poſſidere dicuntur uſque in hunc diem. Antoninus vero Florentinus Archiepiſcopus, Hunnos ad limites Meotidis paludis habitaſſe affirmat. Dicit enim, quod cum venatores Hunnorum, ſequentes veſtigia cervi, per paludem Meotidam, quam prius inviam eſſe putabant, tranſiviſſent, & Scythicam regionem diligenter exploraſſent, ac, quidquid ibidem vidiſſent, Hunnis omnia nuntiaſſent, & ad tranſeundum ipſas paludes eos animaſſent, tunc Hunni, horum venatorum ductu, paludibus ipſis pertranſitis, velut quidam turbo, Gothis, in ipſa Scythia manentibus, incubuiſſent, ac eos, qui ceteris imperabant & præeminebant, bello victos, de propriis ſedibus expuliſſent. Paulus Oroſius etiam, ut in præſentis opuſculi proemio dictum eſt, in ſuarum hiſtoriarum libro ultimo, de Gothorum expulſione mentionem faciens: *gens*, inquit, *Hunnorum, diu inacceſſis ſecluſa montibus, erumpens, repentina rabie percita, exarſit in Gothos, eoſque ſparſim conturbatos, ab antiquis ſedibus expulit.* Multa & varia de his Gothis, in Romanorum ſcribuntur hiſtoriis. Magna hæc & antiqua generatio fuit, & multas concuſſit ſui terrore orbis partes. Unde idem Paulus Oroſius, primo ſuarum hiſtoriarum libro, Alexandrum Magnum, Gothos evitandos fore pronuntiaſſe: Pyrrhum, Epiri, Theſſaliæ, Macedoniæque regem, exhorruiſſe; Cæſarem vero, qui cuncta armis ſtravit, declinaſſe ait. Hi igitur Gothi, qui multas gentes, ut Vincentius, in hiſtoriis capitulo centeſimo duodecimo ſcribit, ſuo ſubdiderant ſervitio, Hunnorum ſubditi ſunt imperio. Nam qui Gothis ſerviebant, expulſis Gothis, Hunnorum parebant principatui; & ſic Hunni, omni pene Scythia potiti, ceteras Scytharum nationes, fortitudine & principatu premebant.

CA-

(1) M. S. *Alploqueros.*

Digitized by Google

CAPUT V.

Descriptio Scythiæ Secundum Priores Historias Hungarorum.

Hanc *Scythiam*, Hungaricarum primævi auctores historiarum, in Europa posuere; illamque versus orientem extendi, & ab uno latere Ponto aquilonari, ab alio Riphæis montibus, ab oriente vero Asia, & ab occidente fluvio *Ethewl* (1), quem & *Don* vocari dixerunt, includi scripserè, gentesque in illa procreatas, vanitatibus deditas, otia amplecti, actibus venereis intendere, rapinas amare, & generaliter, coloris plus nigri quam albi esse dixerunt. Præterea, Scythicam regionem una cingi comprehensione; sed in tria regna, *Bostardiam* (2) scilicet, ac *Dentiam*, & *Magariam* (3) dividi, centumque & octo provincias, in quas olim per filios Hunor & Magor, ob centum & octo progenies eorundem, quæ de illorum egressæ fuissent femoribus, cum de paludibus Meotidis in eandem introissent, divisa extitisset, habere; ab orienteque, Scythico regno Jurianorum regnum, & post hæc Tarsiam, tandem Mangaliam jungi, ibique & Europam terminari: & rursus ex plaga æstivali subsolari, gentem Corosminam & Æthiopiam, quæ minor India vocaretur, vicinari, inter meridiemque & cursum Don fluvii, desertum immeabile esse, ibique propter intemperiem aeris illius zonæ, serpentes diversi generis, & ranas velut porcos fore, basiliscosque ac plura toxicata animalia, nec non unicornem ibidem generari. Præterea, in Scythia grandem fluvium *Don* vocatum oriri, & illum ab Hungaris *Ethewl* nuncupari, & hunc fluvium montes niveos, qui Scythiam cingerent, transcurrere, & amisso nomine *Ethewl*, *Don* vocari, juxta ipsumque versus meridiem, gentem Cytanorum (4), & gentem Alanorum jacere, & fluvium eundem, tribus ramusculis in mare rotundum cadere. Alterum quoque fluvium, *Togatha* dictum, valde magnum, in regno nasci Scytharum, illumque per silvas desertas paludesque, & montes niveos, ubi sol nunquam luceret, discurrere; tandem in Hircaniam intrare, & ibidem in mare aquilonis vergere, longitudinemque Scythiæ patriæ trecentis & sexaginta, latitudinem vero centum nonnaginta stadiis extendi; situm etiam ejusdem tam munitum, ut in uno tantum loco parvissimo, introitus illac reperiatur existere; & rursus ab oriente, Scythiæ

(1) M. S. *Ethul.* (2) M. S. *Bascardiam.* (3) M. S. *Magoriam.* (4) M. S. nec non editio Brunn. & Auguſt. *Kytanorum.*

Digitized by Google

Beſſos & Comanos albos vicinari, ac circa mare aquilonis, ab occidente uſque Suſdaliam, deſertum eſſe ſilveſtre, humano generi immeabile, & illud ad magnum ſpatium extendi, ibique per novem menſes, continuam nubium jacere denſitatem, & menſes per eoſdem ibidem, ſolem niſi tantum in menſibus Julio, Junio, & Auguſto, a ſexta ſolum hora uſque ad nonam, cernere minime poſſe, ibidemque in montibus hujus deſerti, griphones nidificare, & aves *Legisfalck*, quæ vulgo *Kerecheth* vocantur, pullos generare poſuerunt.

CAPUT VI.

Alia Deſcriptio Scythiæ Secundum Auctores.

Univerſis auctoribus, quorum cura fuit partes deſcribere orbis, hæc Scythiæ deſcriptio contraria eſſe videtur. Cum Scythia, illorum juxta poſitiones, non unum tantum ſit regnum, ſed magnam mundi partem ſuis ambiat limitibus; nec enim negari poteſt, Scythiam in Europa eſſe, nam Iſidorus, illam maximam fore regionem, partemque ejus ſuperiorem in Aſia, inferiorem vero in Europa ponit. Sed quod in illa ſit fluvius *Ethewl* ſive *Don*, ac ab oriente Jurianorum regno, poſt hoc Tharſiæ, tandem Mangaliæ, Coroſminæque genti, & Æthiopiæ vicinetur, quodque Scythia alium fluvium, *Togatha* nomine, habeat; ſi ceteris auctoribus, qui de his rebus ſcripſere, locus eſt dandus, multum ab illorum poſitionibus hæc deſcriptio diſſidet. Cum ipſi in eorum voluminibus, de quopiam regno, quod Jurianorum eſſet, aut de fluminibus Ethewl ſive Don, & Togatha, in Scythiæ, vel totius orbis deſcriptione, nullibi mentionem feciſſe reperiantur. Aut ſi Scythia tantummodo in Europa eſt, quomodo Æthiopia, quæ meridionalis eſt, ac Tharſia & gens Coroſmina, quæ regna ſunt Aſiatica, illi vicinari poſſunt? Enimvero Scythia, ut auctoribus placuit, partim in Aſia, partim in Europa eſt, eamque Tanais fluvius, Riphæis in montibus ortus, nobiliſſimus amnium, qui & Aſiam ab Europa dividit, vaſtas per ſolitudines decurrens, mediam interſecat, tandem in paludem Meotidem lapſus, illius undas auget. Dicnyſius & Paulus Oroſius, Scythiam tantummodo in Aſia, intra & extra Imaum montem, hoc eſt imum Caucaſum, collocant, & inter ceteras nationes, Hunnos in illa ſedem natalis ſoli habere dicunt, & ipſe Dionyſius, Hunnos eoſdem cum Caſpiis & Albanis vicinari, populoſque feroces, & bello aptos eſſe ponit. Ptolemæus vero ac Strabo, & Plinius, Aſiaticam Scythiam

ab

Digitized by Google

ab oriente flumine *Rha* (1), ab occidente autem Tanai amne, claudi fatentur, & illi ab oriente Seres populos locant, quos Julius Solinus, arborum frontes aquarum aſpergine humidare, ex hocque frondibus in eiſdem, teneras naſci lanugines, & ipſos Seres eaſdem depectere, ac exinde ſericum illud, quod jam in uſum communem damnoſæ vanitatis admiſſum eſt, facere dicit, ex quo ſerico, nunc humana oſtenduntur potius corpora, quam veſtiuntur. Deinde vero, Scythiæ Aſiaticæ, meridietenus Candeſia, Mardia, Hircania, Apia, Decerbia, & Bactria, regiones, dictis ſicut placuit auctoribus, conterminæ ſunt. Quidquid autem Germania, ad Oceanum ſeptentrionalem, & flumen Tanaim, Meotidemque paludem ſejungit, Iſidorus omnino partem Scythiæ inferiorem dicit; & illam, ut ſupra dictum eſt, in Europa collocat, ac illi circa mare Ponticum, Thraciam vicinam eſſe, in eademque parte Scythiæ, Alaniam, Gothiam, Daciam, Rhetiam, regna hominibus notiora, ponit. Hanc partem Scythiæ, Trogus Pompejus pro tota Scythia poſuit, & illam ab uno latere Ponto, ab altero Riphæis montibus, a tergo Aſia & Phaſi flumine, clauſam eſſe arbitratus eſt.

CAPUT VII.

De gentibus Scythiæ interiora incolentibus, & de ritibus earundem, deque auro & lapidibus pretioſis in illa abundantibus, & de fluminibus illam irrigantibus.

Varias gentes, auctores ima Scythiæ incolere poſuerunt, quas inter ceteras, tum Julius Solinus, de mirabilibus mundi ſcribens, tum vero Pomponius Mela, clarius exprimunt. Ponunt enim in parte Scythiæ Aſiaticæ *Neuros*, eoſdemque æſtatis temporibus in lupos transformari, & reliquo anni curſu, rurſus in priſtinam faciem reverti; Martemque pro Deo, & enſes pro ſimulacris colore, Diiſque pro victimis homines immolare. His propinquos *Gelonios*, ipſoſque de inimicorum cutibus, & ſibi ipſis indumenta, & equis tegmina facere. Iuxta hos *Agatirſos*, homines cæruleo pictos colore, & qui ceteris digniores ſunt, hos magis hoc colore uti. Tandem *Antropophagos*, inter quos & *Eſedones* connumerant, quibus execrandi cibi, humana dicuntur eſſe viſcera, propter-

(1) Qui nunc *Wolga* dicitur.

Digitized by Google

pterea illis nullam gentem contiguari, ſed ob neſarium illorum ritum, cunctas finitimas nationes, ab illorum finibus profugiſſe, & ob hoc, totam terræ partem uſque ad mare, quod Thybin vocant, per longitudinem illius oræ, quæ æſtivo orienti ſubjacet, uſque ad Seres, in vaſtam ſolitudinem redactam, abſque homine eſſe. Eoſdem etiam Eſedones, parentum funera, ſolennibus proſequi cantibus & victimis, congregatiſque proximis, eadem dentibus laniare, ac ovinis cum carnibus miſcendo, ſibi ipſis eſcas facere, capita quoque, cute & carnibus nudata, auro circumdare, & illa glorioſis pro poculis deferre. *Chalybes* vero & *Dacos*, a ceteris Scythis, crudelitatis immanitate, modicum aut nihil diſcrepare. Scito, *Tauros*, ſicut & *Neuros*, pro hoſtiis advenas cedere. *Succos* quoque & *Nomadas*, vicinis infeſtari, pabulaque pecorum ſequi. In parte vero Scythiæ Europææ, *Georgianos* agros colere: *Aſiaticos* 1) vero, nec ſua diligere, nec aliena furari, & ideo nec ſua cuſtodire, nec aliena attingere. *Satharcos* autem, uſum auri & argenti aſpernari, & avaritia quid ſit, ignorare, & eoſdem cum proximi ſint Riphæis montibus, præ aſſidua hyemis auſteritate, in ſpeluncis & ſub foſſis terraneis habitare, totumque corpus, ac etiam ora, præter ſolum viſum, veſtire ponunt. Fatentur etiam, præter has, nonnullas alias in Scythia eſſe nationes; ultimas autem ad juga Riphæorum montium *Arimaſpos* 2), gentem unoculam, & poſt hos ac juga montium eorundem, partem mundi damnatam, & in illa continuarum caſum nivium eſſe, aſſerunt; ita quod hæc pars orbis, æternæ nubis caligine obſeſſa, ſola ſit terrarum, quæ non novit vices temporum, nec aliud de cœlo accipiat, niſi tantum hyemis rigorem ſempiternum; neque eſt homo, qui hos niveos poſt montes, & hanc perpetuam poſt caliginem, ſi quippiam terræ aut humi ſit, dicere queat, cum illa pars mundi, morſalibus ignota cunctis eſſe perhibeatur. Nonnulli auctores, & maxime Strabo, Gnoſius, Oceanum borealem, vel Scythicum, propter frigoris contiguam intemperiem concretum, ac in perpetuam glaciem verſum, & præterea innavigabilem fore, putaverunt. Plinius tamen Veronenſis dicit, quod Indicæ naves, commercii cauſa navigantes, tempeſtatibus ventorum arreptæ, in Germanicis littoribus inventæ, ac per Regem Suecorum, Metello Galliæ proconſuli donatæ fuiſſent, & ſuper his Cornelii Nepotis utitur teſtimonio; quod accidere minime potuiſſet, ſi ſeptentrionale pelagus, congelatum & innavigabile fuiſſet. Ferunt etiam, in Aſiatica Scythia, terras auro & argento eſſe

(1) Edit. Brunn. & Augu. *Aſiacos*. 2) Utraque editio habet *Ariſmapſos*.

Digitized by Google

esse locupletes, sed inhabitales. Nam, cum auro & argento ac gemmis affluant griphes, pertinax sævumque genus animalium, & alites ferociſſimæ illas custodiunt, nec quempiam illac adire patiuntur. Quippe, illac attingere satagentes cum vident, mox ultra omnem rabiem sævientes, illos discerpunt; quamobrem advenis, difficilis & rarus, aut nullus accessus illac datur. Lapides etiam pretiosos, Crystallum videlicet, ac Cerauneum cæruleo coruscantem colore. Item, Smaragdum peroptimum, cui Theophrastus, inter lapides pretiosos tertiam dedit dignitatem, easdem partes Scythiæ gignere perhibent. Non tamen ad hos sine discrimine pervenitur, cum & eosdem ipsi griphes custodiant, propter quod dictos Arimaspos, homines monoculos, cum illis decertare dicunt. Scythæ, quanto magis interiores, tanto asperiori magis ritui dediti, incultioresque esse, bella præterea & cædes amare, ac consuetudinem bellantibus, cruorem illius, quem primum interemerint, recenti de vulnere ebibere, pluresque se interemisse enarrare, maximam illis gloriam afferre, inter epulas quoque, quis eorum, quot interfecerit, mentionem sæpius lætissimam facere, & his, qui plures interfecerunt, sessiones superiores, & bina pocula dare, expertes vero necis, suos inter socios inferiores esse, idque illis inter jurgia, maximo pro opprobrio ab aliis objicere, pacis autem condimenta & fœdera, mutui & permixti sanguinis degustatione, stabilire traduntur. Immensis montium culminibus, ima Scythiæ ad septentrionem vergentia, amplectuntur, & varios fluminum fundunt decursus. Inter quos, ut dictum est, Tanais, Riphæorum montium in latere natus, multas saxosas Caucasi montis per valles immurmurans, brumali parte, ingentes glacierum moles secum trahens, mediam per Scythiam decurrit, ac Asiam ab Europa dividit, tandem plurimorum fluminum recipiens aquas, ingens & mitior, paludes ingreditur Meotidas. Præterea in Scythia Asiatica, flumen, quod *Boryſthenes* vocitatur, satis grande, apud Neuros oriri, & hoc pisces egregii saporis, quibus nulla teneras præter cartilagines essent ossa, nutrire; *Hypanem* quoque amnem, omnium Scythicorum amnium nobiliſſimum, & ceteris limpidiorem, potuique saluberrimum, a quibusdam, Scythicorum amnium principem denominatum, ac etiam *Pantecapen*, *Gerrum*, *Phasim*, & *Jaxartem*, flumina Scythiæ satis celeberrima, illius intra terminos decurrere, illamque inter cunctas terræ partes, aqua, piscibusque ac virentium herbarum campis, nec non arborum frondosis siluis & nemoribus, fœcundiſſimam esse, perhibent supra dicti auctores.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De laude Scytharum, & de gentibus de Scythia ortis.

Magna auctores *de Scythia* ſcripſere, ſed multo majora ſcripſiſſent, ſi illa, aut hoſtilis manus pervagari potuiſſet, vel barbaricæ gentis illam incolentis, pluſquam humana ferocitas, mundi partes luſtrantibus, illac tutum iter præbuiſſet. Summus enim Pontifex Pius, in ſuarum libro hiſtoriarum, inquit: *ignota eſſet nobilis terrarum maxima pars, niſi Romanorum principatus, & magni Alexandri potentia, orbem aperuiſſet.* Strenua enim fuit ſemper Scytharum manus, nec illam Romanorum dominatio, aut Alexandri magni, vel cujusvis imperii poteſtas, concuſſiſſe legitur. Et, ſi limites Scythiæ quiſpiam hoſtium adiſſe inveniatur, non tamen illius ad interiora, aliquis extraneorum principum, ſua extendere valuit arma. *Darius* rex Perſarum, Scythis bellum intulit, ad intimaque illorum pervenire ſatagens, avem, murem, ranam, & ſagittas quinque, pro munere recepit, & tandem turpi fuga e medio ſubmotus eſt. *Thomyris*, Scytharum Regina, Cyrum Perſarum Regem, cum omni pæne exercitu delevit, & amputato illius capite, in utrem humano ſanguine plenum projecit, inquiens: *humanum qui ſemper ſitiviſti ſanguinem, ad ultimum de illo ſufficienter bibe.* *Sophirianum* magni Alexandri Ducem Scythiæ, cuntis illius cum copiis, ſæva morte trucidarunt; *Veſoimque* Aegyptiorum Regem, omni bellico apparatu ſpoliatum, Scythæ ſuis de limitibus repulerunt, & magno cum dedecore fugam capeſſere coegerunt. Arma quoque Romanorum, magis audierunt quam ſenſerunt. Scythica quidem arma virumque, major pars orbis experta eſt: quocunque gladius extenſus, ſagitta quoque Scytharum porrecta eſt, non ſine vulnere rediit. *Scythæ*, primi omnem *Aſiam* armis dominaverunt, ac per mille quingentos annos, uſque ad Nini Regis Aſſyriorum tempora, principatu ejus potiti, illius tulerunt cenſus, & niſi huic genti invidia ſtylum ſubtraxiſſet, propterea, primi imperii nomen ſortiri digna fuiſſet. Multas gentes, claro dignas nomine, hæc regio enixa eſt. *Parthi* enim & *Bactriani*, ut antiquitas voluit auctorum, Scytharum ſunt ſoboles. *Amazones* quoque, fæminas brachio fortes, quarum ultimam Trojanum bellum expertum eſt virtutem, Scythia peperit. Quid autem *de Gothis*, per Hunnos, ut dictum eſt, de Scythia expulſis, dicendum eſt? qui & *Alanos* una ſecum trahentes, omni occidenti infeſtiſſimi

Digitized by Google

simi fuere. Hi sunt, ut historiæ tradunt, qui Romana fortia transcenderunt mœnia, tantæque urbis, solis sacris reservatis, omnem gazam converterunt in prædam. Romano insuper imperio terrori extitere, illorumque pars alia Italicis in oris, alia occidentem versus, ferocibus armis sibi regnum effecit. Unde hi, occiduas qui occupaverunt terras, rite *Gothi Alani*, tanquam ex Gothis & Alanis simul militantibus nominati, vocari debuissent, nunc qui *Cathalani* vocitantur. Hi, quamvis homines tunc bello apti fuerint; nostra tamen ætate, puto, quod vicino & imbelli permixti sanguine, olim patriæ moribus oblitis, labioque mutato, ab armis dissidere noscuntur, cum nulla de illis celebris per orbem pro præsenti resonet fama, piraticam solum præter vitam, quæ potius famæ offensio, quam nutrix est. *Hunnorum* sive *Hungarorum* genitricem esse Scythiam, nullus dubitat; quorum & in principio exitus de Scythia, virtus militiæ præclara efferbuit, & nunc hoc nostro ævo, gladius illorum, contrariæ gentis supra capita nitet. *Wandali* etiam Scytharum sunt genus, qui post Hunnos sive Hungaros, paternis de habitationibus egressi, partem mundi Africanam, & Ecclesiam persecuti sunt; tandem multos belli sævitiæque post strepitus, orbis parte in eadem, regnum sortiti sunt. Voluere nonnulli, maxime Frater Martinus, qui Romanæ historiæ compendium generavit, quod hæ tres nationes, puta *Hunni*, *Gothi*, & *Wandali*, una eademque essent generatio, & ejusdem fuissent labii sive linguæ, tantummodoque nominibus differrent. Nulla hæc ratio admittit, nec illi, quibus hæc placuere, evidenti suam intentionem documento probant. Nam Hunni, Gothos proprios de sedibus expulliſſent minime, si Hunni & Gothi eadem generatio fuissent. Præterea Gothi priores Hunnis, dum nec Hunnorum audiebantur strepitus, Romano imperio infesti fuere. Wandali autem, longe post Hunnorum egressum, Scythicis de partibus erumpentes, ut jam dictum est, Africano in agro sedem sibi fecere. Multas præter has Scythia gentes, suo in gremio enutritas sudit, quarum novissimi *Turci* esse perhibentur, quamvis nonnulli, illos Trojano de genere propaginem ducere, & nomen a Teucro rege, qui Trojani belli in fervore, ruituræ urbi auxiliaturus venerat, nomen non Turci, sed Teucri recepisse putent. Cum tamen, Trojanos ab Italis derivatos, ætatem mundi circa tertiam, Phrygias adisse oras, regnumque sibi ibidem, pariter & Trojanam urbem, quæ mundo multas peperit fabulas, condidisse, & rursus post illius excidium, tum magnum illum Aeneam, patrem & auctorem Romanarum rerum, tum vero Antenorem, Paduanæ urbis & Aquilegiæ conditorem: rursus in Italiam, tanquam unde exissent, redisse, multæ historiæ tradant. Turci, ut

Digitized by Google

Heticus Philoſophus tradidit, in Aſiatica Scythia, ultra Pericoos 1) montes & Tracontas inſulas, contra aquilonis ubera, ſedes genitrices habuere. Otto autem hiſtoricus, Friſingenſis Epiſcopus, tradit, quod imperantibus Græcis, & regnante apud Francos Pipino Rege, Turci Caſpias, prout autem ſummo Pontifici Pio, multarum hiſtoriarum lectori, placuit, Caucaſias egreſſi portas, quid fecerint, vicinarum fatetur miſeria regionum. Hi antiquum, tum in amictu, tum vero in armis, Scythica quem eduxerunt de patria, tenent modum. Multa de hac gente, deque ejus familia, ac lucriferis illius ſucceſſibus, Nicolaus Secundinus, ſtylo perbrevi uſus, ad Aeneam Senonum Epiſcopum ſcribens, denotavit. Cum autem ad præſens, non de eorum agatur rebus, id quod illorum framea, his noſtris ſeculis, ſatis nota ſit in orbe, me de illis dixiſſe ſufficiat.

CAPUT IX.

Argumentum quod Scythia, de qua egreſſi ſunt Hunni, ſive Hungari, ſit in Aſia.

PAulum Oroſium, & Dionyſium Alexandrinum Philoſophum, ſupra dictos ſequi, idque, quod *Hunni* ſive *Hungari*, primam in *Aſiatica Scythia* natalis ſoli ſedem habuerint, me referre non pudet. Antoninus etiam, qui tum Sigebertum, tum Vincentium, in his rebus imitatus eſt, omnemque, qui mundanarum rerum, in quantum ſuus comprehendere potuit ſtylus, ſeriem conſcripſit, Hunnos, ducentibus venatoribus, Aſiatica de Scythia in *Europam* migraſſe, & Gothos, Scythiæ partibus de Europæis, deque propriis illorum ſedibus expuliſſe, denique, aucta tum audaciæ, tum armorum virtute, in *Pannoniam* veniſſe, ad alias quoque nationes, terroris manum, ut infra ſcribetur, extendiſſe, inane poſuiſſe creditur minime. Nec priores Hungarorum hiſtoriæ, huic ſententiæ contradicunt, cum *Hunnos* ſive *Hungaros*, primum in *Perſide*, tandem in palude *Meotide* commoratos eſſe, ac duce cerva, terras in alienas, ut ſupra dictum eſt, tranſmeaſſe tradant. *Zeliobrem*, olim Hunnorum in *Aſiatica Scythia* manentium, Regem, Choſroæ Perſarum Regi, contra Juſtinianum Ro-

1) Edit. Brunn. *Pericoos.*

Digitized by Google

Romanorum Imperatorem, cum viginti millibus Hunnorum in auxilium veniſſe, Romanæ commemorant hiſtoriæ. Pius etiam Romanus Pontifex, in ſuis hiſtoriis, *Hunnos* Meotide palude tranſmiſſa, in *Europam* migraſſe, omnemque barbariam, inter *Tanaim* & *Danubium*, occupaſſe tradit. Et rurſus idem dicit, ſe hominem Verona ortum, qui hoc noſtro ævo Scythicas luſtraſſet partes, allocutum fuiſſe, illumque ſibi affirmaſſe, quod in Aſiatica Scythia, ad ortum Tanais amnis homines ejuſdem linguæ cum Hungaris Pannoniam incolentibus, inveniſſet, tandemque rediens cum pleriſque Sacræ Paginæ profeſſoribus, viris religioſis de ordine Sancti Franciſci, qui linguam illorum noviſſent, illac proficiſci, & ſanctum Chriſti Evangelium, (cum idololatriæ eſſent dediti) prædicare voluiſſet: ſed Dominus de Momqua 1), qui Græcæ perfidiæ ſubditus eſt, Aſiaticos Hungaros, Romanæ conjungi Eccleſiæ, ac ſacris imbui ritibus, ægre ferens, ipſos illac tranſire prohibuiſſet.

CAPUT X.

De Egreſſu Hunnorum de Scythia.

Anno igitur *Incarnationis Domini trecenteſimo ſeptuageſimo tertio*, diebus *Valentis Imperatoris*, ut dictum eſt, & *Damaſi primi* Romanæ Eccleſiæ *Papæ*, in ſexta ætate ſeculi, *Hunni* ſive *Hungari*, in Scythia habitando, magnum creverunt in populum, ſuadentibuſque eis venatoribus ſupradictis, in unum congregati, occidentales invadere regiones decreverunt, ac Capitaneos, puta *Belam* (2), filium Chelæ, de genere *Zemen* (3) ortum, *Keme* & *Kadicham* fratres ejuſdem, *Athylam*, *Kewe*, & *Budam*, filios Bendeguck (4), de genere Kadar, eligentes ſibi præfecerunt, omni quoque cœtu ſuæ nationis computato, de centum & octo tribubus, decies centena & octoginta millia, de unaquaque tribu decem millia armatorum virorum, connumeraverunt, hoſque manu uti, & hoſtem, ſi occurreret, opprimere; fœminas quoque illorum, ac familiam popularemque gentem cunctam, quam ſecum ducebant, pariter & armenta, extraneo ab inſultu tueri, deputaverunt. Unum præterea Rectorem,

(1) Edit. Brunn. & Aug. *Moxque.* (2) M. S. *Wele.* (3) M. S. *Zemein.* (4) M. S. S. *Ethele, Kewe, & Budam, filios Bendekus.*

Digitized by Google

rem, nomine *Kadar* (3), virum ſapientem, & ad id idoneum, quod lites ſopiret diſſidentium, fureſque ac latrones caſtigaret, inter ſe conſtituerunt, edicentes nihilominus decreto generali, ut ſi Rector ipſe, immoderatam diffiniret ſententiam, communitas illam in irritum revocare, errantemque Rectorem tum corripere, ac pariter & Capitaneos dum vellet, deponere poſſet. Edictum etiam fuit, ut cum res, communitatem æqua ſorte tangentes, occurrerent, aut generalis expeditio exercitus incumberet, mucro ſanguinis aſpergine tinctus, media Hunnorum per habitacula caſtraque deferretur, voxque ſubſequeretur præconica, dicens: *Vox Dei & præceptum communitatis univerſæ, ut unuſquisque in tuli loco*, eundem deſignando locum, *armatus, vel qualiter poteſt, compareat, communitatis conſilium ſimul & præceptum auditurus.* Hæc conſuetudo inter Hunnos ſive Hungaros, uſque ad tempora Geiſæ Ducis, filii Ducis Toxun, filii Arpad, inviolabiliter extitit obſervata, & multos generatione de hac, perpetuam redegit in ruſticitatem. Nam ſancitum erat, ut tranſgreſſores hujuſcemodi mandati, niſi rationabilem aſſignarent excuſationem, cultro media per viſcera dividerentur, aut in deſperatas cauſas, vel communem immiſericorditer redigerentur in ſervitutem. Hæc ſanctio, alios ex Hunnis, plebejæ perhibetur effeciſſe conditionis. Nam cum una & eadem fuerint generatio, & a quondam Hunnor & Magor unanimiter procefferint, aliter fieri nequiſſet, ut alter dominus, alter ſervus vel ruſticus, effici potuiſſet. His tandem compoſitis, Capitanei ſupradicti, communi voto, cum omni ad hæc deputato populo, ingentia moventes agmina, (non ergo ſedibus ſoli natalis vacuis relictis, ſed illis extraneo ab incurſu, idonea firmatis cuſtodia,) quamprimum, ut ſupradictum eſt, in venatorum ductu, tranſitis paludibus Meotidis, ac Gothis, gente robuſta & famoſiſſima, propriis de ſedibus expulſis, deinde aucta potentia, animoque elati, nihil ſibi obſtare poſſe arbitrantes, tanquam turbo vehementiſſimus omnia evertentes, *Beſſos* ac *Cumanos albos*, tandem *Suſdalos*, dehinc *Ruthenos*, crudeli ſub dominatione pertranſeuntes, in *nigram Cumaniam*, quæ nunc *Moldavia* forte creditur, devenerunt, perdomitis nihilominus, in tranſitu ipſorum a Tanai flumine, univerſis barbaricis regionibus, tandem venerunt in *Pannoniam*, & ad ripas alvei *Thiſciæ*, ſtativa fixerunt caſtra.

CA-

(1) M. S. addit. *de genere Turdo*

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Ingreſſu Hunnorum in Pannoniam, & de Bello eorundem in Campo Tarnokwelgh (1) commiſſo.

Hæc regio olim, *panis* ab ubertate, *Pannonia* denominata eſſe traditur, quæ nunc ab *Hungaris* ipſam incolentibus, mutato nomine *Hungaria* vocitatur, regionum nobiliſſima, famoſiſſimorum amnium decurſu irrigua, campis pariter & montibus mixtim decora, auri & argenti, nec non ceterorum metallorum, ac ſalis peroptimi genitrix fœcundiſſima, vino abundantiſſima, ſilvarumque & paſcuorum frequentiſſima, pro majori ſui parte, undique, aut ingentium molibus Alpium, aut potenti fluminum decurſu, clauſa. Hanc regionem, plurimæ nationes incoluiſſe feruntur, & ſemper potentior ſuperveniens generatio, agri fertilitate allecta, infirmiorem, aut expellebat nationem, aut ſubdebat. Nam & Dacorum populus, certam ejuſdem regionis partem olim inhabitaſſe, tandem non ſine turbatione feceſſiſſe, ac relicta pingui Pannoniæ tellure, maritima loca Norvegiæ proxima occupaſſe, & ſibi ibidem perpetuam feciſſe ſedem, perhibetur. Conſpecta igitur hac regione, omni Hunnorum cœtui ulterius non incedere, ſed cum uxoribus, & familia, ac armentis, bigiſque & tabernaculis, cum quibus de natali ſolo deſcenderant, terra in eadem permanere placuit. Incolebant eiſdem temporibus *Pannoniam Longobardi*, gens advena, ac *Alemanni* & *Italici* cum illis, & Tetrarcha quidam *Matrinus*, vel, ut quibuſdam placuit, *Martinus* (2) nomine natione Longobardus, de Sabaria oriundus, tum eidem regioni, tum vero Mœſiæ, Achaiæ, utrique Thraciæ, Dalmatiæ & Macedoniæ, de Romanorum gratia præerat, homo armis bellicis informatus. Hic, cum immenſam multitudinem ignotæ gentis, intra ſui dominii limites penetraſſe, & ad ripam Titiæ (3) caſtra poſuiſſe, manumque in direptionem rerum ſui populi extendiſſe, audivit, totus contremuit, nec illos, ſui regiminis cum gente, aggredi auſus fuit, Romanorum igitur petivit auxilium. Eadem tempeſtate *Detricus de Verona* (3), natione Alemannus, Romanorum principum de voluntate, omni Germaniæ præſidebat. Iſte Detricus, per Romanos in Matrini auxilium delectus eſt. Quamob-

(1) Recentior manus in MS. margine correxit: *Tarnok Völgye.* (2) MS. habet *Macrinus*, quod mihi emendatius videtur. (3) *Thiſciæ*, quæ hodie eſt *Tibiſcus*, notus Hungariæ fluvius. (4) *Dietericus* ſeu *Theodoricus de Verona*, Oſtrogothorum Rex.

Digitized by Google

obrem Detricus, congregato ingenti Germanico Italicoque, ac aliarum permixtarum gentium exercitu, deſcendit in Pannoniam, & in *Zazalom* (1) caſtra metatus eſt; dehinc ad civitatem *Potentianam* (2), ubi Matrinus, congregata Longobardorum multitudine reſidebat, venit. Erat enim hæc civitas, ut quidam ajunt, Latinarum, ad littus fluminis Danubii, inter *Thetem* & *Zazalom* ſituata. Ad quam cum venit Detrius, cum Matrino, conſiliabantur, ſi tranſito Danubio, Hunnos in illorum deſcenſu & tabernaculis, invadere deberent; vel ad committendum bellum, alium competentem locum eligerent, quiſque modus cum tam ignota gente, in conflictu eſſet ſervandus? Hac igitur conſilii diſceptatione, inter Detricum & Matrinum diutius protracta, Hunnis, eoſdem contrarias ipſis res diſponere, ignotum erat minime, quare magna parte ſuæ gentis ad prælium diſpoſita, ceteris in primævo deſcenſu, pro cuſtodia rerum remanentibus, venerunt ſecus Danubium. Quos licet Detricus & & Matrinus ſibi propinquos eſſe ſcirent, non tamen illos propter interſtantiam Danubii timebant, cum eos omnino navium carere ſcirent ſuffragio. Ducebant igitur quietas noctes, nec quippiam hoſtem, tanto flumine a ſe disjunctum, metuebant. Hunni vero, plurima qui jam flumina, poſt diſceſſum ipſorum a Scythia, utrium officio tranſnatare aſſueverant, noctis tenebroſo ſub ſilentio, utribus eiſdem inflatis, ſe illorum navigio commiſerunt. Tranſnatato itaque infra *Sicambriam* Danubio, in ea parte, ubi nunc villa *Kelenfeuld* locata eſt, (propter quod & eadem hoc vocabulo denominata dicitur,) irruerunt tandem hoſtilem ſuper exercitum, in campo ſecus civitatem Potentianam, quem illa, ſua intra mœnia, capere non poterat, in tentoriis quieſcentem. Ingens exuberat vociferatio, cædesque maxima committitur. Nam Matrini & Detrici exercitus, ex ſubita invaſione attonitus, nedum in ſui defenſionem armis uti valeret, verum ad quam partem fugere deberet, ignorabat. Perimebantur ergo per Hunnos, velut errabunda pecora, nec illis quæpiam fuga vitam redimebat. Quare omni ex parte, Lombardici pariter & Alemannici, ceterarumque gentium exercitus, qui extra muros civitatis erat, fugæ intenta, & per Hunnos crudeliter trucidata & deleta; Hunni, poſtquam dies illuxit, in campo Tarnokvölg deſcenderunt. Detricus autem, per hanc invaſionem admodum turbatus, una cum Matrino & reſidua parte exercitus, quæ tum in civitate Potentiana, tum vero in caſtris ad Zazalom, con-

(1) MS. habet *Zaxholm*, ſed recentior manus, in Margine ejuſdem *Zázholom* emendavit. (2) *Potentianæ* alias nullus antiquorum ſcriptorum meminit, ego itaque, *Mogentianam* ſubſtituendam cenſerem, cujus Antonini Itinerarium mentionem facit; quamvis priorem, in oppido *Adon*, infra Budam extitiſſe, quorundam conſtans ſit opinio.

Digitized by Google

conſtituta erat, irruit ſuper Hunnos. Bellum igitur committitur acerrimum, hinc inde cadunt cadavera mortuorum, magna ſtrages fit parte in utraque. Solis tandem circa occaſum, Hunnis, tum præcedentis noctis inſomnio, tum continuis belli laboribus fatigatis, Romanorum exercitus fit ſuperior. Sed cum non minorem quam Hunni accepiſſet ſtragem, illos fugientes perſecutus eſt minime. Illi quidem fugientes, tranſnatato rurſus Danubio, pervenere ad ſuos. In hoc prælio, *Kewe* Capitaneum interiſſe, de Hunnis quoque centum & viginti quinque millia; ex Detrici vero & Matrini exercitu, demtis illis, quos nocturna in tentoriis pugna peremit, ducenta & decem millia corruiſſe, antiquæ Hungarorum tradunt hiſtoriæ.

Altera vero die, Detricus & Matrinus, cæde gentis eorum connumerata, timentes, ne altera vice ſimiles fierent victores, ut tantum propriis reſervatis perſonis, ſoli ſi poſſent, in caſtra redirent, cum cuncta ipſorum exercitus reſiduitate, verſus *Tulnam* civitatem proceſſerunt. Hæc civitas, noſtro ævo, Ducatui *Auſtriæ* ſubjecta eſt, & tres raſtas diſtat a *Vienna*. Illa autem civitas, ea tempeſtate erat Latinorum, interque civitates Pannoniæ computabatur. Cum autem Hunni, hoſtem retroceſſiſſe cognoverunt, ad campum certaminis ſunt reverſi, cadaveraque ſuorum, & Kewe Capitanei, recolligentes, more Scythico, juxta ſtratam communem, decenti cum honore, condignæ tradiderunt ſepulturæ, & nihilominus tantæ rei perpetua pro memoria, ibidem ſtatuam ſive columnam lapideam ſolennem erexerunt, locumque illum *Keweoza* vel *Kewehâza* vocaverunt. Noſtra quoque ætate, locum eundem, corrupto vel mutato vocabulo, prout id apud Hungaros fieri ſolet, *Keazo* appellari, haud abſurdum eſt arbitrari.

CAPUT XII.

De Bello ad locum, qui Keſmawr (1) *dicitur, commiſſo.*

Poſt hæc Hunni ſive Hungari, animoſitate armorumque directione Romani exercitus experta, renovato exercitu, partes *Pannoniæ tranſdanubiales* invaſerunt, & illis obtentis ac ſub jugum redactis, totaque familia in eoſdem tranſ-

(1) In MS. legitur: *Cezumaur & Cezunmaur*, quod eſt hodie *Zeiſelmaur*, inferioris Auſtriæ oppidum, tribus ſupra Viennam milliaribus, in vicinia civitatis Tulnenſis ſitum. Olim *Cetii Murus*, vel *Cetia* Romanorum Colonia, dein ab Hunnis vaſtata.

Digitized by Google

tranſducta, verſus *Tulnam* civitatem, ubi ipſorum hoſtes congregati manebant, proceſſerunt. Detricus vero & Matrinus, cum omni apparatu Romani exercitus, quem habere poterant, in campo *Keſmawar* illis occurrerunt. Acri ergo concurſu, mutuo ambo hoſtes, contrarias irruerunt in turmas. Hunni vero, magis mori, quam pugnæ cedere præoptantes, Scythica conſuetudine, clamores edentes horribiles, & tympana pulſantes, omni armorum genere, maxime innumerabilium emiſſione ſagittarum, in hoſtem utebantur. Turbatis eapropter undique Romanis agminibus, Hunni maximam in illis cædem efficiebant. Poſt bellum tandem mane inchoatum, & horam uſque nonam acri certamine continuatum, Romanus exercitus devictus, poſt immenſam ſui ſtragem, terga vertit. Quos Hunni inſequentes, in ſortem & vindictam ſuorum, per illos in campo Tarnokvölgiæ occiſorum, acriter perimebant. Cecidit prælio in hoc *Matrinus*, Hunnorum enſe interfectus, & Detrico ſagitta in fronte vulnerato, tanti ſanguinis evaſit diluvium. Cujus tandem ſagittæ truncum, ipſe *Detricus*, urbem ad Romanam, dignitatis Imperatoriæ in curiam, pro documento certaminis per ipſum cum Hunnis commiſſi, in fronte detuliſſe, & propter hoc, immortalitatis nomen uſurpaſſe, narratur. Hungarorumque in idiomate, *halhatalan Detreh* dici meruit, præſentem uſque in diem. Hunc Detricum, galeam quandam habuiſſe, & illam, quanto magis deſerebat, tanto majori claritate reſulſiſſe, fabulantur. In hoc quidem prælio, ex Hunnis quadraginta millia, nec non illorum Capitanei, *Bela*, *Keme*, & *Kadicha* cecidiſſe dicuntur; quorum tandem Capitaneorum cadavera, ipſi Hunni ad ſtatuam memoratam detulerint, & ibidem condignæ tradiderint ſepulturæ. Quanti autem Romano de exercitu corruerint, pro comperto valet dicere nemo. Sufficit tamen, certamine in hoc, tantam ipſos cladem accepiſſe, quod peramplius illos contra Hunnos congregari, nullus omnino hominum perſuadere potuit.

CAPUT XIII.

De Electione Athylæ in Regem, deque illius moribus & Armorum geſtaminibus, quibus in hoſtem utebatur.

Cum poſt hæc, pacifica poſſeſſione Pannoniæ regionis potiti, *Dominicæ Incarnationis quadringenteſimo primo*, ab ingreſſu vero eorum in Pannoniam, *anno*

Digitized by Google

anno vigesimo octavo; ceteris Capitaneis, ut supra dictum est, vita functis, *Athyla* duntaxat, qui Hungarico idiomate *Ethele* dictus est, & *Buda* fratre ejusdem, superviventibus, eundem Athylam, super se, unanimi voto pariter & consilio, Regia dignitate extulerunt. Competebat huic homini haec dignitas, cum omnium Hunnorum peracri fuerit ingenio, robore quidem animi, & laborum tolerantia, disciplinaque rei militaris, ac industria & ambitione, omnibus superior, in hoste fallendo, insidiisque opprimendo, ac dolis struendis, versutus & percallidus, corpore strenuus, animo fortis pariter & audax, in voluntate quidem magnanimus, & in praeliis astutissimus, persona egregius, pectore & humeris latus, colore teter sive fuscus, intuitu austerus, barbam quidem longam deferebat; venereus quoque admodum fuisse traditur. Athyla, principatu adepto, tanquam Regio de germine natus, omnia sui regiminis negotia, serie peroptima & glorioſa composuit. Nam se, expeditionemque suam, armis politis praemunivit; multa quoque ingenia, machinas videlicet & cetera tormenta, ad frangendas civitatum & castrorum munitiones, praeparare pariter & adaptare fecit. Decem praeterea falcatorum curruum millia habuisse fertur, & cum his suus ubique exercitus muniebatur. Tabernacula quidem ac papiliones, & tentoria illius, juxta diversarum regionum ritum & consuetudinem, variis modis contexta habebat. Ex quibus unum, pro personali ejusdem residentia, sericeis contextum de pannis, auroque splendenti ac lapidibus pretiosis intermixtim adornatum, & tam mirifice conjunctum & solidatum fuisse traditur, ut extendentibus illud & recolligentibus, faciles praeberet labores. Columnae vero ejusdem tentorii, auro ductili fabrefactae, in illarum juncturis, lapidibus adornatae pretiosis fuisse dicuntur. Sua etiam maristalla, quam suis exercitualibus in expeditionibus deferebat, pro majori parte, de purpura ceterisque sericeis pannis erat praeparata. Haec, licet diversarum regionum equorum genere, saepius fuerit repleta, non tamen largus Princeps, illorum gaudebat de pluralitate, sed illos tum Principibus exercitus sui, tum vero suis militibus, abundanter distribuebat in tantum, quod aliquando duos vel tres, proprio equitandi pro usu, vix habebat. Sellae quidem & ceteri equitandi apparatus, multo resplendebant auro & gemmis. Mensa quoque, tum vero coquinaria vasa, aurea fuisse dicuntur. Thalamus quidem, & stratum regale, quibus suis in expeditionibus propria utebatur pro quiete, non sine auro gemmisque, ac ceterorum pretiosorum metallorum genere erant, in tantum, quod ambasiatores extranei, illius campestria dum veniebant ad hospitia, eadem conspicientes, his, a quibus venerant, redeuntes mirabundi referre non valebant. Iste Rex, non tantum in his, sed & in cunctis seculi pom-

Digitized by Google

pis, abundans & glorioſus erat. Quamvis etiam ſeverus fuerit peregrinis, tamen a nationibus, ſuam propter liberalitatem, multum diligebatur. Confluebant enim ad illum, mundi de cardinibus, bellum quibus curæ erat, extraneæ nationes, quibus ille in magna rerum diſtributione, liberaliter reſpondebat. In expeditione vero ſua, decies centena millia Hunnorum, extraneas præter nationes, qui innumerabiles erant, habere perhibetur. Et cum unus de ipſis decies centenis millibus, bello vel morte deficiebat, alter in illius locum mox dirigebatur. Nolebat enim tantus Princeps, ut ſuus exercitus quandocunque eclipſin pateretur. Arma quidem tutricia Hunnorum, de Scythia ſecum apportata, ex corio ferroque deſuper polito fuiſſe, feruntur. Arcuſque & ſagittas ac lanceas peracutiſſimas, ad offendendum hoſtem geſtabant, ac clypeo vel ſcuto tecti, cultroque ad femur accincti, vultu horridi, barba crinibuſque indiſpoſiti, pellibus veſtiti, cuncto populo terrori pariter & formidini erant. Ipſe quoque Athyla Rex, quamvis ad ſubjectas ſibi gentes, liberalis fuerit, propter innatam tamen ſibi ſeveritatem, ſuique intuitus auſteritatem, a ſuis nimium timebatur. Suis quoque bellicis pro inſigniis, tum in ſcuto, tum in vexillo, avis imaginem, ad modum aſturis depictam, coronam in capite habentem, geſtari faciebat. Hæc quidem inſignia, per Hunnos ſive Hungaros, uſque ad tempora Ducis Geyſæ, filii Ducis Toxon, geſtata fuere. Titulus autem ſuus, hanc formam continebat: *Athyla filius Bendekucz, nepos magni Nemroth, nutritus in Engadi, Dei gratia Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Danorum, metus orbis, & flagellum Dei.*

CAPUT XIV.

Quomodo Rex Athyla Budam Fratrem ſuum ſui Regni effecit participem.

Poſtquam autem Athyla, in regiæ dignitatis gloriam ſublimatus extitit, Romanaque deſtitit ſe protegere manus, ipſe Athyla, ſedem ſibi in civitate *Sicambria*, ſuperius nominata, elegit. Tandem ex innata ſibi ambitione, vicina conſtituit invadere regna. Quamobrem, ne ipſo abſente, hoſtilis quippiam ſuo in dominio efficeret manus, *Belam* fratrem ſuum, ſui regiminis effecit participem, & illum a flumine *Titiæ*, uſque ad amnem *Tanaim*, ſuper univerſas barbaras ſibi ſubjectas nationes, Principem & rectorem conſtituit. Poſt hæc, ſuæ potentiæ fama undique diffuſa, & validis nationibus ad illum concurrentibus, provincias circumſtantes, *Moeſiam* ſcilicet ac *Achajam*, *Macedoniam*, & utram-

Digitized by Google

utramque *Thraciam* invaſit. Tulerant enim hæ regiones Matrino contra Hunnos auxilium, & Regi Athylæ, propterea eaſdem quam primum invadere, curæ erat. Quibus tandem regionibus Rex Athyla perdomitis, & ſub jugum ſui principatus redactis, victor rediit Sicambriam. Hæc regis Athylæ victoria, multas orbis per partes diffuſa, *Marcianum*, Romanorum & totius orientis Imperatorem, territavit. Nam ſtatim poſtquam tantarum terrarum, Athyla, triumpho eſt potitus, timuit, ne eo magis ſui imperii penetraret ad interiora, cum Perſis, qui tunc illius fines acriter perurgebant, treugas fecit. Hac enim regis Athylæ ſorte, maximæ partes mundi pulſatæ, multæ nationes, potiſſime illæ, quarum direptio rerum animi erat, ſponte illi ſe ſubdiderunt. Inter quas *Walmer*, *orientalium Rex Gothorum* nobiliſſimus, *Ardaricuſque*, *Gepidarum Rex* famoſiſſimus, præterea *Marcomanni*, *Suevi*, *Quadi*, *Eruli*, & *Turingi*, populi, ex innata militiæ virtute, perſtrenui, Regi Athylæ, in ſervitutem pariterque & ſocietatem, ſponte ſe dederunt.

CAPUT XV.

De memorabili & magno Athylæ Regis bello in Campis Cathalanicis (1) *commiſſo.*

Rex igitur *Athyla*, tantarum ſuperbus imperio nationum, tantarumque viribus fretus gentium, omnia quæ cogitabat, ſe facile perficere poſſe arbitratus eſt. Quare, ut dictum eſt, in Sicambriam rediens, cunctis ſui dominii Principibus, ſolennem curiam ſe celebraturum, promulgare præcepit. Edicto igitur Regio, magnas circumſtantium regionum per partes divulgato, & ipſa curia, multorum advenarum nobilium adventu tumeſcente, tandem *Detricus de Verona*, qui prius hoſtis erat, regis benevolentia pariter & liberalitate auditis, cum multis Germaniæ Principibus, tanti Regis venit in curiam, & non minus ceteris, ſe illi exhibuit gratum & familiarem. *Rex* vero *Athyla*, multa liberalitate, illi, ceteriſque Principibus, reſpondit. Cum igitur Detricus, Principem erga ſe benevolum eſſe ſenſit, perſuaſit illi, ut regiones occidentales, Romano

(1) Legendum potius, *Catalaunicis*; eſt enim *Catalaunum*, ampla & munita Galliæ civitas, hodie *Châlons ſur Marne*, in cujus vicinia, & non alibi hos campos quærendos eſſe, optimi autores ſtatuunt, & certiſſimis argumentis in ſpecie demonſtrat. *P. Merula Coſmogr. p. 2. l. 3. c. 23.*

Digitized by Google

imperio ſubditas, invaderet. Ajebat enim, quod omnium armorum eſſent deſtitutæ præſidio, & ſi Rex illas aggrederetur, non ſine magni honoris nomine exinde rediret. Quapropter Rex Athyla, conſilio Detrici ductus, ingentem movit, tum ſuæ, tum extraneæ gentis expeditionem. Egreſſus tandem de *Sicambria*, primo *Illyricos* dicitur invaſiſſe. Deinde omni pene *Germania* pervagata, ac cunctis civitatibus & caſtris, quæ occurrebant, ſubverſis, intravit tandem in *Regnum Conſtantiæ*, ubi *Rex Sigismundus*, ejuſdem terræ Princeps, circa *Baſileam*, magno cum exercitu illi dicitur occurriſſe. Quo, per Regem Athylam, cum omni expeditione ſua contrito & fugato, poſt hæc, dum idem Rex Sigismundus, ad arcendum hoſtem ſe viribus imparem vidit, Athylæ dominio, cum omni ſua ſe ſubdidit gente. Deinde Rex Athyla ſecus Rhenum tranſeundo, *Argentinam* civitatem munitiſſimam, quam Romanorum Cæſar nullus expugnare potuiſſe traditur, obſedit expugnavitque, & cuncta, quæ in illa erant, diripuit, ac muros illius, in multis locis diruere fecit, ut cunctis intrantibus in illam, liber & ſine difficultate præberetur introitus, edicens nihilominus firmiſſime, ne illius murus, rege ipſo vivente, quandocunque repararetur, ut non Argentina, ſed propter viarum pluralitatem, quas in muro illius fecerat aperire, Strasburg vocari deberet. Deinde amoto exercitu, *Luxonium* (1), *Byzantium* (2), *Chalom* (3), *Maſticon* (4), *Ligonem* (5), *Burgundiam* (6), & *Lugdunum* (7), civitates munitas ac fortes, opibuſque & viro divites, expugnando diripere, ac humotenus deſtruere fecit. Tandem per omnes Gallias diſcurrendo, omnia evertebat, nec aliquam civitatem, vel caſtellum, aut oppidum, a manu illius quæpiam tutari potuit munitio, ſed velut ſæva quædam tempeſtas, in igne & gladio omnia conſumſit. Inter hæc ignorabat Rex Athyla, *Ethium* Romanum Patricium, cum innumerabilibus occidentalium nationum copiis, ad *Galliarum* ſubſidium adveniſſe. Tertiam ergo partem ſui exercitus, contra Soldanum *Mirmammon* denominatum, Principem potentiſſimum, qui tunc *Galliciæ* dominabatur, deſtinavit. Quos, dum Soldanus contra ſe venire perſenſit, cum eſſet ad committendum conflictum imparatus, de *urbe Sibilæ* (8) fugiens

(1) *Luxovium* Burgundiæ oppidum, dictum vulgo *Luxeu*, vel *Luxevil*. (2) Alias *Veſontio* vel *Biſuntio*, vulgariter *Beſançon*, metropolis Burgundiæ. (3) *Cabillonum* ſeu *Cabillonia*, vulgo *Chalon ſur Saone*, olim ſedes Regum Burgundiæ. (4) *Matiſco*, *Matiſcona*, ſeu etiam *Maſtico*, urbs Burgundiæ, hodie *Maſcon*. (5) Alias *Lingonum*, hodie Gallis *Langres*, urbs antiquiſſima. (6) *Burgundia* non eſt nomen loci, ſed Provinciæ, Gallis vulgo *Franche Comté*; mihi itaque legendum videtur *Burbonem*. Eſt enim *Burbo*, ſeu *caſtrum Burbonis*, hodie *Bourbon Lancy*, quaſi *Lancien*, urbs trans Ligerim in Burgundia ſita. (7) Hodie *Lyon*, emporium totius Galliæ celeberrimum, quod olim Burgundiæ Regibus paruit. *Paradin.* de ant. ſtat. Burg. c. 8. (8) Legendum, *Sibiliæ*, ſeu *Sevilia*, quæ alias *Hiſpalis* dicitur.

Digitized by Google

fugiens ante illos, brachio maris, quod *ſtrictum Sibilæ* dicitur, tranſnatato, in *Marochiam* ſe recepit. Athyla vero, Rodano flumine tenus progrediens, & omnia demoliens, tandem urbem *Aurelianam* obſedit. In cujus obſidione, Patricium prædictum contra ſe armari, genteſque conducere audivit. Ne igitur *Wiſſegothi*, id eſt, Gothi occidentales, in Galliis manentes, ipſi Patricio jungerentur, ſibique ex hoc, hoſtilis manus gravior fieret, timuit. Quamobrem, aſtutia quadam amicum Gothis ſe ſimulans, ad Theodoricum illorum regem, nuntios deſtinavit, & ſe cum illo amicitiam ſervare velle, tantummodo cum Romanis ſibi agere debere, intimavit. Ethius vero Patricius, in hac re Athyla ſolertior, prius regem Theodoricum adortus eſt, illique antiquas Hunnorum inimicitias, quas in ſuam gentem, in ejuſdem de propriis ſedibus expulſione, intulerant, reducens in memoriam, eundem ab Athylæ amicitia diſcindens, ſuam contraxit in ſocietatem. Athyla autem cogitans, quanto magis differret bellum, tanto magis inimica manus augmentaretur: quapropter, Aurelianæ civitatis ab obſidione, ſuis copiis remotis, ut hoſtem minus promtum adoriretur, illuc, ubi hoſtis manebat, accelerare feſtinabat.

In tranſitu autem, cum quidam Eremita, vitæ idoneæ, in montium abruptis repertus, & ad Athylam Regem adductus, quodque futura prædicere ſciret, accuſatus fuiſſet, Rex Athyla, illum humane ſuſcipiens, ſuarum rerum eventum ab illo ſciſcitatus eſt. Ille, multam poſt taciturnitatem, infeſto Regi dixit: *Maxime princeps! hominem ignarum, divinam cogis exprimere voluntatem. Quid putas in me eſſe de cæleſtibus, qui vermiculus ſum terræ. Sed ut a potentia Dei mei, quem tu ignoras, quemque perſequeris, te nihil tenere, aut me tibi de futuris dicere aliquid non poſſe, arbitreris; magis, ut deberem, in linguæ miniſterio diſſolutus, ad te hæc verba facio.* Tandem inquit: *Deus omnipotens, qui tantarum gentium regit imperium, hac vice, ſuæ auſteritatis gladium, tuas dedit in manus. Tu enim es flagellum Dei, & tua ſeveritate, a ſua declinantium juſtitia, impietatem, ipſe Deus corrigere voluit, accipiet tamen hunc gladium a te dum voluerit, & illum alteri tradet. Ut autem ſcias, bello cuncta vincere, non humanitatis, ſed divinitatis eſſe potentiam, hac vice, Romanis prælio inferior eris, non tamen infra tempus tibi præfixum, tuis de manibus perſecutionis gladius cadet, nec tuum hac vice omnino extinguetur imperium.* Stupefactus admodum Rex Athyla in Eremitæ relatione, illum amovens, ac ſub cuſtodia teneri præcipiens, univerſos aruſpices, & divinatores, quos adinſtar paganorum, magna futurarum rerum dicendi pro ſpe, ſecum deferebat, ad ſe vocari juſſit, & illos, ſi Eremitæ ſequerentur judicia tentavit. Illi quidem, extis pecorum, ut barbarorum erat conſuetudinis, perſpectis,

Digitized by Google

ſpectis, aliarum etiam rerum ad id idonearum ſcrutiniis, diligenter examinatis, dicta Eremitæ approbarunt; nihilominus tamen, contrariæ partis ſummum Ducem, in prælio caſurum, prædixerunt.

Rex Athyla cum omnium Principum eſſet ſuperbiſſimus, omnia, quæ prædicta erant, in ſe contingere, quam fugæ præſidio, ſe & ſuum populum ſalvum efficere, præoptavit. Eremita, tum contubernia Athylæ, tum munera refugiente, per Athylam in pace dimiſſo, ipſe Athyla, cum cuncta ſua expeditione, *Cathalanicos agros*, ubi Romanus congregatus erat exercitus, devenit, munituſque caſtris curruum ſalcatorum, hoſtem expectabat. Sed cum Ethium Patricium, multo extranearum nationum præſidio gaudere, audivit, mox illum, tertiam partem ſui exercitus, contra Soldanum miſiſſe, pœnituit. Aſtutiſſimus Princeps, adinventa occaſione, a Patricio, ſub pace fienda inducias pugnandi petebat, non ut terga verteret, ſed ut dimiſſa ſui exercitus pars, interim ad illum remearet. Cognovit Patricius Regis Athylæ aſtutiam, & inducias ſe daturum negavit. Ingenti enim, tum Romani exercitus, tum vero extranearum nationum, armata expeditione gaudebat. Antiquæ enim Hungarorum hiſtoriæ, cum illo decem reges occidentales, cum cuncta illorum potentia, ſuiſſe tradunt. Atoninus vero & Sigibertus, præfatum Gothorum Regem Theodoricum, Burgundiones quoque ac Alanos, Francos, cum rege ipſorum Meraneo, Saxones, Ripariolos, Lambriones, Sarmatas, Brittones, Luterianos, ac pæne omnem populum, ſolis ad occaſum manentem, Ethio Patricio auxilio fuiſſe, Athylam vero Regem, cum quingentis millibus de Pannonia egreſſum extitiſſe, ſuis poſuere in Chronicis. Et quamvis ipſe Athyla, divinationibus prædictis, admodum turbatus fuerit; tamen, quia ſupremum Ducem hoſtilis exercitus, in prælio moriturum prædixerant, de interitu Ethii Patricii, cum ille totius Romani exercitus eſſet Dux, cogitabat. Nam illius necem, cum ſibi ſupra omnes moleſtus foret, permaxime optabat. Hac ergo intentione, Athyla, etiam cum interitu ſui populi, bellum committere non formidabat. Convenerunt igitur uterque hoſtis, in campis Cathalanicis, qui in longitudine ducenta, & in latitudine ſeptuaginta ad milliaria extendi, perhibentur. Et dum ſibi diſtarent, levibus uſi ſunt certaminibus. Tandem ventum eſt ad locum, ubi certamen amplius differri nequibat. Athyla vero Rex, tum Eremitæ, tum divinatorum reſponſa, præ mente ferens, de exitu belli dubius, occaſionem dedit, ut hoſtem maturo die conveniret; ut, ſi viri armorumque inferior eſſet præſidio, ſaltem ſuperveniens nox, illi adjutorio fieret. Quapropter, adveſperaſcente jam die, omnis multitudo utriuſque partis commota eſt. Concurrunt

Digitized by Google

runt hinc inde fortiſſimæ nationes, bellum inchoatur aſperrimum, quale vix ulla narrat hiſtoria; clamoribus, tubarumque ac tympanorum reſonantiis, & enſium tinnitibus, altus reſonat aer, multa millia hominum hinc inde proſternuntur. Omniſque illa campi planities, cadaveribus adeo repletur, ut neceſſe eſſet pugnantibus, ſuper occiſorum corpora decertare. Tanta ibi hominum equorumque multitudo corruiſſe, tantuſque ſanguis effuſus extitiſſe, traditur, ut rivulus exigui momenti, medium certaminis decurrens per campum, ex hominum equorumque occiſorum cruore, tantum inundationis cepiſſet incrementum, quod cadavera ſecum traheret peremptorum. Cecidit in hoc prælio, Rex ille Gothorum præſtantiſſimus, *Theodoricus*, inter fortiſſimos hoſtium cuneos interfectus. Præterea ex utraque parte, centum octoginta millia hominum, per hiſtoricos, qui bello de hoc ſcripſere, quaſi una vocis conſonantia, in hoc turbine belli periſſe traduntur. Et quamvis in Chronicis Hungaricis, Athylam victorem fuiſſe, ceteroſque Reges, qui Ethio Patricio in ſubſidium venerant, audita morte Regis Theodorici, fugiſſe poſuerint; Sigibertus tamen ac Antoninus, & quaſi univerſa Romanorum opera hiſtoriarum, Athylam bello inferiorem fuiſſe, narrant. Dicunt enim Sigibertus & Antoninus, quod, cum diu æquo Marte, hoſtem inter utrumque pugnatum fuiſſet, tandem exercitus Athylæ ceſſiſſet, & ſe plauſtrorum inter munimenta continuiſſet, ſequenti vero die, *Thoriſmundus*, Theodorici Regis Gothorum filius, qui cum patre contra Hunnos pugnaturus, in ſubſidium Patricii venerat, patris mortem, Hunnorum ſanguine vindicare, Athylæque caſtra, cum ſuis Gothis expugnare diſpoſuit. Quod poſtquam Athylæ innotuiſſet, idem, dum omnino de victoria jam deſperaret, de equitum ſellis ſtruem componi juſſiſſet, inquiens: *Si hoſtem prævalere videbitis, hanc ipſe ſtruem aſcendam, voſque ignem ſupponite. Elegi enim, potius a vobis, qui mei eſtis, cremari, quam hoſtium gladiis interire, aut captus, qui Rex tantarum ſum nationum, in manus Romanorum vel Gothorum devenire, & illis ludibrio fieri.* Ethius autem Patricius, Thoriſmundi voluntatis conſcius, timebat, ne deleto Athylæ exercitu, ipſe Thoriſmundus victoria ſuperbus, illi, cui nunc auxilio eſt, hoſtis fieret, armaque in Romanos vertens, illos de facili opprimeret. Quapropter Thoriſmundo, quaſi de rebus ſibi neceſſariis conſulens, ait: *Thoriſmunde, & patrem vindicare, & hoſtem opprimere, cum ad hæc unanimi voto congregati ſimus, eſſet optimum. Sed cum paterna tuaque obſequia, animum meum in bona voluntate tibi annexuerint, vellem tibi, de tuis rebus admodum placentibus, aliquid perſuadere. Scis enim, genitorem tuum jam vita eſſe functum, & te germanum domi habere, hominem regnandi peridoneum. Timeo igitur, ne audita*

Digitized by Google

morte patris, regnum sibi usurpet. Tu quoque, si Hunnos aggrederis, qui heri vicisti, (cum belli dubius sit exitus,) hodie vinci poteris, & post hæc, fractis viribus, domesticum gerere bellum, tuo germano impar eris, acerbiusque tibi cum tuis, quam cum alienis erit dimicandum. Age igitur & festina, ut potius prævenias, quam prævenieris. Thorismundus, quasi salubre, & sibi necessarium Ethii amplectens consilium, ita putavit faciendum. Quo abeunte, residuus Romanus exercitus, simul cum auxiliariis dispersus est. Tertia quoque pars exercitus Athylæ, quæ huic bello interesse non poterat, ipso vivente, Pannoniam redire ausa fuit nunquam. Sed ibidem, Cathalanicis in oris permansisse, & ejusdem terræ incolatum recepisse, ipsos autem Hunnos, quos Rex Athyla contra Soldanum destinaverat, præter extraneas nationes, sexaginta quinque millia fuisse, & horum quidem Capitaneos, ipsorum lingua *Hispanos* vocatos extitisse, & exinde Hispaniam nomen accepisse, tradunt.

CAPUT XVI.

Quomodo Athyla Rex flagellum Dei se vocari jusserit, & de destructione Remensis Civitatis.

Post hæc *Rex Athyla*, cum vidit Romanorum exercitum dilabi, majori severitate intumuit, arbitratusque, amplius Romanos cum illo congredi non audere, dixisse fertur: *Stella cadit, tellus tremit, en ego malleus orbis.* Seque juxta Eremitæ dictum, *flagellum Dei*, jussit appellari. Tandem, tantas [illegible] post fatigationes, in campo prælii supradicto, aliquos per dies commoratus est; deinde movens agmina (populus enim adhuc restabat infinitus,) iterum majori cum rabie, Galliæ civitates aggressus est. Demum igitur ad *Trecas* (1) venit, ubi *sanctus Lupus* erat Episcopus. Hic, cum Athylam appropinquare audivit, pontificali mox indutus habitu, cum omni sui cleri cœtu, illi obviam processit. Cumque coram illo venisset, & ad illum admissus fuisset, ait Episcopus: *Tu, quis es, qui terram dissipas, & conculcas?* cui Athyla: *Ego sum*, inquit, *Athyla Rex Hunnorum, flagellum Dei.* Ad quam vocem, sanctus Lupus Episcopus, portas civitatis jussit aperire, & ad Regem ait: *Bene venerit fla-*

(1) *Trecæ*, urbs nobilis & potens, ad fluvium Sequanam in Campania Galliæ, vulgo: *Troye en Champagne.*

Digitized by Google

flagellum Domini mei. Introduxitque illos in civitatem. Illi vero, aut humanitate ipſius Epiſcopi exigente, vel, ut quidam volunt, divino obumbrante numine, abſque cujuslibet offenſione, mediam tranſierunt per civitatem. Deinde in *Tholoſanam* venit *civitatem* (1), in quam per cives ejuſdem, honorifice & ſumma cum laude ſuſceptus eſt, propter quod cives ipſi, tum in perſonis, tumque in rebus, gratiam illius meruerunt. Poſthæc *Remenſem civitatem* (2), urbem Gallorum capitalem, obſedit. Ingentem enim, Rex Athyla, hanc contra civitatem conceperat iram, propterea, quod cives ejuſdem, illi, in Cathalanicos campos eunti, vehementer reſtiterant. Depopulata igitur univerſa illi circumſtante regione, acri illam obſidione circumveniens, adhibitis cunctis tormentorum generibus, quæ ſua ducebat expeditio, muros illius diruere faciebat, ſagittariorum præterea multitudo, mœnia illius, denſiſſimis ſagittarum caſibus inundabat, ita, quod nedum homo ibidem ſui ad protectionem aſſiſtere, verum & minutiſſima, ſine vulnere, avicula, illac evolare non valuiſſet. Erat civivitate in hac Epiſcopus ſanctæ vitæ, *Nicaſius* nomine, vir maximis inſignis virtutibus, & ſororem, *Eutropiam* denominatam, virginem ſpecie & forma præclaram habebat, quæ ſuam Deo dedicaverat pudicitiam. Iſte Epiſcopus, ſimul cum ſorore, aſſiduis tempore obſidionis vacabant orationibus. Acrius igitur Hunnis civitatis expugnationi inſiſtentibus, cum miſeri cives, nullam ſalutis opem, ſed tanti diſcriminis, ſolam mortem eſſe redemtricem, conſpiciunt, lachrymantes cum mugitibus & ſuſpiriis, ad ſanctum Dei cucurrerunt, illumque in oratione repertum, his verbis pulſavere: *Subveni, pater ſancte ſubveni; aut conſule nobis, ſi gentium ſervituti te ſubjiciamus, aut pro fide, proque civitatis ſalute, uſque ad interemtionem decertemus.* Vir autem Dei, ante hæc, ex divina revelatione, urbem penitus ſubvertendam fore, cognoverat. De oratione igitur elevatus, quaſi de gravi ſomno evigilaſſet, civibus cum magna conſtantia ita reſpondit: *Indignationem hanc, juſto Dei judicio, veſtris ſceleribus, veſtra ſuper capita prænotatam, non ignoravi; quapropter flagella Dei, quæ ipſimet provocavimus, patienter & non inviti, ſub bona ſpe & devotiſſime, etiam cum mortis periculo, ſuſcipiamus, ut ipſa mors tantum corporis ſit ſupplicium, æternæ autem vitæ fiat remedium. Attendite me paſtorem veſtrum, ſi ipſe pro illo, qui ſuarum me conſtituit paſtorem ovium, ad mortem paratus ſum, & vos, ſi oves meo eſtis de ovili, quas cognoſcit paſtor, veſtrum*

(1) *Tholoſa*, vulgo *Tholouſe*, urbs Galliæ Narbonenſis, in Aquitaniæ confinibus, ad Garumnam fluvium. (2) *Rhemi*, vulgo *Rheims*, urbs Galliæ, 5. circiter leucis a Catalauno diſtans.

Digitized by Google

imitari paſtorem non negligatis, ſed parati ſitis, omnia, quæ occurrerint, pro amore Chriſti tolerare; ſic enim, fratres chariſſimi, itur ad aſtra. Inſtantius igitur, non tantum pro corporum liberatione, quantum pro animarum, quas illecebroſa vita polluimus, ſalute, pro inimicis quoque noſtris, illorum tamquam amicorum ſalutem optantes, oremus. His verbis vir Dei, cives uſque ad mortem turbatos, conſolabatur. Nec minus ſancta virgo Eutropia, expanſis in cœlum manibus, cives ipſos ad ſuſcipiendam inſtantem martyrii coronam, animabat. Inter hæc, Hunni, diſſolutis civitatis munitionibus, per ipſam civitatem diſcurrentes furibundi, omne vivens, quod illis occurrebat, gladio vaſtabant.

Nicaſius vero Epiſcopus, ſimul cum *Eutropia* ſorore ſua, ad valvas Baſilicæ glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, quam idem vir Dei, in arce ſedis Epiſcopalis ejuſdem civitatis, fundaverat, hymnis & canticis ſpiritualibus vacantes, cucurrerunt, moxque, ut ferratas acies ſanctus præſul vidit, manu ſilentium indicens, ait ad illos: *O divinæ voluntatis miniſtra fortitudo; quare contra naturam humanæ conditionis, victoriam veſtræ dignitatis, ſæviſſimam in rabiem convertitis? Verus namque quondam, nobilium bellatorum juris titulus ſubſcriptus erat, humilibus parcere, & debellare ſuperbos. Ecce plebs Chriſtiana, Deo ſuo humilis & devota, veſtris in conſpectibus proſtrata, uſque ad mortem obediens, veniam petit. Si enim oves meas, perſeverante impietate quæritis, me primum pro ipſis victimam, divinæ majeſtati libate.* His dictis, cum pater ſanctus rurſus ad orationem proſtratus, hunc verſiculum diceret: *adhæſit pavimento anima mea*, continuo gladiatoris ſequitur ictus, & vir Dei capite truncatur.

Non ergo ab ore decollati, verbum ſanctitatis deſtitit, ſed immortalitatem, quam ſemper optabat, impetravit dicens: *Vivifica me Domine ſecundum verbum tuum.* Sancta autem virgo Eutropia, videns, circa ſe omnem impietatis illorum ſeveritatem mitigatam, & ſuam pulchritudinem, quaſi paganorum litibus cognoſcens reſervari, malens mori potius, quam illi aſſentire, & in illorum contubernio vivere, ad interfectorem Epiſcopi ait: *Heu tyranne infidelis! magnum Dei virum indignis manibus jugulaſti, & me tibi abutendam reſervas, propter quod, divina jam te ſententia damnat.*

Et mox his dictis, non fæminea virtute, ſed divina ultione, ſaltu repentino in illum inſiliens, raptis illius palpebris, oculos ejus vindex evulſit, & continuo gladios perſequentium in ſe provocavit, ac cum fratre ceteriſque ſibi adhærentibus, illico palmam martyrii promeruit. Traditur etiam in quibuſdam hiſtoriis, quod poſt completam martyrii cædem, Hunnos ipſam civitatem depopulantes, terror ſubitus invaſiſſet, vidiſſent enim quaſi acies cœleſtes dimicantes,

Digitized by Google

tes, ipſa quoque Baſilica, horribili ſonitu reboaſſet, propter quod ipſi Hunni, relictis civitatis ſpoliis, auſugiſſent. Poſt hæc ipſa civitas diu, abſque homine ſolitaria, Angelica ſub cuſtodia, ſimul cum martyrum corporibus permanſiſſet, ardentiaque luminaria, in noctium obſcuritate, a remotis viſa, cœleſtis etiam cantus harmonia audita fuiſſet, & tandem ejuſdem urbis cives, qui per fugæ præſidium, ipſorum ſervaverant animas, remoto hoſte, urbem in eandem rediſſent, ipſorumque martyrum corpora, condigne ſepeliviſſent.

CAPUT XVII.

De paſſione ſanctarum undecim millium Virginum, & de Buda per Athylam fratrem ſuum interfecto.

Inter hæc *Rex Athyla*, quendam ſui exercitus præfectum, nomine *Julium* vel *Gywlam*, cum magna parte ſuæ expeditionis, ad obſidionem *civitatis Colonienſis*, quæ prius *Agrippina* vocabatur, deſtinavit. Qui, dum ejuſdem civitatis vacaret in obſidione, & cœtus ille undecim millium Virginum præclariſſimus, nullum ſibi a ſæculorum primordio habens ſimilem, duce *ſancta Urſula*, Brittanorum Regis filia, ſimul cum illuſtri Duce *Ethero* (1), Anglorum Regis nato, ſponſo ſuo, ac *Cyriaco* Papa, multiſque aliis ſpiritualium & ſæcularium dignitatum perſonis, navigii officio, Rheni fluminis alta ſulcantes, illac adveniſſet; mox dictus præfectus, quorundam Romanorum Ducum, gentilitatis errore infectorum, conſilio, ſimul cum Hunnis obſidioni dictæ civitatis inſiſtentibus, ingenti cum clamore & feritatis auſteritate, in tam ſacrum Virginum collegium, truculentus velut hoſtis irruit, omnesque uſque ad internecionem delevit. Harum ſanctarum Virginum paſſionem, plures deſcribunt hiſtoriæ. Et quamvis de cladis illarum tempore diſcordent, tamen, quia nulla Hunnorum potentia, præter Athylanam, aliquando Coloniam obſediſſe traditur, ob hoc hanc ſanctarum Virginum paſſionem, ejuſdem Athylæ Regis temporibus factam fuiſſe, admitti condignum eſt. Rex autem Athyla, poſt expugnationem civitatis Remenſis, omnem *Galliam* & *Flandriam* demoliens, deinde venit in *Thuringiam*, ibique apud *Iſmacum* (2) civitatem, pro extollentia

(1) Utraque editio Brunn. & Auguſt. habet, *Ethereo*. (2) Legendum, *Iſenacum*.

Digitized by Google

ſui nominis, ac ſi Romano ab exercitu, ſuus nullum paſſus fuit populus detrimentum, ſolennem curiam celebravit. Ad quam nonnulli vicini Principes, ex aſſecuratione Athylæ Regis, confluxiſſe feruntur. Deſiderabant enim, illius vultum, qui tanto ſui terrore orbem concuteret, intueri. Quos rex Athyla, magna cum liberalitate ſuſcipiens, multiformibus donorum muneribus honoratos, quieta ſub tranquillitate remiſit. Tandem ſuper *Dacos*, *Normannos*, *Friſones*, *Lituanos*, & *Prutenos*, delectos Capitaneos, & exercitum copioſum deſtinavit, & eoſdem ſuæ ſubdi fecit ditioni. Audivit poſt hæc rex Athyla, Romanos & Gothos rurſus contra ipſum copias adunare, & armatam congregare manum. Quapropter timuit, ne poſt tantorum bellorum laborem, milite feſſo, per illos circumveniretur, relictis Galliis, feſtinanter venit in *Pannoniam*. Et cum *Sicambriæ* demoraretur, *Buda* frater ſuus, terminos ſui rectoratus, ſibi per Athylam deputatos, tranſgreſſiſſe, & illius in abſentia, regnum ſibi uſurpare voluiſſe, erga illum accuſatus eſt. Et his rebus, id quod Rex Athyla, ſuo in receſſu, Sicambriam, *urbem Athylæ* præceperat vocari, *Buda* vero, illam vocabulo ſui nominis *Budawara* denominaverat, apud Athylam magna comprobatione erat. Quare ipſe Rex Athyla, eundem fratrem ſuum dolo circumventum, captivavit, & propriis ſuis manibus occidit, cadaverque illius in Danubium demergi fecit. Quo interfecto, licet ipſe rex Athyla inſtiterit, & rurſus novo ſub edicto ſtatuerit, quod ipſa Sicambriæ civitas non aliter, ſed urbs Athylæ debeat appellari; *Hunni* tamen ſive Hungari, interdictum minus obſervantes, illam *Budawara* vocaverunt, vocantque *Obuda* (1) uſque in hunc diem. *Teutoni* vero, edictum Regis tranſgredi magis formidantes, civitatem ipſam, ſicut tunc ob metum illius *Eczelburg*, id eſt *urbs Athylæ*, vocavere, ſic & modo illam eodem nomine vocant. Tandem Rex Athyla, fratre interfecto, Sicambriæ quinque annis quievit. Voluit tamen, ut quidquid mundus ageret ipſe conſcius fieret. Quare *ſpeculatores*, ad cunctas ſibi neceſſarias partes, pro. ut ſuis expediebat rebus, ordinaſſe dicitur. Quorum una ſtatio *Coloniæ in Germania*, altera in *Lithwania*, tertia juxta *fluvium Tanain*, & quarta in *Jadria*, Dalmatiæ civitate, conſtitutæ erant. Et harum ſtationum cuilibet, homines relatu digni, a locis ſupradictis, deinceps uſque ad Sicambriam, continue in tanti diſtantia ſpatii, locati & conſtituti erant; ut, dum alter eorum, de novis rebus Regi referendis, clamaret, propinquior illi, id competenter audiret,

&

(1) MS. *Wbuda*.

Digitized by Google

& rurſus ad alterum ſibi viciniorem reclamaret, quo dum novi rumores, ſi qui forent, ad regnum pervenirent, & rurſus voluntas regia, prout illi placebat, partibus in prædictis declararetur. Præterea, Rege quieti dato, non ergo quieſcebat curſitandi aſſueta Hunnorum feritas, quin & contiguarum provinciarum depopulationi dediti, maxime provincias, *Meſiam*, *Macedoniam*, *Achajam*, *Theſſaliam*, & etiam utraſque *Thracias*, armis infeſtis, & continuis incurſibus, gravabant. Quapropter, non ſolum earundem regionum, ſed etiam *Pannoniæ civitates* per ipſos Hunnos, crebris inſultibus fatigatæ, cum tantam nequirent continuam tolerare vexationem, jugumque dominii Regis barbari exoſum haberent, natali ſuo derelicto, ab ipſoque Rege Athyla licentia impetrata, dimiſſis armentis, ſolis Walachis, ipſorum qui erant paſtores, ſponte in Pannonia remanentibus, per mare Adriaticum, in Apuliam ſe tranſtulerunt.

CAPUT XVIII.

De Expugnatione Aquilegiæ civitatis.

Cumque Rex Athyla, oneroſa poſt bella, in Germania, Galliaque, & ceteris ſupradictis regionibus, maxime in campis Cathalanicis, peracta, quinquennem peregiſſet quietem, interea ſemper, Romanum per exercitum inſidioſe ſibi illata de injuria reminiſcebatur, totoque vindictam appetebat corde. Quapropter, omni ſui exercitus defectu, tum armis hoſtilibus deleto, tum in partibus Cathalanicis, ex cauſa ſuperius memorata, remanente, in armis & novo milite reparato, curia tandem ſolenni celebrata, egreſſus eſt de Pannonia, per *Styriam* ac *Carinthiam*, & *Dalmatiam*; & has quidem regiones, crudeli furore, magna cum depopulatione pervadens, apud *Salenam* & *Spaletum* civitates, mari Adriatico ſe conjunxit, & has quidem civitates contrivit, diripuitque pariter & ſuccendit. Dehinc, juxta mare progrediens, *Traguriam*, *Sardoniam*, *Sibinicum*, *Jadriam*, *Nonam*, *Sceniam*, *Potentiam*, *Polam*, *Chapiſteriam*, *Terreſtrinam*, ſimiliter civitates, rebus pariter, & populo non minus decoras, muriſque & armis firmatas, multa præterea oppida in montibus ſituata, demolitus eſt, ſuamque ac ſuorum in direptionem convertit; & velut leo turbatus inſaniens, ſuam injuriam a Romano ſuſceptam exercitu, Romani populi in ſanguine vindicabat, propter quod om-

Digitized by Google

omnia, quæ illi occurrebant, quaſi ingentium inundatio aquarum, ſui exercitus, in profundum ſubmergi faciens, tandem pervenit ad *Aquilegiam.*

Hæc enim civitas, in introitu Italiæ ſituata, & a quodam Antenore Trojanorum Duce, ut Padua, originem accepiſſe dicitur. Urbs erat magna, & ob metum Athylæ, tum vallibus, tum vero muris, militeque, & armis admodum communita. Athyla Rex, conſpecta illius magnitudine, cunctiſque munitionibus, quaſi ad reſiſtendum ſibi præparatis, totus incaluit, & ſuæ confuſioni adſcribi poſſe judicans, ſi poſt tantarum civitatum expugnationem, illam ſolam, quaſi territus, intactam relinqueret. Obſedit igitur illam, & multis machinarum ceterorumque ingeniorum, ad frangendum murum aptis generibus, illius munitionibus adhibitis, (quia cives ejuſdem, illam, in multo ſuarum, cumque hoſtis, diſcrimine perſonarum, protegebant,) trienni obſidione in illius vacavit expugnatione.

Et cum tantus populus, tanti temporis per ſpatium, univerſas circumſtantes terras, maxime in rebus ad cibum neceſſariis, ſpoliaſſet, ac omnia, quæ vicina erant, ex longa obſidione, ad inſtar locuſtarum conſumſiſſet, in tantumque obſidentes, non minori, quam obſeſſi, penuria laborarent, id Regis Athylæ animum, ut ab illius obſidione recederet, ſæpius monebat. Elatum tamen Principem, innata ſuperbia, a propoſito deſiſtere non ſinebat. Quapropter, cum una dierum ipſe Rex, ſui exercitus cum Principibus, conſcenſis equis, civitatem eandem circumambularet, & muros illius, unde ſibi opportunior civitatem ipſam invadendi daretur facultas, conſpiceret; ciconiam, quæ alto unius turris ejuſdem civitatis in culmine nidificaverat, pulloſque procreaverat, unum ex pullis ſuis, roſtri miniſterio capere, ac ad arundinetum ipſi civitati propinquum deferre, & rurſus poſt alium redire, ac in ceteris pullis ſuis, idem, quod in primo fecerat, facere vidit. Quo viſo, rex illis, qui eum comitabantur, ait: *Aſpicite avem, futurorum præſciam. Sentit enim, civitatem noſtras per manus ruituram, & ne cum civibus interiret, ſe & pullos ſalvare ſatagens, locum mutat habitationis. Simus igitur fortes in bello, ne hæc ſola civitas dicere valeat, quæ nulla per nos obſeſſa, dicere valuit.* His igitur verbis, Rex Athyla, omnem ſui exercitus animum ad ipſius civitatis expugnationem, fortius irritavit. Quapropter die craſtina, ingens fit concurſus agminum, omnique cum impetu, infelix civitas vexatur. Cives vero illius, dum etiam poſt captam civitatem, nihil aliud, quam morte ſe redimere poſſe, viderent, in ipſis civitatis & ſui protectione mori malentes, mœnibus civitatis inſiſtentes, acriter dimicabant, & Hunnos ab ingreſſu civitatis eo magis arcebant. Cumque

Digitized by Google

que Rex Athyla, eo die se nihil proficere potuisse, conspexit; die altera, aliud genus periculi, in ipsam civitatem excogitavit. Præcepit enim, ut omnis suæ expeditionis innumera multitudo, sellas, de quatuor duntaxat equitibus unam, afferrent, & illas juxta muros obsessæ civitatis projicerent. Fit igitur ingens sellarum congeries, cui tandem ipse Rex, ignem supponi mandavit. Quibus ardentibus, civitatis ejusdem murus, ex ignis vehementia, in ea parte debilitatus, & præcipiti ruinæ datus fuisse dicitur. Quibus visis, Rex ipse, rursus coaptato ad bellum innumerabili populo, miseram & pavitantem civitatem, aggreditur. Perdurante quoque pugna, in ipsius civitatis expugnatione fessis agminibus, recentia ingerebat, ex quo obsessis, universaliter in sui defensionem laborantibus, nulla dabatur requies. Tandem, fera Hunnorum multitudo prævaluit, intravitque in civitatem, ac omne vivens, quod humanum erat, senes & juvenes, absque sexus discretione crudeliter trucidavit. Omnes insuper tantæ civitatis divitias, direptioni mancipando, solas fæminas, quas illarum a morte redimebat pulchritudo, reservavit. Erat tunc civitate in eadem, fæmina quædam, tum parentum ab ortu, tum vero fidei religione, pudicitiaque nobilis, pulchritudinis vero forma non minus, cunctas ejusdem civitatis fæminas excellens, nomine Digna. Hujus fæminæ domus, supra ripam fluvii, civitate in eadem defluentis, erat. Hæc cum audivit, hostem, solas fæminas forma dignas, a morte præservare, ingemuit, & potius mori, quam carnalis ludibrii facinore, tam a sæva natione contaminari, præoptans, statim, postquam illorum strepitum, suæ domui appropinquare persensit, altiorem suæ domus in arcem conscendens, involuta capite & oculis, dicti fluvii in alveum, præceps se dejecit, mortuaque ibidem exspiravit.

CAPUT XIX.

De Origine Venetorum.

Hæc Regis Athylæ severitas, *Venetiarum* civitatem, nostro ævo, multi populi dominatricem, auri & agri possessione opulentam, (ut veteres canunt historiæ,) fundavit. Nam cum Rex ipse, Italiam aggressus, toti occidenti terrori esset, Venetorum populus, tempore in eodem, ut Antoninus refert, in Diœcesi, quæ Castellum dicitur, civitatem ædificabat. Tandem, postquam Regem Athylam, Aquilegiam obsidione gravasse, audierunt, simul

Digitized by Google

cum quam pluribus Aquilegiæ civibus, qui ſibi ante civitatis obſidionem, de ſalute proviserant, cum pretioſa ſuppellectili, omnique familia, ob metum Athylæ, propriis ſedibus derelictis, in quandam inſulam Aquilegiæ vicinam, quæ nunc vetus Venetia vocari dicitur, intraverunt. Et cum nec ibi, tutam ſibi manſionem eſſe arbitrarentur, rurſus navibus oneratis, ſe ad inſulam, quæ *rivus altus* dicebatur, tranſtulerunt, ſeque ibi ab impetu Hunnorum, quibus non erat copia navium, illæſos permanere poſſe, cogitantes, ſibi manſiones munierunt, & ex communi prioris agri vocabulo, Venetias appellaverunt. Licet quorundam fuerit opinio, Venetos, de Sabaria duxiſſe originem: tamen, quia Sabariam, Latinos Longobardos inhabitaſſe, in illaque, tam ipſis Longobardis, quam ceteris nationibus, ſcholam generalem, multis Philoſophorum, Poetarum, ac ceterarum artium dogmatibus, luculenter illuſtratam fuiſſe, & illam per Alaricum, quondam Gothorum Regem, diurna obſidione fatigatam, minime tamen captam, tandem vero, per Regem Athylam expugnatam extitiſſe, & poſt ejus expugnationem, per Regem Athylam factam, cives illius in Italiam ſe tranſtuliſſe, & in civitate Papia, juxta flumen Ticinum fundata, incolatum recepiſſe, tradunt hiſtoriæ; ob hoc Veneti, in quantum Aquilegiæ illos comitati ſunt cives, potius Trojani, quam de Sabaria oriundi, dici merentur.

CAPUT XX.

De Obtentu & de Ditione civitatis Ravennæ.

Capta igitur & incinerata, ac humotenus deſtructa *Aquilegia* civitate, Rex Athyla, nondum vindictæ ſatur, circumſtantes urbes aggreſſus, omnia, velut fulgur quoddam, quæque illi occurrere, demolitus eſt. Quamprimum enim *Concordiam*, in diſtrictu *fori Julii* ſituatam, dehinc in *Ducatu Longobardiæ*, *Pictaviam*, quæ noſtra ætate Padua vocitatur, poſt hæc *Veronam*, *Vincentiam*, *Brixiam*, *Cremonam*, *Mantuam*, *Pergamam*, & *Ferrariam*, civitates, magnarum abundantia rerum affluentes, cepit, & ſuæ ſubdidit ditioni. Dehinc venenoſo gladio, in *agrum Æmilianum* ſe ingeſſit, & illius civitates, ad inſtar aliarum, poſt multarum direptionem rerum, in deditionem recepit. Tandem, *Revennam* ad civitatem appropinquavit, ipſam eadem auſteritate domiturus. Erat civitate in hac, eiſdem in diebus, Archipræſul quidam, *Joannes* vocitatus, Ariana perfidia pollutus. Hic, in Sedis Apoſtolicæ, pariterque fidei

Digitized by Google

fidei Chriſtianæ contrarium, duodecim Cardinales, ſuæ ſectæ imitatores, conſtituiſſe, theſaurumque ingentis copiæ habuiſſe, narratur. Archipræſul iſte, adventanti Regi Athylæ, ſuo ſimul cum clero, albis amictus ſtolis, obviam venit, ac illum, ut civitati pariter & civibus parceret, ſupplex deprecatus eſt; promittens nihilominus illi, ſi ſuæ adhæreret fidei, Chriſtianoſque perſequeretur, quod ipſe efficeret, ut Rex Athyla, omnem Italiam, ac urbem Romanam, pariterque & Africam, ſine difficultate, gentiſque ſuæ ſine interitu, ſibi ſubjugaret. *Rex* vero *Athyla*, magis dominandi cupidine, quam ut ſectam illius ſequeretur, permotus, ad Archipræſulem ita dixit: *Parcere quidem humilibus, bonum eſt, ſed ne cives tui, de conſilio aut viribus, quibus noſtræ pararunt obſtare potentiæ, glorientur, volumus, ut repagula portarum civitatis deponantur, nobiſque in ipſam civitatem introitus pateat, & ſimul noſtri exercitus equorum ungulæ, nobis intrantibus, illa conculcent.* Placuit Ravennanis civibus, Regis voluntas. Quapropter, diſſolutis undique ejuſdem civitatis portis, Regem ipſum, cunctumque illius exercitum, civitatem in eandem intromiſerunt. Tranſivit igitur omnis Hunnorum exercitus, cujuſvis hominum abſque offenſione, per civitatem & ipſe Rex, in illa, ſuum ad beneplacitum commoratus eſt. Abinde moto exercitu, in *Liguriam* tranſiens, *Mediolanum*, ac *Ticinum*, urbes nominatiſſimas, aggrediens, contrivit, ac poſtea in illis habitantium civium, captivitatem, vel occiſionem, direptioni dedit. Noviſſime tandem, tanquam humani ſanguinis effuſione, rerumque præda ſatiatus, eo in loco, quo *Minutius* fluvius; *Padum* amnem influit, ſtativa firmavit caſtra, revolvens dietenus in mente, an Romanam deberet aggredi urbem. Sed Alarici, Gothorum regis, exemplum, ſemper præ corde præque oculis ferens, qui capta pariter & exſpoliata urbe Romana, amplius non ſupervixit, illac ire differebat.

CAPUT XXI.

De Adventu Leonis Papæ ad Athylam Regem.

Omnes itaque Italiæ per fines, maxime in Romana urbe, Regis Athylæ perſtrepuit voluntas. Quare, ingens timor univerſos invaſit. *Romani* ergo, conſultantes quid facerent? ultimatim, conſiderata Regis erga Ravennenſem Epiſcopum habita benevolentia, *Leonem* Papam, ipſis apud eundem gratiam obtinere poſſe arbitrantes, illum adierunt, apud eumque hæc verba fecerunt:

Digitized by Google

Sanctiſſime pater, divinæ ultio iræ, noſtris exigentibus demeritis, propinqua eſt, nec aliter illam, præterquam per te, evadere poſſe cogitamus. Subveni igitur ovibus tuis, pro quibus Chriſtus ſanguinem fudit, & mæſtam trepidantemque præ metu urbem, civium illius cum occiſione, ne deſeras incinerari. Tu ſolus es, qui nobis gratiam invenire poteris, ſi Athylam Regem, pro nobis adire non recuſas. Ita igitur, alme pater, &, ſi non aliter, etiam cum noſtrorum exhibitione cenſuum, illum nobis placatum redde. Inter hæc, Rex Athyla, magna parte ſui exercitus coaptata, præficiendo illi Capitaneum *Zowárd*, de genere *Zowárd* oriundum, illum in *Apuliam* deſtinavit, qui omnem Apuliam, nec non *Terram laboris*, pariter & *Calabriam*, uſque ad regionem & civitatem *Catonam*, olim a Catone Philoſopho, ut dicitur, fundatam, percurſitantes demoliti ſunt, magna quoque cum præda ad Regem redierunt. Tandem *Leo Papa*, cum cleri multitudine, multoque apparatu Eccleſiaſtico, divinis illum præcedentibus vexillis, ad Athylam venit. Cui rex Athyla obvium ſe præbuit. Et dum convenerunt, dignos Rex illi exhibuit honores. Equis igitur inſidentes, colloquio uſi ſunt. Et licet petitiones Apoſtolicæ, Athylæ Regi diſplicuerint; per omnia tamen, Leo Papa, ſuam erga illum aſſecutus eſt voluntatem, & non tantum urbi Romanæ, quin & omni Italiæ, ſalutem reportavit. Et cum Rex Athyla, Papæ licencentia data, illum dimiſiſſet ſuis cunctis, qui cum ipſo erant, de honore per ipſum Pontifici exhibito, petitionibusque tam facile admiſſis, ſtupentibus, & ipſum, cur extra ſolitum, in Papam benignitatis officio uſus fuiſſet, interrogantibus, Athyla ita reſpondit: *Non ego*, inquit, *illius, qui ad me venerat, perſonam honoravi, alter ibi aſtabat vir, ſacerdotali habitu amictus, forma & intuitu ſeverus, venerandaque canitie perfuſus, qui gladium evaginatum, ſua tenebat in manu, fremenſque & dentibus ſtridens in me, niſi petita admitterem, mortem inſtantiſſimam, & triſte perſonæ meæ exitium, minabatur.* Poſt hæc Rex Ahtiyla, diſſolutis caſtris, Ravennam eſt regreſſus, ubi Archipræſulem Arianorum ſupra dictum, Papæ ſequens conſilium, ſimul cum cunctis ſuæ ſectæ ſequacibus, captivare, exactiſque tandem ab illis, ſexaginta marcarum auri millibus, ipſum Archipræſulem jugulare fecit & cum poſt cuncta hæc ſui exercitus copia, ingenti mole Italicarum opum onerata, reverſus eſt in Pannoniam. Nondum autem Pannoniæ fines attigerat, cum eunuchus *Honoriæ*, ſororis Valentiniani Imperatoris, quam idem Imperator ob dotem pudicitiæ diſtrictius ſervabat, ad ipſum venit, idque, ut ipſam Rex Athyla, a fratre ſibi conjugem expeteret, detulit. Rex vero Athyla, cum jam Italiæ fines exceſſiſſet, nec niſi fatigato exercitu, rurſus ad Italiam redire poterat, nuntii verbis motus, ad *Valentinianum*, Impera-

Digitized by Google

peratorem legationem misit, utque sororem suam in conjugium, simul cum imperii dimidietate, sibi traderet, aut occidentale imperium rursus devastaturus rediret illi intimavit; quod & feciſſet, si ei longior vita superfuiſſet.

CAPUT XXII.

De Novis Regis Athylæ Nuptiis, & de Morte ejusdem.

Rex Athyla, in Pannoniam rediens, post tantorum tædium laborum, Sicambria intrata, illic, licet membra multis bellorum strepitibus affecta, quietem optaverint, ipseque, sui regalis sceptri nomen & gloriam, in altum sustulerit, & illius fama, cunctas orbis per partes diffusa, remotas etiam terras & regiones, rigoris sui terrore concusserit: ambitiosus tamen Princeps, cupiditate gloriæ fervens, magnis majora appetens, se ad maxima ingeri non formidabat. Et, qui jam sui imperii manum, in magnas mundi partes, longe lateque, quasi universas Europæ per regiones, extenderat; ut gladius suus, in Asiatico pariter & Africano agro, notus esset, mare transire, ac Ægyptios, Assyrios, ceterasque illis adjacentes regiones, invadere, & suo Principatui subjugare, suo in animo disponebat. Aliter tamen judicia disponunt divina. Nam cum Rex ipse, plurimarum conthoralium suarum, quarum numerus non erat, contubernio contentus minime, virginem quandam, supra omnem humanam formam & pulchritudinem, speciosam, ut fertur, Bactrianorum Regis gnatam, cui nomen *Mykolth* (1) fuit, sua ad connubia adduci feciſſet; tandem glorioſis nuptiis celebratis, dum Rex ipse, in convivio, usui vini, inque thoro, Veneri, suarum supra virium potentiam, se exhibuiſſet, utroque hoste, senex fatigatus, resupinus obdormivit. Cujus tandem de naribus sanguis egressus, in os & guttur illius ingrediens, coagulatus, illum suffocavit. Mulier autem illa, ad latus illius jacens, do somno evigilans, dum in dominum suum amplexibus uti voluiſſet, corpus exanime, rigidum pariter & infrigidatum, tangendo persensit; & cum pluries tactum, motum non reddidiſſet, juvenis puella perterrita, ingenti cum clamore, magnos diſſoluta in ululatus, Regis acclamabat cubicularios. Illi, clamore mulieris excitati, lucernis accensis Regem ipsum exanimem repererunt.

(1) MS. *Mikolch*

Digitized by Google

Proh dolor, gloria mundi, Superis disponentibus, quo dirigitur calle! Rex, qui multarum fudit sanguinem gentium, ipse proprio sanguine suffocatus est. Ingens rumor, omnem per Pannoniam excitatur, & ipsa Sicambria, multo planctu, usque ad æthera resonabat. Sepelierunt tandem illum, regiæ dignitatis cum honore, circa statuam memoratam, cum Kewe, Kadycha, & Bela, ceterisque Capitaneis supradictis. Eadem etiam nocte, qua Athyla mortuus est, Imperator *Martianus*, tunc in urbe Constantinopolitana commorans, sopori deditus, in somno, Athylæ Regis arcum fractum vidisse, ex hocque mortem illius agnovisse, perhibetur. Postquam autem Hunni Ticiæ applicuerunt, usque ad prælium Keesmawr, fluxerunt anni quinque; a prælio autem Keesmawr, usque ad regnum Athylæ, evolutus est annus unus. *Athyla* vero regnavit annis *quadraginta quator*, Ducatum tenuit *annis quinque*, vixit autem *centum & viginti quatuor* annis. Post ingressum vero Hungarorum in Pannoniam, *septuagesimo secundo*, ab Incarnatione autem Domini, *quadringentesimo quadragesimo quinto anno*, diem clausit extremum.

CAPUT XXIII.

De Bello post Mortem Athylæ Regis, inter Filios ejusdem gesto, & de reditu Chabæ, Filii Regis Athylæ, in Scythiam.

Divulgato Regis Athylæ obitu, cunctæ nationes, quarum intererat, non modico pavore perstrepuerunt, &, si illius de morte, dolere vel gaudere deberent, ignorabant; cum illi filiorum esset multitudo, ex quibus aliquem patre severiorem, genitoris regno potiri, cogitabant. Erant tunc Sicambriæ, Principes Germaniæ multi, Regi Athylæ ob metum illius, coacta servitute alligati, inter quos *Detricus de Verona*, excellentiam habebat non ultimam. Et cum inter filios Athylæ, duo essent, iu locum patris, tum animi virtute, tum vero ætatis maturitate, succedere ceteris præstantiores; alter *Chaba* denominatus, ex Honorii, Græcorum Imperatoris filia, progenitus, alter vero *Aladarius*, de Illustri prosapia Germaniæ Ducum orta, Domina *Kremheylch* 1) vocitata, susceptus: hos tum Hunni, tum nationes extraneæ, unusquisque suum

(1) MS. *Crumheldina* Chr. Bud. *Crimiheldina*.

Digitized by Google

ſuum juxta libitum, ſequebantur, quilibet illorum, ſuam partem præponĕre ſatagens. Detricus vero, & ceteri Germaniæ Principes, erga Hunnos recto non erant corde. Hi Aladario, tanquam ipſorum patriotæ, cum paucis Hunnis adhæſerant, utque Hunnos, unius animi homines, ſcindere, ac inteſtinam in diſcordiam deducere poſſent, omni intentione laborabant. Nec illos ipſorum fefellit opinio. Nam utriſque filiis Regis, in diſcordia regnantibus, Detrico ſuggerente, ambos inter fratres, ingens exorta eſt diſſenſio. Quaproter horrendum inſtauratur prælium, magna tantarum agmina gentium, Sicambriæ civitatis ſtricta inter mœnia, nec non adjacenti illi in agro, præliantur. Ingens cædes committitur. Hunni quoque, qui extranearum nationum de ruina gaudebant, ad inſtar armatorum, qui olim draconis ex dentibus, per Jaſonem, dum aurei velleris pro obtentu laboraſſet, ſeminatis, exorti, fraterna cæde conſumti fuiſſe dicuntur, perempta prius omni Germanica ceteraque extranea natione, mutuo ſe bello delevere.

Scribitur enim in antiquis Hungarorum Chronicis, quod hoc fraternum certamen, hæc inteſtina tanti populi clades, vix dies per quindecim conſummata fuiſſet, tantuſque ibidem, maxime extranearum nationum, ſanguis ſuſus extitiſſet, quod ſi id Teutoni, Hungarorum ob odium non celarent, dicere poſſent, ut Danubius ſecus Sicambriam defluens, ex Germanica, ceterarumque nationum cæde, in ipſum decurrenti ſanguine, in tantum permixtus fuiſſet, quod neque homines, neque animalia, a Sicambria deinceps uſque ad Potentianam, aquam illius puram ſine ſanguine, potare valuiſſent. In hoc etiam prælio, ſemper Chabæ partem ſuperiorem fuiſſe, tradunt. Tandem ad ultimum, *Chaba*, cum ſuis, per artem Detrici, devictus fuiſſe dicitur. Quapropter Chaba cum fratribus ſuis, ætate illo junioribus, ſibi adhærentibus, qui ſexaginta fuiſſe feruntur, nec non quindecim millibus Hunnorum, de ipſa cæde reſiduis, ad *Honorium* Imperatorem, avunculum ſuum, in *Græciam* fugiſſe perhibetur. Quem ipſe honorifice ſuſceptum, licet ſui regni participem, & Græciæ incolam facere voluerit; ille tamen, natalis patriæ dulcedine ductus, poſt tredecim annos, quos in Græcia dicitur peregiſſe, *Scythiam*, moraturus repetivit. In quam, tum propter magnam illius diſtantiam, tum vero longævi itineris gravitate detentus, vix unius integri anni infra revolutionem, devenit. Adita igitur Scythia, Chaba, *Bendegúz* avum ſuum, vivum & incolumem multo tamen ſenio confectum, inveniſſe & de illius conſilio, conſortem ſibi, non de Scythica natione, ſed de Coroſmanorum, Scythiæ vicina generatione, duxiſſe fertur. Ex hac tandem uxore ſua, Chaba genuit filium, nomine *Edemen*, & fratrem illius *Ed*; &

donec

Digitized by Google

donec ſupervixit, ſemper Pannoniæ pingui de tellure reminiſcens, ſuæ generationi, ut rurſus Pannoniam repeterent, perſuadebat.

CAPUT XXIV.

De Siculis.

HOs etiam præter Hunnos, qui Chabam comitati ſunt, tria millia virorum, eadem de natione, prælio de prædicto, per fugæ præſidium erepti, in Pannonia remanſiſſe, & quam primum in campo *Czyglamezew* 1) vocato, ſibi ſedem feciſſe; tandem, occidentales nationes, quibus vivente Athyla infeſti erant, metuentes, ad *Erdewelwe* 2), confinia videlicet Pannonicæ regionis, ſe tranſtuliſſe, & non *Hunnos* ſive *Hungaros*, ſed, ne illorum agnoſcerentur eſſe reſidui, *Siculos*, ipſorum autem vocabulo *Zekel* 3) ſe denominaſſe perhibentur. Hi Siculi, Hunnorum, prima fronte in Pannoniam intrantium, etiam hac noſtra tempeſtate, reſidui eſſe, dubitantur per neminem; cum in ipſorum generatione, extraneo nondum permixta ſanguine, & in moribus ſeveriores, & in diviſione agri ceteris Hungaris multum differre videantur. Hi, nondum Scythicis literis obliti, eiſdem, non encauſti & papyri miniſterio, ſed in baculorum exciſionis artificio, dicarum ad inſtar, utuntur. Hi etiam poſtea, in gentem non modicam excreſcentes, Hungaris, rurſus de Scythia in Pannoniam venientibus, cum de illorum adventu, rumor ad eoſdem delatus fuiſſet, magno cum gaudio in *Ruthenia* occurrerunt. Poſt hæc autem Hungaris, de novo regno Pannoniæ potitis, in conqueſtratione ejuſdem, iidem Siculi, eandem ipſius regni, quam antea propriis pro ſedibus elegerant, Hungaris volentibus, partem ſortiti fuere. Iſti Siculi, Chabam in Græcia periſſe putarunt. Nam & nunc vulgus illorum, ad ſui alterum viam capeſſentem, deriſorie dicere ſolet *tunc redeas, dum Chaba de Græcia revertetur. Chaba* vero, legitimus Athylæ fuit filius, ut dictum eſt, ex filia Honorii Græcorum Imperatoris, generatus. Et cum rediens in Scythiam, nobilitate genitricis ſuæ, ſe in communi extolleret; Hunnorum nobilitas, illum ſpernendo, contemptui habebat, & illi id, quod

(1) MS. *Chiglamei.* (2) MS. *Erdeelew.* (3) MS. *Zekul.*

Digitized by Google

quod non eſſet verus Scythiæ alumnus, ſed quaſi permixto de ſanguine natus objiciebat, & nec minus Scythis, Chabam, generatione de aliena, conſortem ſibi duxiſſe, opprobrio erat. Cum autem Hungari rurſus Pannoniæ ſolum repetierunt, filium Chabæ in Scythia remanſiſſe, *Edemen* vero fratrem ejuſdem, magna cum familia, Hungaros uſque ad Pannoniam comitatum fuiſſe, & ex illo *Abæ* generationem proceſſiſſe, tradunt. Sed haud dignam huic traditioni decet adhibere fidem, potiſſime, quia Hungari, poſt Athylæ mortem tantis annorum curriculis evolutis, rurſus in Pannoniam veniſſe perhibentur; quod ævum, nepotis illius tanta ad tempora, durare potuiſſet minime. Fidelium tamen lectorum arbitrium, detinet nemo; ſi id quiſpiam fieri poſſe judicat, propria, ut vult, utatur voluntate. Poſtquam autem tanti populi multitudinem, mutuus in diſcordiam deductus gladius, aut delevit, aut diſperſit; Pannonicus ager, tantæ humanæ cædis poſt cruentationem, habitus exoſus, longa per tempora, ſine Rege ſtetiſſe dicitur. Cum autem Hungari, rurſus in Pannoniam redierunt, quendam Principem, nomine *Swathepolug* (1), filium *Marothy* (2), natione *Polonum*, *Bulgaris*, *Meſſianis* tumque in Pannonia, ab Athyla, tanquam optimo leone, domitis regionibus imperitantem repererunt. Hunc, variorum exhibitione munerum, (ut ſeries infra ſcriptæ hiſtoriæ, plenius exprimet) allectum pariter & exploratum, Hungari, ſubita irruptione, in quodam oppido, circa Pontem *Boni* (3); cujus antiquaria hunc uſque in diem durant, circumventum, omni ſuæ militiæ cum virtute, deleviſſe perhibentur. Voluere tamen nonnulli, quod Hungari, in ſecundo ipſorum introitu, non *Zwathepalug*, ſed *Marothum* patrem illius, in Pannonia inveniſſent dominantem. Hos, eorum opinio haud fallit. Nam cum filius, ſene patre, militari virtute præſtantior eſſet, ipſe *Marothus*, ultima ſuæ ætatis parte laborans, omne ſui Principatus pondus filio, velut viro, bellicum ad onus habiliori, conceſſerat. Iſte *Marothus*, eadem tempeſtate, in caſtro *Vezprein* (4) denominato, morabatur. Qui, cum filium, viribus Hungarorum, pariter & morti, ſimul cum cuncto ſuo populo, ſuccubuiſſe, audivit, vehementi præ dolore, vita exceſſit.

Finit prima pars Chronicæ Hungarorum (5)

---

(1) MS. *Zuatapolug.* (2) MS. *Moroti.* (3) MS. *Bani juxta Tatam.* MS. (4) *Besprem*, utraque editio, Brunn. & Aug. *Wexſprem* (5) MS. *Explicit prima Chronica Hungarorum, incipit prologus, de ſecundo ingreſſu, & de caſibus, proſperis & adverſis, eorundem.*

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

CHRONICÆ HUNGARORUM

De Reditu Illorum in Pannoniam, deque Capitaneorum, Ducum, & Regum Hungariæ ſubſequentium, vita & geſtis.

INCIPIT PROLOGUS IN SECUNDAM PARTEM CHRONICÆ HUNGARORUM.

Digeſtis, in prima parte operis hujus, Hunnorum, ſive Hungarorum generationis, exordiis, felicibuſque & ſiniſtris eorundem præliis, quotieſque loca mutaverint, quique finis, primi eorundem regni, obtigit: nunc videndum eſt, quo tempore, rurſus in Pannoniam redierint; & qui redeuntium fuerint Capitanei; ac quantus numerus armorum, in exercitu illorum fuerit; & qualiter de novo, Pannonico potiti agro, in illo regnent hunc uſque in diem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Narratio, ſecundæ Partis Chronicæ, Hungarorum rurſus in Pannoniam redeuntium, deque Capitaneorum, Ducum, & Regum illorum, ſeſe ſubſequentium, vita & geſtis.

Porro *Eleud*, filius *Ugek*, ex filia *Enodbilii* (1) in Scythia genuit filium, quem ex eventu, *Almum* denominavit. Nam mater illius, dum eſſet gravida, vidit in ſomnis, avem quandam, in forma aſturis ad ſe venire, ſuoque in gremio caput reclinare, quodque ex utero illius, torrens perſplendidiſſimus ortus fuiſſet, decurrenſque, in terra aliena extitiſſet multiplicatus; quod & factum eſt. Nam poſtea de lumbis ejus, glorioſi Reges propagati ſunt. Qui poſtmodum in terra aliena, hac in Pannonia, ingentem populorum ſuper multitudinem, ſumma cum gloria regnavere. Quia autem ſomnium, Hungarico idiomate, *Aloin* (2) dicitur, & illius nativitas, per ſomnium fuit prænoſticata, ideo ipſe vocatus fuit *Almus* (3). Qui fuit *Ugek*, qui fuit *Ed* (4), qui fuit *Ethele*, ſive *Athyla*, qui fuit *Bendekus*, qui fuit *Turda*, qui fuit *Scemen*, qui fuit *Ethei*, qui fuit *Opos* (5), qui fuit *Chadicha* (6), qui fuit *Berend*, qui fuit *Sulthan* (7), qui fuit *Bulchu*, qui fuit *Bolug*, qui fuit *Zambur*, qui fuit *Zamur*, qui fuit *Leel*, qui fuit *Levente*, qui fuit *Kulche*, qui fuit *Ompud*, qui fuit *Miske*, qui fuit *Mike*, qui fuit *Bezter* (8), qui fuit *Rudli* (9), qui fuit *Chanad*, qui fuit *Buckem* (10), qui fuit *Bondofard*, qui fuit *Tarkans* (11), qui fuit *Othmar*, qui fuit *Radar* (12), qui fuit *Beler*, qui fuit *Kear*, qui fuit *Keve*, qui fuit *Keled*, qui fuit *Dama*, qui fuit *Bor*, qui fuit *Hunor*, qui fuit *Nemroth*, qui fuit *Chus* (13), qui fuit *Cham* (14), qui fuit *Abæ* (15). *Almus* tandem genuit *Arpad*, *Arpad* genuit *Zoltan*, *Zoltan* genuit *Toxun*. *Anno* igitur *ab Incarnatione Domini Jeſu Chriſti, ſeptingenteſimo quarto*, a morte vero *Athylæ* regis, anno *trecenteſimo primo* (16), vulgariter *Magyari* (17), ſive *Hunni*, latine vero *Hungari*, tempore

(1) MS. *Eunodbilia.* (2) MS. *Alm*, utraque editio, Brunn. & Auguſt. *Alom.* (3) MS. omiſſa ſupplet: *qui fuit Bleud.* (4) Hic iterum ex MS. ſupplendum eſt: *qui fuit Chaba.* (5) MS. *Opus.* (6) MS. *Kadicha.* (7) MS. *Zulta.* (8) MS. *Bextur.* (9) MS. *Budli.* (10) MS. *Buken.* (11) MS. *Furkas.* (12) MS. *Kadar.* (13) MS. habet *Thana.* (14) MS. *Japhet.* (15) MS. *Noe.* (16) MS. *Anno igitur, ab Incarnatione Domini, ſexcenteſimo vel ſexingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo; a morte vero Athylæ Regis, anno centeſimo.* (17) MS. *Magori.*

Digitized by Google

Conſtantini quinti (1) Imperatoris, & *Zachariæ Papæ*, denuo ingreſſi ſunt Pannoniam. Tranſeuntes igitur per Regnum Beſſorum, alborum Cumanorum, *Suſdaliam* (2), & civitatem *Rio* (3) nominatam; deinde tranſierunt Alpes, in quandam provinciam, ubi viderunt aquilas innumerabiles, & ibi propter aquilas eaſdem, manere non potuerunt, quia de arboribus, tanquam muſcæ, deſcendebant aquilæ, & conſumebant devorando pecora eorum & equos. Volebat enim Deus, ut citius deſcenderent in Pannoniam. Exinde montes tranſcenderunt, per tres menſes; tandem devenerunt in confinium Regni Pannoniæ, ad terram, quæ nunc *Erdel* vocitatur, invitis gentibus memoratis.

CAPUT II.

De ſeptem Capitaneis Hungarorum, & de ſeptem Caſtris eorundem.

Cumque terram in eandem deſcendiſſent, irruptionem circum adjacentium gentium formidantes, univerſum cœtum armorum, quem ducebant, in ſeptem exercitus diviſerunt; & unicuique exercitui, Capitaneum ſpecialem præficientes, Centurioneſque ac Decanos, more ſolito, conſtituerunt; & unuſquiſque exercitus, triginta millia virorum armatorum, nec non octingentos quinquaginta ſeptem (4), continebat. Nam in ſecundo eorundem, de Scythia, egreſſu, de centum & octo tribubus, ducenta & ſedecim millia, de unaquaque ſcilicet tribu, duo millia armatorum, excepto familiæ numero, eduxiſſe perhibentur. Et his quidem ſeptem Capitaneis, ac ſingulis exercitibus, eorundem ductui deputatis, pro conſervandis uxoribus, & rebus ipſorum, *ſeptem caſtra terrea* præpararunt, in quibus tandem caſtris, aliquandiu permanſerunt; & ex hinc ſecutum eſt, quod pars terræ eadem, a Teutonis *Sibenburg*, id eſt, *ſeptem caſtra*, vocatur uſque in hunc diem.

CA-

(1) MS. *Tertii.* (2) *Suſdalia*, vel *Suſdala*, urbs provinciæ ejuſdem nominis, in terra Ruſſica, inter Roſtoviam ab occaſu, & Volodimiriam ab ortu, ſitæ. (3) Legendum *Kio*, id eſt, *Kioviam*, vulgo *Kiow*, urbem Sarmatiæ, ad Boryſthenem fluvium. (4) In MS. legitur: *Unus namque exercitus, habebat tria millia virorum armatorum, ſine centum viris.*

Digitized by Google

CAPUT III.

De primo Capitaneo, ac de Albo Equo, nec non Sella, & Fræno, Deauratis.

Fuerat autem ex iſtis Capitaneis, ditior & potentior, *Arpad*, filius *Almi*, filii *Eleud*, filii *Ugeg*. Hujus autem pater, *Almus*, in patria Erdeleu occiſus eſt; non enim potuit in Pannoniam introire. In Erdeleu igitur quieverunt, & pecora ſua recreaverunt. Audientes autem terræ utilitatem, de habitatoribus, quod optimus fluvius eſſet Danubius, & melior terra in mundo non eſſet, partibus illis; accepto communi conſilio, miſerunt nuntium, nomine Kuſid, filium Kund, ut iret, & totam terram proſpiceret, habitatoreſque terræ agnoſceret. Cum ergo Kuſid, veniſſet in medium Hungariæ, & circa partes Danubii deſcendiſſet; vidit locum amœnum, & circumquaque terram bonam ac fertilem, fluvium bonum & pratoſum, placuit ei. Deinde venit ad Ducem provinciæ, qui regnabat poſt Athylam, vocatum Zwatapolug, ſalutavitque eum de ſuis, & cauſam, pro qua venerat, manifeſtavit. Hæc audiens Zwatapolug, gaviſus eſt gaudio magno. Putabat enim, illos eſſe ruſticos, & venire, ut terram ejus colerent, propter hoc nuntium delicatum remiſit. Kuſid autem, de aqua Danubii, lagenam implens; & herbam periarum, ponens in utrem; & de terra nigri ſabuli accipiens, ad ſuos reverſus eſt. Cumque narraſſet omnia, quæ audierat & viderat, valde placuit eis, & lagenam aquæ, terram, & herbam eis præſentavit. De quibus ipſi ſapiendo, bene cognoverunt, terram optimam eſſe, & aquam habere dulcem, & pratum cum herbis fœnilibus, quæ nuntius eis recitavit. *Arpad* vero cum ſuis, de aqua Danubii, cornu implens, ante omnes Hungaros, ſuper illo cornu, omnipotentis Dei clementiam rogavit, ut Dominus, eis terram in perpetuum concederet. Finitis his verbis, omnes Hungari clamaverunt, *Deus, Deus, Deus*, tribus vicibus, & ibi inventus eſt uſus iſte, & ſervatur apud Hungaros, uſquemodo. Deinde communi conſilio, ad prædictum Ducem, eundem nuntium miſerunt, & ei equum album, magnum, cum ſella deaurata auro Arabiæ, & fræno deaurato, miſerunt pro terra ſua. Quo viſo, Dux ipſe magis gaviſus, putabat, quod ei pro terra quadam hoſpitalarii miſiſſent. Nuntius ergo, impetravit ibi a Duce, terram, herbam, & aquam.

Dux vero ſubridens, ait: *habeant, quantumcunque volunt, pro hoc munere;* & ſic, nuntius ad ſuos reverſus eſt. Arpad autem interim, cum ſeptem Ducibus, Pannoniam intravit, non ſicut hoſpites, ſed ſicut terram jure hæreditario

Digitized by Google

possidentes. Tunc nuntium alium ad Ducem miserunt, & ei hanc legationem mandaverunt. *Arpad cum suis tibi dicit, quod super istam terram, quam a te emerunt, diutius nullo modo stes, quia terram tuam cum equo emerunt, herbam cum fræno, aquam cum sella, & tu, propter emphyteusim, id est, inopiam & cupiditatem, terram, herbam, & aquam concessisti.* Cumque Duci dicta esset legatio, subridens dixit: *equum illum malleo ligneo interficiam, frænum autem in pratum projiciam, sellam vero deauratam, in aquam Danubii abjiciam.* Cui nuntius: *& inde, Domine, quid damni habebunt? si equum interficis, canibus suis victualia dabis; si frænum in herbam projicies, homines sui, qui fœnum falcant, aurum fræni invenient; si vero sellam in Danubium abjicis, piscatores illius aurum sellæ, super littus exponent, atque domum reportabunt. Si ergo terram, herbam, & aquam habent, totum habent.* Dux ergo ille, his auditis, exercitum cito congregavit, timens Hungaros, & auxilium ab amicis impetravit, & omnibus coadunatis, eis obviam venit.

Illi autem interea prope Danubium pervenerunt, & in campo pulcherrimo, summo diluculo, pugnam inierunt. Fuit autem auxilium Domini cum Hungaris, a quorum facie, Dux sæpe dictus, se in fugam convertit, persecuti sunt que eum Hungari, usque ad Danubium, & ibi, præ timore, in Danubium se jactavit, in quo, præ aquarum vehementia, suffocatur. Retradidit autem Dominus Hungaris Pannoniam, sicut tradiderat filiis Israel, tempore Moysi, terram Seon, Regis Amorrhæorum, & omnia Regna Chanaan, in hæreditatem. Dum ergo Capitaneus iste Arpad, uteretur speciali quadam dignitate in Scythia, & hanc haberet ipsa generatio consuetudinem Scythicam, legitimam & probatam, ut unus, in expeditione gradientibus, debeat anteire, in redeundo vero retrocedere; ipse pro eo, alios Capitaneos Pannoniam adeuntes, fertur præcessisse. Eoque Zwatapolug, ut superius dictum est, debellato & occiso, *Arpad* cum ceteris Hungaris, castra fixit in monte *Noæ*, prope *Albam*, & ille locus est primus, quem Arpad sibi elegit in *Pannonia*, unde & civitas *Alba*, per Sanctum Regem *Stephanum*, qui de ipso processit, fundata est ibi prope.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De ſecundo Capitaneo.

Zobolch (1) vero alius Capitaneus, unde *Chaak* (2) oritur generatio, deſcendiſſe dicitur, in ipſo campo & loco, ubi *Chakuara* nunc jacet deſolata. Illud enim caſtrum, Zobolch fundavit Capitaneus, quod poſtmodum Chak, ipſo mortuo, ſuo nomine, a ſuis cognatis & familia juſſit appellari. Primo quidem *Zobolch* (3) dicebatur. Illud etiam caſtrum, temporibus Andreæ, Belæ, & Leventæ, filiorum Zaar Ladislai, per commune conſilium Hungarorum, eſt confractum.

CAPUT V.

De tertio Capitaneo.

Tertius vero Capitaneus, *Gyula* fuit, unde Gyula, filius Ladislai, derivatur. Eratque iſte Gyula, Dux magnus & potens, qui civitatem magnam, in *Erdeleu*, in venatione ſua invenerat, quæ jam pridem a Romanis conſtructa fuerat. Habebatque filiam, nomine *Sarolt*, pulcherrimam, de cujus pulchritudine, provinciales Ducęs diutius loquebantur, quam *Geyſa* Dux, conſilio & auxilio *Beliud*, qui terram *Kulam* (4) poſſederat, duxit in uxorem legitimam. Iſti Beliud, Kulam dedit filiam ſuam, ut contra fratrem ſuum *Keam* bellaret, & poſt obitum ſuum, terram ſuam idem Beliud hæreditavit. Tandem cum Gyula, Hungaris in Pannonia habitantibus, infeſtus eſſet, & multipliciter moleſtus; per Sanctum Stephanum Regem, in Pannoniam eſt deductus. Non tamen iſte Gyula Capitaneus, ſed ab illo tertius,

CA-

(1) MS. *Zobolck.* (2) MS. *Chak.* (3) MS. *Zoboley.* (4) MS. *Kulan.*

Digitized by Google

CAPUT VI.

De quarto Capitaneo.

Quarti ſiquidem Capitanei vocabulum fuerat *Cund*, cujus filius *Kuſid*, & *Cupan*, qui prope *Nyr* fixere ſua caſtra, ibique poſt Baptiſmum, monaſterium fundavere.

CAPUT VII.

De quinto Capitaneo.

Sed quintus, *Leel* eſt nominatus, qui *Meſſianos* ſcilicet *Bohemicos*, de partibus *Golgatæ* expulit, ibique diutius caſtra metatus fuiſſe perhibetur. Ex iſto quidem, *Zuard* oritur generatio, ſive proſapia & origo.

CAPUT VIII.

De ſexto Capitaneo.

Sextus Capitaneus, *Verbulchu* nomen habuit, qui circa *Palatinum* (1), ſua tabernacula fixiſſe, probatur.

CAPUT IX.

De ſeptimo Capitaneo.

Septimus Capitaneus, *Urs* dicitur. Iſtius ſiquidem generatio, circa *Seyo* locum habebat. Aliæ vero generationes, quæ genere ſunt iſtis pares & conſimi-

(1) MS. habet: *Balatin.* Chron. Budens. *Balatum*, mihi videtur circa *lacum Balaton.*

Digitized by Google

similes, acceperunt sibi locum & descensum, ad eorum beneplacitum. Cum igitur codices quidam contineant, quod isti Capitanei septem, Pannoniam introierint, & Hungaria, ex ipsis solis, edita sit ac plantata: unde ergo venit generatio *Akus*, *Bor*, *Abæ*, aliorumque nobilium Hungarorum? cum omnes isti, non hospites, sed de Scythia descenderunt. Assignant enim hanc rationem solam, quam vulgus dicit, *VII. Hungaros.* Si ergo septem soli sunt Hungari cum familia, & non plures familiæ, uxores, filii, filiæ, accipi possunt servi & ancillæ. Numquid enim cum tali familia, regna possunt expugnari? absit. Accidit autem temporibus Ducis Toxun, Hungarorum exercitum, versus Galliam, pro accipiendis spoliis, ascendisse. Qui, cum in reditu, Rheno transmeato, divisi essent in tres partes; duæ sine honore, una cum honore, in Hungariam descendebant, quam Dux Saxoniæ, apud Isnacum Turingiæ civitatem, demtis VII. Hungaris, interfecit. Septem autem ex ipsis reservatis, amputatis auribus, misit in Pannoniam: *ite*, inquit, *ad vestros Hungaros, taliter enarrantes, ut amplius non veniant in hunc locum tormentorum.* Duæ vero partes, quæ jam Sueviam introierant, audito, quod acciderat eorum sociis & cognatis, dimiserunt spolia accipere in Suevia, & quidquid eis occurrit, a *flumine Illyrici*, usque flumen *Saa*, sive *Leytha*, occiderunt, ab homine usque ed pecus. Hungaris autem VII. sine auribns, pro eo, quod vivi redierunt, & se occidi cum sociis non elegerunt, communitas, pœnalem sententiam dedisse perhibetur. Nam omnia, quæ habebant, amiserunt, tam in re stabili, quam mobili; & ab uxoribus & pueris illos separantes, pedites sine calceis, proprium nil habere permiserunt; semper etiam insimul, de tabernaculo in tabernaculum, mendicando, usque dum viverent, ire compulerunt. Qui quidem septem, ob offensam hujusmodi, *Margyorkak* & *Gyoz*, sive *Lazari*, sunt vocati. Ex istis itaque sic damnatis, vulgus dicit, non de septem Capitaneis istis primis. Præterea, cum sit quodammodo proprium mundanorum, arrogantiæ plausum, plus de se assumere, quam ex alienis componere; ideo isti Capitanei septem, de se ipsis cantilenas fecerunt inter se decantari, ob plausum secularem, & divulgationem sui nominis, ut quasi eorum posteritas, his auditis, inter vicinos & amicos, jactare arrogantia se valerent. Constat itaque, non tantum septem Capitaneos, Pannoniam conquestrasse; sed etiam alios nobiles, qui de Scythia descenderunt. Unde in ipsis venerari potest; nomen dignitatis, plus aliis, & potentiæ; nobilitatis vero, æqualiter. Cum ergo quidam sint hospites ipso tempore, nobilitate pares Hungaris; inquirendum est, quare istud esse habuit? cum Hungari, numero, ad implendam

dam Pannoniam, ſuffeciſſent. *Geycha* namque Dux, inter alios, divino præmonitus oraculo, convertere cepit Hungarorum gentem, ad fidem Chriſtianam; & dum monitu illos convertere non poſſet, paganorum ritibus deditos & intentos, oportebat quoſdam armis edomare, ad quod faciendum, quia plures fuere fidei repugnantes, neceſſarium habuit, deſiderium ſuum divulgare, regibus & principibus Chriſtianis. Quo audito hujuſmodi deſiderio, non ſolum juvamen tranſmiſerunt; ſed etiam perſonaliter adierunt. Quibus fuerat Hungarorum crudelitas, nociva ac exoſa.

CAPUT X.

De pluribus generationibus, poſtmodum Regnum Hungariæ intrantibus, & primo, de generatione Tata.

Intravit ergo primo *Deodatus*, de comitibus ſancti *Severini de Apulia*, qui fundator extitit, monaſterii de *Tata*, & parator. Iſte etiam, cum ſancto *Adalberto*, Pragenſi Epiſcopo, ſanctum Regem *Stephanum* baptizavit. Cujus quidem monaſterii nomen, pro eo *Tata* appellatur, quia, cum beatus Rex Stephanus, ipſius nomen, ob reverentiam, non exprimeret, ſed eum Tata appellaret, abolitum eſt nomen Deodati, & Tata extitit vocatus. Unde etiam, ipſius monaſterium taliter eſt vocatum. Hujus quidem generatio, in Pannonia non habetur, quia, quamvis uxorem habuiſſet, tamen ſine hæredibus finivit vitam ſuam.

CAPUT XI.

De generatione filiorum Hederich (1).

Poſt hæc, de Alamania, *Volphgerus*, cum fratre ſuo *Hedrico*, de comitibus *Houmburg* ortus, cum trecentis dextrariis phaleratis, introivit. Cui Dux Geycha, montem *Kiſcen*, & inſulam Danubii circa Jaurinum, dedit pro de-

(1) MS. *Hedrib.*

Digitized by Google

deſcenſu æterno; ubi caſtrum ligneum faciens, fecit quoque in eodem monte cœnobium, ubi & eſt tumulatus. De iſtis, *Hedrici* generatio derivatur.

CAPUT XII.

De generatione Wenczellini (1) de Almania.

Aſcendit quoque de Bavaria, *Wenczellinus*, videlicet de *Vazunburg*, qui cum ſancto *Stephano*, in Symigio, *Cupan* Ducem interfecit; Capitaneus enim exercitus, extitit illo die. Ex iſtis, *Jak* naſcitur principium & origo.

CAPUT XIII.

De generatione Hunt & Paznan.

Adierunt etiam iſtis diebus, *Hunt* & *Paznan*, qui ſanctum Stephanum Regem, in flumine *Garam* (2), gladio, Teutonico more, accinxerunt. Iſtorum quoque generatio, ab iſtis nominibus, diſtare non videtur. Iſtorum itaque comitum, Dux Geycha, cum Sancto Rege Stephano, filio ſuo, fretus auxilio, & divino potius; quoſdam rebelles, armorum terroribus, nonnullos voluntarie, converterunt ad Baptiſmum. Quos quidem comites, tam Dux Geycha, quam filius ſuus, latis & amplis hæreditatibus, pro ipſorum ſervitiis, ditavere, prout apparet nunc manifeſte. Qui quidem, temporis in proceſſu, Hungaris, per contractus matrimoniorum, ſunt immixti. Iſtorum etiam conſilio & auxilio, ſuper Hungaros Rex eſt conſtitutus, pluresque nobiles Hungari, Duci *Cupan* adhærentes, Baptiſmum, fidemque reſpuentes, ad turpia ſervitia ſunt detruſi. In illis namque, rebus gerendis, judicatus erat nobilior, qui fidei Chriſti citius adhæſiſſet.

(1) MS. *Vecellini.* (2) MS. *Goron.* Bud. Chron. *Garany.*

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De generatione Poth.

Poth vero generatio, a *Conrado* (1) *de Aldenburg* derivatur, qui temporibus Regis Salomonis, filii Andreæ Regis, venit in Pannoniam. Hic, *Herniſtus* eſt vocatus, ſed propterea *Poth* fuit appellatus, quia internuntius erat, inter Imperatorem Conradum, & Andream, ac Salomonem, Reges. *Poth* enim Teutonice, latine *nuntius*, ſonat.

CAPUT XV.

De generatione Merſæ & Georgii.

Merſæ (2) autem, & *Georgii* generatio, *de Francia* eſt, ex conſanguinitate *Guillermi*, dicti *Comes* (3). *Kyquini* quidem, & *Renoldi* (4) origo, eſt de *Hiſpania*, cum Regina *Margaritha*, conjuge *Belæ* Regis, filii Zaar Ladislai, Pannoniam adeuntium. Hic enim Bela, primo uxorem de Polonia habuit.

CAPUT XVI.

De generatione Guthkeled.

De generatione autem *Guthkeled*, plura enarrantur, ſed pro certo, per Petrum Regem, dum idem fugit ad Heinricum Cæſarem, in adjutorium ſunt ei adducti, de caſtro *Sthoph*; ſunt exorti de *Suevia*, unde Imperator *Federicus*, ortum habet. Iſta enim generatio, de primatibus Sueviæ extitit. Pauperes enim ſunt hæreditatibus, ſed probi & valentes ſunt, in patria memorata. Iſtius ſiquidem Guthkeled generatio temporibus Salomonis Regis, Ladislai & Geychæ, Du-

(1) MS. *Corardo de Altinburg.* (2) Chron. Bud. *Gerſa.* (3) Chron. Buden. *Corves:* (4) MS. *Renaldi* Chron. Bud. *Rinaldi.*

Digitized by Google

Ducum, extitit exaltata. Nam tunc ipsa generatio, in duas partes divisa fuit. Quidam Ducibus adhærebant, quidam vero Salomoni, & specialiter Wyd, quem Salomon exaltasse perhibetur, super alios de generatione supradicta.

CAPUT XVII.

De generatione Oliverii & Ratoldi.

Post hæc, intrant *Oliverius* & *Ratoldus*, tempore Regis Colomani, qui de Regno Apulorum, *de Caserta* ortum habent. Illi vero *de Sambuck*, de comitibus Campaniæ, ex Francia oriuntur.

CAPUT XVIII.

De generatione Hermanni de Almania.

Hermanni etiam generatio, cum Regina *Keisla*, introivit; liberi homines sunt, de *Nuremburg*, hæreditatibus pauperes.

CAPUT XIX.

De generatione Buzad.

De generatione quidem *Buzad* est dicendum. Hujus enim generatio, per Regem Stephanum, filium secundi Belæ, in Hungariam adducitur in adjutorium Regis memorati. Ex comitibus enim *Orlamundi* sunt. Primitus enim, qui venit, *Hadolth* est vocatus, cujus filius similiter *Hadolth* & *Arnoldus*. Ex istis, origo procedit *Buzad Bani*. Hic enim Hadolth, exprimi non potuit; sed paralogizando, *Hoholth* dicitur. Generatio quidem *Chaak*, cum aliis quibusdam generationibus, conspiraverunt contra istum Regem; quas per Hoholdum, & suam militiam, quam cum ipso adduxerat, dicitur contrivisse.

Digitized by Google

CAPUT XX.

De generatione Keled (1)

Stephani, *Ladislai*, & *Gregorii*, filiorum *Keled*, profapia, de provincia *Meifnenfi* ortum habet. Stephanus enim, filius fuit fororis Meifnenfis Marchionis, filii comitis de *Herford*: qui occifo Turingiæ Landgravio, in Frankfurt, in folenni curia, ubi Imperator eligi debuit, per eum, ac per alios; dum reoccidendi fententia, per Almaniæ principes, contra ipfum lata effet, diebus Geychæ Regis, filii fecundi Belæ, defcendit in Pannoniam, cum dextrariis phaleratis fexaginta, & a Rege prædicto, receptus folenniter, optimis & latis poffeffionibus inveftitur, prout patet, ipfo in Meifnenfem regionem, profcriptionis pœnam intrante. Eorum vero, qui dicuntur de *Bobocha* (2), de *Samberg*, defcendit in Pannoniam generatio.

CAPUT XXI.

De generatione Simonis & Michaelis.

Simonis autem, & fratris ejus *Michaelis* generatio, quidem *Mortundorff* nominatur, & temporibus *Andreæ* regis, filii Belæ tertii, defcendit de *Hifpania*. Caftra quidem multa habet in Hifpania, illa generatio; ex quibus unum, quod melius eft, *Bojoth* dicitur. Hujus quidem Simonis avus, dum cum Rege Aragonum, annis pluribus contendiffet; tandem, per eundem Regem, captivatus, in carcerem detruditur. Quod Simon comes, & Bertramus, formidantes, cum fecunda uxore præfati Regis Andreæ, quæ fuerat de Campania, in Hungariam intraverunt. In Hifpania quidem nulla generatio, in fcuto fuo, aquilam ferre audet, nifi Simon & Michael; ea propter, quod exercitum Soldani de Tunifio, qui Majoricam, & Minoricam infulas, per naves intrando & claffes, occupaverant, ceteris militibus Regis Aragoniæ deficientibus, eorum generatio fertur expuliffe. Unde Regis & communitatis militiæ, decreto, eft ftatutum, ut prius fignum, quod fuerat totum rubeum, fine aliqua expreffa figura, in aquilam mutaretur. CA-

(1) MS. *Keked.* (2) MS. *Bojotha.*

Digitized by Google

CAPUT XXII.

De Introitu diverſarum nationum in Hungariam.

Præterea intraverunt Hungariam, tam tempore Regis *Geychæ*, & ſancti Regis *Stephani*, quam diebus Regum aliorum, *Bohemi*, *Poloni*, *Græci*, *Hiſpani*, *Hiſmahelitæ*, ſeu *Saraceni*, *Beſſi*, *Armeni*, *Saxones*, *Turingi*, *Miſnenſes*, & *Rhenenſes*, *Cumani*, & *Latini*; qui diutius in regno commorando, quamvis illorum generatio neſciatur, per matrimoniorum diverſorum contractus, Hungaris immixti, nobilitatem, pariter & deſcenſum, ſunt adepti.

CAPUT XXIII.

De continuatione narrationis.

Poſtquam autem *Zwatapolug*, per Hungaros, ut ſuperius dicitur, eſt necatus, & Hungari deſcenderunt in *Pannoniam*: per ſex annos, eorum arma & equos, meliorare curaverunt. Anno igitur ſeptimo, *Moraviam* & *Bohemiam*, in quibus eo tempore, Dux *Vratislaus* regnare videbatur, crudeliter ſpoliaverunt. Exinde, cum victoria redeuntes, treugis ordinatis cum præfato Duce, uno anno quieverunt. Poſt hæc, *Carinthiam* hoſtiliter adeuntes, ultra caſtrum *Leopach*, Dux *Moraviæ* (1), *Gothfridus* nominatus, & Dux *Carinthiæ*, *Eberhardus* (2), nec non *Gregorius*, Aquilegiæ Patriarcha, ipſis occurrentes, inſimul atrociter pugnaverunt. Et quamvis ex Hungaris, plures ibi cecidiſſent; tamen ambos Duces, Hungari occiderunt, Patriarcha tantum, per fugam evadente. Abinde, ſpoliata *Carinthia*, *Carniolia*, & *Styria*, cum maxima præda ſunt reverſi. *Cæſar* igitur *Conradus*, audiens, quod Hungari, imperii ſui confinia, intraſſent, Ducesque memoratos occidiſſent, decrevit venire in Hungariam. Et cum exiſſet de Italia, veniſſetque Auguſtam, Sueviæ civitatem, ut deinde in Pannoniam, invaſurus Hungaros, deſcenderet; intra Romanos, bellum generatum eſt interea, inteſtinum, propter quod ipſum retrocedere oportebat. Inter hæc Hungari, immobiliter, annis tribus, ad nullas partes perexerunt.

CA-

(1) MS. *Meranie.* (2) Chron. Bud. *Bernhardus.*

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

De Hungaris Bulgariam Vaſtantibus.

Anno autem quarto, Hungari *Bulgariam* invaſerunt, & ex ea, theſaurum & armenta innumerabilia abduxere, caſtra ipſorum occupantes, & civitates eorum deſtruentes, quæ Domino concedente, & nunc habent, & poſſident. Poſtquam autem memorata Regna devicerunt, per *forum Julii*, uſque in *Marchiam Longobardiæ* intraverunt, ubi civitatem *Paduam*, igne ac gladio conſumſerunt. Et hinc intrantes Lombardiam, *Linthar* (1), Vercellinæ civitatis *Epiſcopum*, Imperatoris Caroli conſiliarium fideliſſimum, occidentes, ex ipſius Eccleſia, theſaurum maximum rapuerunt, totamque pene Lombardiam ſpoliantes, cum maximo ſpolio, in Pannoniam, cum victoria redierunt. Poſt hæc, decem annis repauſantes, anno undecimo, *Saxoniam*, *Turingiam*, *Sueviam Francoſque orientales*, & *Burgundos* demoliti, in confiniis *Bavariæ*, ultra caſtrum *Abah*, citra *Danubium*, Alemannorum exercitus, ipſos in reditu, oneratos, invaſerunt ex abrupto; quos Hungari, in fugam turpiter converterunt, cæſis multis millibus ex eiſdem. In quo quidem conflictu, ex Hungaris, tria millia virorum perierunt; qui vero evaſerunt, ad propria redeuntes, annis ſedecim, immobiliter in Hungaria permanſerunt.

CAPUT XXV.

De morte Leel & Bulchu, Capitaneorum.

Regnante vero per Alemaniam *Conrado primo*, decimo octavo anno, Hungari egreſſi, quibuſdam partibus Teutoniæ devaſtatis, cum ad urbem *Augſtam* perveniſſent, *Ulrico* Epiſcopo, cum civibus, & Sueviæ primatibus reſiſtentibus, tandem, cum Hungari eandem obſiderent civitatem, obſtinati, nolentes de urbe recedere, miſſis nuntiis ad Conradum memoratum, ut celeriter urbanis ſuccurreret, idem non omiſit venire. Hungaris igitur, ſe incaute

(1) MS. *Luither.*

Digitized by Google

caute circa obsidionem civitatis gerentibus, Alemannicus & Italicus exercitus, illos invasit ex abrupto; ut si fugere voluissent, non potuissent, ex una parte fluvio, qui illis diebus, per canales mirabiliter inundaverat, impedimentum faciente, ab altera vero, exercitibus prædictis circumvallantibus, sicut muris, illosque constringentibus. Sic itaque arctati ab hostibus, quidam captivati ab eis, aliqui crudeliter sunt necati. In quo loco, *Leel* & *Bulchu*, Illustres Capitanei, captivati sunt, & ducti ad Cæsarem. Quos, cum Cæsar requireret, quare Christianis essent sic crudeles, dicunt: *nos sumus ultio summi Dei, ab ipso, vobis in flagellum destinati. Tunc enim per vos captivamur & occidimur, cum persequi vos cessamus.* Quibus Imperator: *eligite vobis mortem, qualem vultis.* Cui Leel ait: *afferatur mihi tuba mea, cum qua primum buccinans, postea tibi respondebo.* Allataque est ei tuba, & appropians Cæsari, cum se ingereret ad buccinandum, ipsum Cæsarem, sic fortiter in fronte, cum tuba, fertur percussisse, ut illo solo ictu, Imperator moreretur; dixitque ei: *tu præibis ante me, mihique in alio seculo eris serviturus.* Est namque fides Scythicorum, ut, quoscunque viventes occiderent, in alio seculo, ipsis servire teneantur. Detentique sunt sine mora, & Ratisbonæ patibulo suffocati. Alius autem exercitus Hungarorum, in quo erant bene virorum armatorum quadraginta millia, castra metatus est, longe ab Augusta civitate; qui sentientes, socios suos tam crudeliter arctari, captivari, & occidi, seorsum in quandam silvam (1) se receperunt, expectantes, ut se ab invicem Imperatoris exercitus separaret. Et dum major pars Cæsaris exercitus, iret versus Rhenum, Hungari, in campo quodam illos invadentes, sagittis primitus illorum equos occiderunt, tota die, ipsos nec descendere, nec quoquam fugere, permittendo. Tandem vero, dum se movere non possent, captivari se dederunt; cum quibus, socios suos, Ratisbonæ detentos, redemerunt.

Ipsi vero exinde reversi, tali fortuna eis occurrente, *monasterium de Ulta* combusserunt; ubi multum de auro haurientes, abinde, Rheno transpassato, *Lotharingensem Ducatum*, igne & gladio vastaverunt. Ubi circa *Strasburg*, quæ in Latino dicitur *Argentina*, in quodam prælio, *Erhardum* (2), *Ducem Lotharingiæ*, & *Bertoldum*, *Ducem Brabantiæ*, qui ei venerat in auxilium, captivantes decollaverunt. Inde vero, *Galliam* atrociter affligentes, cru-

(1) MS. *Insulam.* (2) MS. *Echardum.*

Digitized by Google

crudeliter in Eccleſiam Dei ſævientes, *Metenſeque*, *Trevirenſe*, & *Aquiſgranenſe* territorium, igne devaſtantes; deinde, per abrupta montium, *Senonenſium* populos exterminantes, viam ſibi, gladio aperientes, paraverunt, ibi ſiquidem, *Seguſam*, *Taurinamque*, civitates deſtruxerunt. Monteſque præfatos perforantes, planum Lombardiæ cum vidiſſent, totam pene provinciam, concitatis curſibus, vaſtavere; & ita ad proprium regnum, cum victoria reverſi, annis viginti, immobiles in regno permanſerunt.

CAPUT XXVI.

De Obſidione Conſtantinopolitanæ Urbis.

Viceſimo autem primo anno, egreſſi, in *Bulgariam* intraverunt, & inde *Hydropolim* venientes, ipſa expugnata, *Conſtantinopolim* tandem obſederunt. In obſidione igitur urbis memoratæ, Hungaris conſtitutis, quidam Græcus, ſicut gigas, emiſſus de urbe, ad luctandum cum eo, duos Hungaros impetebat altercari, dicens: *quod ſi ambos non devinceret Græcorum Imperator, cenſu Hungaris teneretur.* Qui, cum Hungaris infeſtus eſſet ultra modum; unum contrarium ei invenerunt, qui oppoſitus Græco, ita ait: *ego ſum Bothond, rectus Hungarus, minimus Hungarorum: adjungas tibi duos Græcos, quorum unus, conſervare debeat animam tuam exituram, alter vero, cadaver tuum ſubterrandum, quia certiſſime cenſualem faciam Græcorum Imperatorem genti meæ.* Unde Capitaneus Hungarorum, nomine *Opour*, qui illi exercitui, de communi voluntate ſuerat conſtitutus, juſſit *Bothond*, cum dolabro ſuo, pergere contra portam urbis, quæ erat metallina, & in porta declarare vires ſuas cum dolabro. Veniens autem uſque ad portam, talem ictum & cenſuram, in ipſa porta feciſſe perhibetur, quod puer annorum quinque, per ipſum foramen, exire & intrare, ſatis large, potuiſſet. Facto itaque ſpectaculo Hungarorum & Græcorum, parata area ad certandum, ante portam urbis; parva hora, ſimul in unum dimicantes, Græcus, in terram per Hungarum eſt detruſus, & ſtatim ſine mora, ſpiritum exhalavit. Quod factum, Græcorum Imperator, qui ſtabat in urbis propugnaculo, cum conjuge ſua, pro ingenti verecundia reputantes; averterunt facies ſuas, pergentes in palatium. Verumtamen, cum Hungari cenſum repetiſſent, pro quo certamen commiſſum fuerat, & pugnatum; dum riſum faceret Græcorum Imperator, de cenſu poſtulato: recedentes

Digitized by Google

tes Hungari de obsidione civitatis, depopulati sunt totam Græciam, haurientes ex ea, aurum, gemmas, & armenta infinita; sicque ad propria sunt reversi. Communitas itaque Hungarorum, cum suis Capitaneis sive Ducibus, hæc & alia hujusmodi, usque ad tempora Toxum Ducis, gessisse perhibetur.

CAPUT XXVII.

De Generatione & Regno Sancti Regis Stephani, Primi Regis Hungarorum.

Porro *Toxun*, genuit *Geycham* & *Michaelem*. *Michael* vero, genuit *Calvum Ladislaum*, & *Vazul*. Geycha vero, divino præmonitus oraculo, *anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nono*, quemadmodum in legenda Sancti Stephani Regis, scriptum est, genuit *Sanctum Stephanum* Regem, ex *Sarolth*, filia Gyulæ. At Rex Stephanus, plures quidem genuit filios; sed inter alios, habuit unum filium, nomine *Emericum*, Deo amabilem, & hominibus honorabilem, cujus memoria in benedictione est. Hic enim, per inscrutabile divini Consilii judicium, raptus est de medio, ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet animum ejus, quemadmodum de immatura morte, scribitur in libro Sapientiæ. Ut ergo acta ne agamus, & exposita ne exponamus, quot & quantis virtutibus floruerit, & quam fervens in Dei servitio, Sanctus confessor Christi Emericus Dux, fuerit, scribere supersedimus.

Quisquis enim hoc scire voluerit, ex legenda ejusdem Beatissimi Confessoris, plenam sanctissimæ conversationis ejus notitiam, habere poterit. Nos ea potius, quæ ab aliis scriptoribus prætermissa sunt, breviter, ac summatim scribere, intendimus.

CAPUT XXVIII.

De Bello Sancti Regis Stephani, contra Cupan, Ducem Simigiensem.

Sanctus autem Rex Stephanus, jam pridem in adolescentia sua, contra *Cupan* Ducem, fortem & potentem, gessit bellum glorioſum. Erat autem Cupan, filius *calvi Zirind*, qui etiam, vivente Geycha Duce, patre Sancti Stephani Regis, Ducatum tenebat; mortuo autem Geycha Duce, Cupan, voluit matrem Sancti Regis, sibi per incestuosum copulare connubium, & Sanctum Stephanum occidere, Ducatumque ejus, suæ subdere potestati. Hic fuerat *Dux Simigiensis*: Stephanus autem Sanctus, convocatis proceribus suis, per

Digitized by Google

interventum *Beatiſſimi Martini confeſſoris*, divinæ miſericordiæ imploravit auxilium. Poſtmodum vero, congregato exercitu, perrexit obviam hoſti ſuo, & ad amnem *Coron* (1), primitus accinctus eſt gladio. Ibique, ad cuſtodiam corporalis ſalutis ſuæ, duos Principes, *Hunt* & *Panzan*, conſtituit. Totius autem exercitus ſui Principem & Ductorem, *Vecellinum* hoſpitem, *Alamannum* genere, præfecit. Commiſſo itaque prælio, inter utrumque diu & fortiter eſt dimicatum; ſed divinæ miſerationis auxilio, *Beatus Stephanus* Dux, glorioſam obtinuit victoriam. In eodem autem prœlio, *Vecellinus* comes, interfecit *Cupan* Ducem, & largiſſimis beneficiis, a Beato Stephano, tunc Duce, remuneratus eſt. Ipſum vero Cupan, Beatus Stephanus, in quator partes fecit mactari; primam partem miſit in portam Strigonienſem, ſecundam in Weſprimienſem, tertiam in Jaurinenſem, quartam autem in Erdel. Beatus etiam Stephanus Dux, votum, quod tunc voverat Deo, fideliter reddidit. Nam univerſum populum, in provincia Cupan Ducis degentem, decimas liberorum, frugum, ac pecorum ſuorum, *cœnobio Sancti Martini*, dare, perpetuo jure, decrevit. Prædictus autem Vecellinus, genuit *Radi* (2), Radi vero genuit *Miſcam* (3), Miſca vero genuit *Cupan*, & *Martinum*.

CAPUT XXIX.

De Pugna Sancti Regis Stephani, cum Gyula, Duce Tranſylvano.

Porro Beatus Stephanus, poſtquam regiæ celſitudinis coronam, divinitus eſt adeptus, famoſum & lucroſum bellum geſſit, contra avunculum ſuum, nomine Gyulam, qui tunc temporis, totius ultra ſilvam regni, gubernacula poſſidebat. *Anno* itaque *Domini milleſimo ſecundo*, Beatus *Rex Stephanus*, cepit *Gyulam* Ducem, cum uxore & duobus filiis ejus, & in Hungariam tranſmiſit. Hoc autem ideo fecit, quia ſæpiſſime admonitus, a Beato Rege Stephano, nec ad fidem Chriſti converſus, nec ab inferenda Hungariæ injuria, conquievit; univerſum vero regnum ejus, latiſſimum & opulentiſſimum, Monarchiæ Hungariæ adjunxit. Dicitur autem regnum illud Hungarice *Erdeel*, quod irrigatur plurimis fluviis, in quorum arenis, aurum colligitur, & aurum terræ illius, optimum eſt.

CA-

(1) MS. & utraque edit. Brunn. & Aug. habet Goron. (2) Chron. Bud. *Kadi*.
(3) Id. *Miska*.

Digitized by Google

CAPUT XXX.

De Exercitu Sancti Regis Stephani, contra Bulgaros & Sclavos.

Poſt hæc autem, movit exercitum ſuper *Kean*, Ducem *Bulgarorum* & *Sclavorum*, quæ gentes, loca, naturali ſitu munitiſſima, inhabitant; unde etiam, multis laboribus, & bellicis ſudoribus, prædictum Ducem, vix tandem devicit & occidit, & inæſtimabilem copiam theſaurorum, & præcipue in auro & gemmis, ac pretioſis lapidibus, accepit, & locavit ibi unum, proavum ſuum, nomine *Zoltan*, qui poſtea hæreditavit illas partes Tranſilvanas, & ideo vulgariter dici ſolet *Erdéli Zoltan.* Erat enim ille antiquiſſimus, qui vixerat uſque tempora Sancti Regis; & ideo voluit ipſum eſſe ſuper gentes opulentas. Ex hac itaque gaza multiplici, Sanctus Rex Stephanus, plurimum locupletatus, *Albenſem Baſilicam*, quam ipſe fundaverat, aureis altaribus, crucibus quoque & calicibus, indumentis etiam pontificalibus, contextis auro puriſſimo, & lapidibus pretioſiſſimis, ditavit, vaſa quoque miniſtratoria, & cetera utenſilia, eidem Baſilicæ neceſſaria, nec non & aliis Eccleſiis Dei, regali donavit largitate. Inter cetera vero, dedit eidem Albenſi Eccleſiæ, quædam donaria, ſempiternæ memoriæ digna, duo ſcilicet Rationalia; quorum utrumque, habebat oram contextam ſeptuaginta quatuor marcis auri puriſſimi, & lapidibus pretioſis; quæ Beatus Benedictus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifex, ad preces Sancti Stephani Regis, tantæ auctoritatis privilegio inſignivit, ut, quicunque in celebrando miſſam, eis uteretur legitime, poſſet Regem inungere, coronare, & gladio accingere. Et quia pecunia illius Gyulæ, fuit male acquiſita; ideo ipſa Eccleſia, frequenter eſt paſſa incendium. In eadem autem Eccleſia, ipſum avunculum ſuum, cum tota familia ſua, abſque velle, compulit baptizari; ſed poſtea, honorifice tenuit, ſicut patrem. *Regina* vero *Keisla*, uxor Sancti Regis, dictam Eccleſiam, aureis crucibus, ſuſoriis tabulis, calicibus, gemmis, & ornamentis, ultra modum ditavit.

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

De Ædificatione Eccleſiæ veteris Budenſis.

Deinde Sanctus Rex, venit in civitatem, quæ *vetus Buda* vocatur, una cum filio ſuo, Sancto Emerico, & Regina. Et cum ibi non inveniſſet aliquod pium opus in Chriſto, in quo poſſet laudari Creator omnium; ſtatim ſanctiſſimus Rex, de theſauro prædicti Kean, Ducis Bulgarorum & Sclavorum, quem occiderat, cepit, in medio civitatis ædificare grande cœnobium, in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, ditando illud multis prædiis, & ſimili libertate Romanæ Eccleſiæ fulciendo, in memoriam & honorem curiæ Romanæ, quam corporaliter viſitarat. Dum igitur ædificaretur, magiſtri lapicidæ, de Græcia ducti erant; & ſanctiſſimus Rex, cum Regina, ratione devotionis ibidem degebant. Regina autem, cruces, tabulas, & ornamenta procurabat. Quia vero illud grande opus inceptum, multos annos conduxerat; ideo, vivente Sancto Stephano Rege, illud cœnobium non potuit conſummari: ſed volente Deo, poſt multum temporis, Sanctiſſimus Rex Ladislaus, nepos ejuſdem Beati Stephani, illud opus conſummavit. Ut ſcilicet, poſſet adimplere votum proavi ſui, ſicut inferius plenius declarabitur. Conſuetudo autem Sancti Regis Stephani major, iſta fuit: quod omnes Eccleſias, quas ipſe fundaverat, in quolibet anno, ad minus tribus vicibus viſitaret; & dum ad ipſas Eccleſias deveniſſet, primo ad omnia altaria pergebat, & ſingulis, ſingulas preces effundebat. Tandem exeundo, totam Eccleſiam illam circuibat, & fracturas, ſive ſciſſuras parietum, ac tectorum, perſpicacibus oculis, & moroſe inſpiciebat, & ſtatim remeliorari procurabat: nec a loco illius civitatis aut villa recedebat, niſi prius vidiſſet renovari. Quo experto, *Regina Keisla* (1), dum ad aliquas Eccleſias in Hungaria deveniſſet, omnes apparatus, in domo Domini exiſtentes, ſibi præſentari faciebat, & renovanda, tam in ſindone, quam in byſſo, omni anno, renovabat. Filius autem ipſorum, Beatus Emericus, proprias veſtes purpureas, ante altare deponebat, pro altaribus induendis ſicut patet in Eccleſiis regalibus, uſque modo. Pater vero Sanctiſſimus, burſam auream, in lumbis geſtabat, refertam denariis puri argenti,

(1) Alias *Giſela*, Henrici S. Imperatoris ſoror, & prima uxor D. Regis Stephani.

Digitized by Google

ti, & dum pauperes vidiſſet, mox ibi accedebat, & propriis manibus eis providebat. Illius ideo dextera miſericors, eſt in corpore, exterius, coram oculis Hungariæ, uſque in hodiernum diem.

CAPUT XXXII.

De Incendiis.

ANno Domini MXXII. in multis locis incendia multa & magna facta ſunt. Ingens etiam terræ motus contigit, quarto Idus Maii, decima hora diei. Sexta feria, poſt aſcenſionem Domini, quaſi duo ſoles viſi ſunt, decimo Kalend. Julii.

CAPUT XXXIII.

De Morte Sanctiſſimi Emerici Ducis, & de Orbatione Oculorum Vazul.

POſtquam autem magnificavit Dominus miſericordiam ſuam, cum Beato Rege Stephano, vertendo dorſa regum in fugam, a facie gladii ejus & dominio ejus, principatus atque poteſtates ſubjiciendo, omnium exterarum nationum circum adjacentium; deliberavit Sanctus Rex Stephanus, & firmiter ſtatuit, ut omnibus pompis mundanæ gloriæ calcatis, & temporalis regni diademate depoſito, ſolius Dei ſervitio, ſemetipſum manciparet, & ab exterioribus curis expeditus, contemplativam vitam, & tranquillam pacem perageret. Coronam vero regiæ celſitudinis, filio ſuo, Duci Emerico, ſanctiſſimis moribus divinitus inſtructo, ſe daturum diſpoſuit. Erat enim Beatus Emericus, in primævo adoleſcentiæ flore, ſupra communem naturam hominum divino munere ſublimatus; juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, ſapientia, ſcientia, manſuetudine, miſericordia, benignitate, largitate, humilitate, & patientia armatus; ceterisque Catholicis atque politicis virtutibus adornatus, ſimiliter ut Sanctus Stephanus, pater ejus. Cum itaque ſanctiſſimus pater, Sanctiſſimo filio, curam adminiſtrationis, & gubernandi regni ſolicitudinem, intenderet committere; *Beatus Dux Emericus*, propria morte præventus eſt. Flevit autem eum Sanctus Rex Stephanus, & univerſa Hungaria, inconſolabiliter, planctu

Digitized by Google

ctu magno valde. Tanta vero doloris acerbitate, Sanctus Rex Stephanus, exacerbatus, in graviſſimam incidit infirmitatem. Et poſt multos dies, vix qualemcunque vitæ reparationem recepit; ſed priſtinæ ſanitati, nunquam plene potuit reſtitui. Nam & pedum doloribus urgebatur, & triſtitia ac gemitibus afficiebatur; præſertim propterea, quia nullus videbatur, de conſanguineis ejus, idoneus ad hoc, ut eo mortuo, regnum, in fide Chriſti conſervaret. Pronior enim erat gens Hungarica, ritui paganico inclinari, quam fidei Chriſtianæ. Interim vero, viribus corporis cepit deſtitui, & languore graviſſimo ſe gravatum ſentiens, miſit feſtinanter nuntium, ſcilicet *Budam*, filium *Egruth* (1), qui *Bazul*, patruelis ſui filium, quem recluſerat Rex, propter juvenilem laſciviam & ſtultitiam, ut corrigeretur, de carcere *Nitriæ* educeret, & ad ſe duceret, & eum, antequam moreretur, Regem conſtitueret. Audiens autem hoc *Keisla Regina* (2), iniit conſilium cum *Buda*, viro nefando. Et feſtinantiſſime miſit nuntium, nomine *Sebum*, filium ipſius, Buda ad carcerem, in quo Vazul detinebatur. Sebus itaque, præveniens nuntium Regis, effodit oculos Vazul, & concavitates aurium ejus, plumbo obturavit, & receſſit in Bohemiam. Poſt hunc autem, veniens nuntius Regis, vidit Vazul oculis orbatum, in eiſdemque oculis vulneratis, duxit ad Regem; quem Sanctus Stephanus Rex, videns tam miſerabiliter deſtructum, in nimias rupit lachrymas, ſed impediente ægritudinis moleſtia, debitam pœnam malefactoribus inferre non potuit. Convocatis itaque filiis *Calvi Ladislai*, patrui ſui, ſcilicet *Andrea*, *Bela*, & *Leventa*, conſulit eis, ut quanto citius poſſent, fugerent; ut ſic ſibi ſalutem, & corporum ſuorum ſervarent integritatem. Illi igitur, ſalubri conſilio Sancti Regis acquieſcentes, a facie malorum & doloſorum, in Bohemiam fugerunt.

CAPUT XXXIV.

De Morte Sanctiſſimi Regis Stephani, & de electione Petri Regis.

BEatus autem Rex *Stephanus*, ſanctitate & gratia plenus, ſecundum quoſdam *quadrageſimo ſexto*; ſecundum autem hiſtoriæ, in ejuſdem laudem, ab Ecclecle-

(1) MS. *Egiruth*. Chr. Bud. *Egiruh*. (2) Fuit hæc *Keisla* vel *Geisla*, aut *Gyela*, uxor ſecunda D. Regis Stephani, Guilelmi Burgundi, filia.

Digitized by Google

cleſia editæ, veritatem, *triceſimo ſeptimo* ſui regni; *Dominicæ autem Incarnationis, milleſimo triceſimo octavo anno*, in feſto aſſumptionis Beatiſſimæ Mariæ, ſemper Virginis, a præſenti ſeculo nequam, eripitur, & Sanctorum Angelorum conſortio, adjungitur. Sepultus eſt autem in *Baſilica Albenſi*, quam ipſe, in honorem Sanctiſſimæ genitricis Dei ſemper Virginis Mariæ conſtruxerat, ubi multa ſigna & miracula fiunt, intervenientibus meritis, ejuſdem Sanctiſſimi Regis Stephani, ad laudem & gloriam, Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Conſeſtim quoque, totius cythara Hungariæ, verſa eſt in luctum; & omnis populus regni, tam nobilis, quam ignobilis, ſimul in unum, dives & pauper, planxerunt ſuper morte Sanctiſſimi Regis, piiſſimi patris pupillorum, lachrymis uberrimis, & ululatibus plurimis; juvenes & virgines, præ triſtitia & mœrore, ſqualidis induti veſtibus, per triennium choream non duxerunt; & omnia genera muſicorum dulciſona ſiluerunt, planxeruntque eum planctu cordis fidiſſimi, eratque planctus magnus & inconſolabilis. At *Regina Keisla*, cum *Buda*, ſatellite ſcelerum, *Petrum Alamannum*, vel potius *Venetum*, fratrem Reginæ, præficere ſtatuerunt. Hoc intendentes, ut Regina Keisla, motus ſuæ voluntatis, pro libitu ſuo poſſet complere; ut Regnum Hungariæ, amiſſa libertate, Teutonicis ſubderetur ſine impedimento.

Wilhelmus autem, pater Petri Regis, fuit frater *Sigismundi*, *Regis Burgundionum*: ſed poſt interemtionem Sancti Sigismundi, venerat ad Imperatorem; quem Imperator collocavit Venetiis & dederat ei ſororem ſuam, nomine *Gertrud*, in uxorem, de qua genuit *Keislam* Reginam. Mortua autem *Gertrud*, Wilhelmus duxit in uxorem, *ſororem Sancti Regis Stephani*, de qua genuit *Petrum Regem*.

CAPUT XXXV.

De Sævitia Petri Regis.

Poſtquam autem *Petrus* factus eſt *Rex*, omnem Regiæ ſerenitatis benignitatem abjecit, & Teutonico furore ſæviens, nobiles Hungariæ aſpernabatur; bona terræ, ſuperbo oculo, & inſatiabili corde, cum Teutonicis, belluina feritate rugientibus, & cum Latinis, hirundinum garrulitate murmurantibus, devorabat; munitiones, præſidia, & caſtella, Teutonicis & Latinis

Digitized by Google

cuſtodienda tradebat. Erat enim ipſe Petrus, nimium laſcivus, nullusque, eo tempore, tutus eſſe poterat, de pudicitia uxoris ſuæ, vel filiæ, ſeu ſororis virginitate, præ inſultu ſatellitum Regis, qui eas impune violabant. Videntes igitur Principes Hungariæ, mala gentis ſuæ, quæ contra Deum eis inferebantur, communicato conſilio, rogaverunt Regem, ut præciperet ſuis, a tam deteſtabili opere deſiſtere. Rex autem, faſtu ſuperbiæ inflatus, peſtiferum præconcepti veneni fœtorem, in propatulum effudit, dicens: *ſi aliquandiu ſanus fuero, omnes judices, tam clariſſimos & ſpectabiles, quam pedaneos, centuriones & villicos, omneſque principes & poteſtates in Regno Hungariæ, Teutonicos conſtituam & terram ejus hoſpitibus implebo, & eam univerſaliter in poteſtatem Teutonicorum redigam.* Et dicebat: *hoc nomen Hungaria, derivatum eſt ab angaria, & ipſi debent angariari.* Hæc itaque fuerunt fomenta diſcordiæ, inter Petrum Regem, & Hungaros.

CAPUT XXXVI.

De expulſione Petri Regis, & electione Abæ, in Regem.

Anno igitur Regni Petri tertio, Principes Hungarorum, & milites, conſilio Epiſcoporum, convenerunt, adverſus Petrum Regem; & ſolicite quærebant, ſi aliquem de regali progenie, in Regno tunc invenire poſſent, qui ad gubernandum Regnum, eſſet idoneus, & eos a tyrannide Petri liberaret. Cumque neminem talem in Regno invenire potuiſſent, elegerunt in ſemetipſis, quendam Comitem, nomine *Abam*, ſororium Sancti Regis Stephani, & eum ſuper ſe Regem conſtituerunt.

Aba igitur, congregato Hungarorum exercitu, contra Petrum Regem proceſſit, præliaturus. Petrus autem Rex, videns, ſe Hungarorum auxilio deſtitutum, vehementer expaveſcens, transfugit in Bavariam, *Henrici*, Regis Teutonicorum, adjutorium imploraturus. Petro itaque, per fugam, de manibus Hungarorum elapſo, Hungari, ſceleratiſſimum *Budam barbarum*, omnium malorum incentorem, cujus conſilio Petrus Hungariam afflixerat, in fruſta concidentes, interfecerunt, & duorum filiorum oculos effoderunt. *Sebum* autem, qui oculos *Vazul* eruerat, confractis manibus & pedibus, peremerunt. Quoſdam vero lapidibus obruentes; alios autem, in manganis ferreis vaſtantes occiderunt. *Aba* vero, regali poteſtate ſublimatus, conſecratus eſt in Regem.

Omnes

Digitized by Google

Omnes autem conſtitutiones, & exactiones, quas Petrus Rex, ſecundum conſuetudinem ſuam, conſtituerat, Aba Rex in irritum revocavit. In his autem rebus gerendis, tres de principibus Regni, præcipui fuerunt. Unus vocabatur *Viſce*, ſecundus *Toyslan* (1), tertius vero *Pezli*, qui libertatem gentis ſuæ quærebant & Regnum, regali ſemini reſtituere, fideliter nitebantur. In tertio vero anno, Regis Abæ, Petrus, cum Henrico, Rege Teutonicorum, deſcendit cum exercitu magno, contra Abam Regem. Rex igitur Aba, audiens, Petrum ab Hungaris derelictum, & ab Henrico, Rege Teutonicorum, benigne ſuſceptum; *anno Domini MXLII.* miſit nuntios ad Cæſarem; *ut perquireret, an inimicaretur ei, pro eo, quod Petrum de Regno expulerat, an etiam pacem ſtabilem cum eo poſſet habere?* Cui Cæſar, in reſpondendo, ſe inimicum eſſe oſtendit, dicens: *quia meos injuriis laceſſivit, quid, vel quantum poſſim? ipſe ſentiet.* *Rex Aba*, his auditis, intellexit, quod Cæſar intenderet, Petro Regnum reſtituere; inflammatusque in iram, congregato exercitu magno, invaſit *Auſtriam* & *Bavariam*, & ex utraque parte Danubii fluminis, bipartitis alis pugnatorum ſortium, percuſſit eos in ore gladii. Tulit itaque ſpolia eorum, & plurimos captivos ex eis, ſecum trahens, a flumine, quod vocatur *Trayſama*, pertranſivit captivando, uſque ad civitatem *Tulnam*, in qua pernoctavit. Factum eſt autem hoc, ſecunda feria, a crepuſculo uſque ad noctem. Mane autem facto, cum innumerabili multitudine captivorum, in Hungariam reverſi ſunt gaudentes. Poſt hæc, miſit bellatores fortes, in *Carinthiam*, qui plurimos captivos receperunt, & in Hungariam redierunt. *Gotfridus* autem *Auſtriæ Marchio*, circa *Petonam* (2), inſultum faciens ſuper eos, eorum ſpolia fertur abſtuliſſe. Tunc enim Auſtria, non Duces, ſed habebat Marchiones. Eo autem tempore, Cæſar, paſcha Domini, Coloniæ celebravit; & cum Principibus ſuis conſiliatus eſt, qualiter Regno ſuo injuſte illatam ab Hungaris injuriam, deberet vindicare? Qui concorditer conſuluerunt ei, ut Hungaros, qui ſine cauſa, Regnum ejus hoſtiliter irruperant, armis invaderet, & captivos ſuos, eorum ſervitute liberaret. Movit itaque expeditionem ingentem, & conſilio *Vratizlai*, *Ducis Bohemorum*, ex aquilonari parte Danubii, venit ad confinium Hungariæ. Legati vero Hungarorum, promiſerant Cæſari, quod Hungari, in omnibus ſtarent ad mandatum ejus, niſi, quia Petrum in Regem non ſuſciperent; quod tamen Cæſar, ſupremo opere perficere affectabat. Obli-

(1) MS. & Chron. Bud. *Toyslau.* (2) MS. *Pethoviam.*

Digitized by Google

gatus enim erat Petro promiſſione, quod ei Regnum reſtitueret. Hungari vero, nullatenus conſenſerunt, & miſſis muneribus, dederunt quoque fidem, quod captivos Teutonicorum, abire permitterent. Cæſar, rediit feſtinanter, contra inſultus *Gotfridi*, *Ducis Lotharingorum*, filii Ducis *Gozzilonis*.

CAPUT XXXVII.

De adventu Cæſaris, in ſubſidium Petri Regis, in Hungariam.

Sequenti anno, Aba Rex, miſſis legatis ad Cæſarem, quæ pacis ſunt, quærebat, promittens captivorum dimiſſionem, quos habebat; eorum autem, quos reddere non poterat, condignam compenſationem. Cæſar vero noluit componere, donec in Bavariam veniret; ut, qui per Hungaros injuſte læſi fuerunt, compoſitioni pacis intereſſent. Venit ergo Cæſar, ad terminos Hungariæ, & in craſtinum, expugnare diſpoſuit obſtacula, quibus Hungari, fluvium *Rabcha* (1) concluſerant. Interim vero, a legatis Abæ Regis, rogatus eſt Cæſar, ut competentem terminum figeret, in quo omnes captivos ei remitteret, & donaria inſuper ei donaret. Cæſar itaque, allectus muneribus, & aliis gravioribus negotiis præpeditus, rediit *Byzantium*, quod eſt oppidum *Burgundiæ*. Ex hinc itaque, Rex Aba, ſecuritate accepta, factus eſt inſolens; & cepit crudeliter ſævire in Hungaros. Arbitrabatur enim, quod omnia communia eſſent Dominis cum ſervis; ſed & jusjurandum violaſſe, pro nihilo reputabat. Nobiles enim Regni, contemnens, habuit ſemper, cum ruſticis & ignobilibus, communes. Hungari vero nobiles, nolentes id ſuſtinere, & exacerbationem ejus, moleſte ferentes, conſpiraverunt, & conjuraverunt, ut ipſum occiderent. Quidam autem ex ipſis, notificavit Regi, in necem ejus conjuratos; ex quibus eos, quos potuit, captos, fecit interfici, ſine judicii examine. Quod in magnum detrimentum Regis verſum eſt. Cum enim Rex, quadrageſimam *Chanadini* celebraret; in eadem quadrageſima, circiter quinquaginta viros nobiles, ſub prætextu conſiliandi, in quadam domo concluſit, & ab armatis militibus, fecit eos obtruncari, nec contritos, nec confeſſos. Unde *Beatus Gerardus*, *Chanadienſis Epiſcopus*, canonica ſeveritate Regem corripuit, & ei periculum imminere prædixit. Quidam itaque ex conjuratis, propter hoc magis incitati, fugientes, venerunt

(1) MS. Chr. Bud. *Rabcha.*

Digitized by Google

nerunt ad Cæsarem, & oblocuti sunt contra Abam, dicentes: *quod pro nihilo juramentum reputaret; nobilesque, qui eum Regem super se constituerant, contemneret; & cum rusticis ignobilibus ederet, equitaret, & continue loqueretur.* Quibus dixit Imperator: *ista enim consuetudo, non est nobilis hominis; sed ejus oppositi.* Ipsum ergo Cæsarem, efficaciter instigaverunt, ut super Abam Regem, injuriam vindicaret; quia nec captivos suos remiserat, sicut Cæsari juraverat, nec illata damna resarciebat. Cæsar itaque, animatus instigationibus Hungarorum, cum exercitu Norico & Bohemico, & phalangibus aulicorum suorum, venit in marchiam Austriæ; dissimulans, se intraturum Hungariam, simulans autem, se pactum ab Aba Rege exacturum, & reversurum. Tunc legati Abæ Regis, venientes ad Cæsarem, repetebant Hungaros, qui ad Cæsarem, fugerant, conquerentes & dicentes: quod ipsi essent prædones, & latrunculi Regni Hungariæ, & præcipui incentores guerrarum, & discordiæ, inter Cæsarem & Hungaros, qui Cæsari fideliter obsequerentur; ideoque, hujusmodi seminatores discordiæ, tradi oportere in manus Abæ, Regis Hungarorum. Quod Cæsar, nullo modo se facturum, respondit. Concitato itaque cursu, invasit fines Hungariæ, intrans per *Supronium.* Et cum vellet per *Bobuth Rabtha* (1) pertransire, fluvium Rabtha, stagnantibus aquis, & densissimis nemoribus, & scaturientibus paludibus, impermeabilem, transire non potuit. Hungari ergo, qui erant cum Cæsare & Petro Rege, duxerunt exercitum tota nocte, equitantes sursum, juxta fluvios *Raba* & *Rabtha;* quos, illucescente sole, facili modo transierunt. Occurrit autem ei, Aba Rex, in *Mensew*, juxta *Jaurinum*, cum magna multitudine armatorum, nimium præsumens de victoria; quia Bavari quidam, intimaverant ei, quod Cæsar, cum paucis, super eum veniret. Et, ut dicitur, Aba Rex, victoriam habuisset, nisi Hungari quidam, amicitiam Petro Regi reservantes, super terram sua vexilla projecissent, & fugissent. Tradiderunt autem Teutonici, quod, cum ad prælium appropinquassent, cum cœlesti signo, nebula tenuis apparuit, turboque vehemens divinitus incitatus, terribilem pulverem, obtutibus ingessit Hungarorum; quos jam pridem, ut dicitur, quia Petrum, suum Regem, dehonestaverant, Dominus Apostolicus, anathemate damnaverat feriendo. Commisso itaque prælio, inter utrumque, diu & acriter pugnatum est; sed tandem Cæsar, divino fretus auxilio, felicem obtinuit victoriam. Aba vero Rex, devictus, fugit versus *Thiscium*, & in villa quadam, in scrobe (2) veteri,

(1) Chron. Bud. *Bobuch R..bcha.* (2) MS. & Chron. Bud. *Scoobe.*

Digitized by Google

ab Hungaris, quibus regnans nocuerat, crudeliter jugulatur. Cujus quidem corpus, eſt ſepultum in Eccleſia, quæ fuerat prope ipſam villam. Poſt aliquot autem annos, cum eſſet effoſſum de ſepulchro, ſudarium & ipſius veſtimenta, invenerunt incorrupta, & loca vulnerum reſanata; tandem ſepelierunt corpus, in proprio monaſterio, in *Saar* (1). Cæſar autem, reverſus ad caſtra, ante Sacroſanctum lignum ſalutiferæ Crucis, ſe humiliter ac devote proſtravit, diſcalceatus pedes, cilicio ad carnem indutus, una cum omni populo ſuo, miſericordiam Dei glorificavit, quod ipſum, illo die, liberavit de manibus Hungarorum. Ex Teutonicis, illo die, in loco ipſo, infinita corruit multitudo. Itaque idem locus, uſque hodie, *ferlorum payer*, in lingua autem noſtra, *Veſtnempti* (2) nominatur; ob fœtorem namque mortuorum, per duos menſes, homo non poterat, bono modo, per partes illas tranſire. Sagittarii enim occiderant eos. Interea Hungari congregati, ſupplices venerunt ad Cæſarem, veniam & miſericordiam implorantes. Quos Cæſar, placido vultu, & benigne ſuſcipiens, quod rogabant, conceſſit. Indeque, cum omni multitudine ſua, *Albam* venit, quæ Teutonice *Weizinburg* dicitur; quæ eſt principalis ſedes Regni Hungariæ. Ibi ergo Cæſar, Imperiali honore, & latiſſimo præparatu, ab Hungaris honoratus, *Petrum Regem*, regali coronæ plenarie reſtitutum, & Sacris inſigniis Sancti Regis Stephani, more regio, decoratum, in regalem thronum, manu ſua deducens, in Baſilica glorioſæ genitricis Dei ſemper Virginis Mariæ, regaliter ſedere fecit; & ibidem, Regem Hungaris, & Hungaros Regi, reconciliavit. Conceſſitque petentibus Hungaris, Hungarica ſcita ſervari, & conſuetudinibus judicari. His itaque taliter ordinatis, Cæſar, Petro Rege, cum præſidio ſuorum, in Hungaria relicto, cum optata proſperitate, Ratisbonam rediit.

CAPUT XXXVIII.

De Reditu Cæſaris in Hungariam, & de Duello Ducis Belæ in Polonia.

Sequenti vero anno, reverſus eſt Cæſar in Hungariam, cui Petrus Rex, in ipſa ſancta Paſchali ſolennitate, Regnum Hungariæ, cum deaurata lancea, tradidit, coram Hungaris, ſimul & Teutonicis multis, etiam inſuper & magnificis

(1) MS. in *Savis*, Chron. Bud. *Sarus*. (2) Chr. Bud. *Veget német*.

Digitized by Google

ficis muneribus, Cæsar honorificatus a Rege, ad propria rediit, cum gloria. Interea *Endre*, *Bela*, & *Levente*, qui fugerant in *Bohemiam*, inde propter inopiam, transierunt in *Poloniam*, & a *Misca*, *Duce Poloniæ*, benigne sunt suscepti, & honorati. Tunc vero *Pomerani*, annuas pensiones, Duci Polonorum, cui tenebantur, reddere recusarunt. Dux vero, censum sibi debitum, a Pomeranis, armata manu cepit exigere. Pomeranis itaque paganis, & Polonis Christianis, communiter placuit, ut Duces eorum, duello confligerent; & si caderet devictus Pomeranus, consuetam persolveret pensionem, si vero Polonus, tantummodo damna fieret. Cum igitur *Misca* Dux, & filii ejus, horrerent duellum assumere impositum, *Bela*, se ipsum, per verbum interpretis, in medium introducens, sic dicebat: *si vobis Polonis, & Domino Duci, placet, quamvis sim nobilior, quam paganus ille, tamen pugnabo pro Regni vestri commodo, & honore Ducis.* Placuit itaque, tam Pomerano, quam Polonis. Cumque armati cum lancea, se junxissent, tam viriliter, Pomeranum, fertur Bela, de suo dextrario detrusisse, ut de loco suo se movere non potuerit, & gladio perfossum prostrarit. Confessusque est ipse Dux Pomeranus, se culpabilem. Quo viso, Pomerani, Duci Poloniæ humiliter subditi, solitum tributum, sine contradictione persolverunt. Dux vero inde revertens, cum victoria, per Belam acquisita, audaciam & potentiam valoris, in Bela Duce, collaudans; cum toto censu Pomeranico, ei tradidit filiam suam in uxorem, & universa, quæ ei necessaria fuerant, sufficienter & copiose ministrari præcepit, & eum in omnibus honoratum, in ducatu suo tenuit, ac bona quantitate, de terra, eundem hæreditare, non omisit.

CAPUT XXXIX.

De Bela Duce, Benyn dicto, & de Reductione Andreæ & Leventæ, in Hungariam; & quomodo Hungari in Fide apostataverint.

Bela vero Dux, ipse in Polonia duos genuit filios, quorum unus *Geysa*, alter autem *Ladislaus*, nomine avi sui, est vocatus. Displicuit autem *Endræ*, & *Leventæ*, quod per Belam, apud Ducem Poloniæ, quasi appendices degerent; dedignatique sunt, occasione sui nominis, in Ducis curia permanere, & accepta a Duce licentia, Bela fratre suo ibidem relicto, euntes, iverunt ad *Regem Lodomeriæ*, qui ipsos non recepit. Cumque non haberent, ubi caput

suum

Digitized by Google

ſuum reclinarent, abinde ad Cumanos perrexerunt. Videntes autem ipſos Cumani, optime perſonatos arbitrati ſunt, quod eorum terram adveniſſent explorare. Et niſi captivus Hungarus illos cognoviſſet, revera occidiſſent; & ſic poſtmodum, aliquo tempore, ipſos tenuerunt. Abhinc poſtea, in *Ruſciam* ſunt profecti. Eo tempore, quidam magnates Hungariæ, deſolationem Regni gementes, & liberationem Hungariæ, a tyrannide Petri, cupientes; *Endræ*, *Belæ* & *Leventæ*, qui de genere S. Stephani Regis progeniti erant, intemeratam fidelitatem ſervabant, & eis, per nuntios, bona, quæ habere poterant, mittendo, fideliter ſerviebant. Erant autem iſti magnates, *Viſca*, *Bua*, & *Buhna*, & alii eorundem cognati; qui ſemper, cum ſuſpiriis & gemitibus, expectabant opportunum tempus, quando Andream, Belam, & Leventam, poſſent reducere in Hungariam, & Regnum, generi Sancti Stephani Regis, qui eos dilexerat & exaltaverat, omnibus viribus ſuis, reſtituere laborabant. Petrus vero Rex, per poteſtatem Regis Teutonicorum elatus, non jam regnabat; ſed potius tyrannidis ſuæ crudelitate, Hungariam deprimendo, flagellabat. Quibuſdam autem perfidis, *Buda* ſcilicet & *Denecher* (1), ſuggerentibus, audivit Petrus, quod prædicti nobiles Hungariæ, ſcilicet *Viſca*, *Bua*, & *Buhna*, & eorum cognati, cogitabant, qualiter Regnum, Regio ſemini poſſent reſtituere, & Andream, Belam, atque Leventam, contra Petrum Regem, in Regnum reducere. Petrus vero Rex, vehementi furore ſuccenſus, fecit eos comprehendi, & in equuleo ſuſpenſos, interfici; quoſdam autem, effoſſis oculis, tormentari; & totam Hungariam, tam magnis afflixit anguſtiis, ut magis eligerent mori, quam ita miſerabiliter vivere. Tunc nobiles Hungariæ, videntes mala gentis ſuæ, in *Chanad* in unum convenerunt, conſilioque habito totius Hungariæ, nuntios miſerunt ſolennes, in Ruſciam, ad Andream & Leventam, dicentes eis, quod *tota Hungaria eos fideliter expectaret*, & *univerſum Regnum*, *eis*, *ſicut regali ſemini*, *libenter obſequeretur*; *tantummodo ipſi*, *in Hungariam deſcenderent*, & *eos a furore Teutonicorum defenderent*; hoc etiam eis juramento firmaverunt, *quod ſtatim*, *ut ipſi in Hungariam introirent*, *omnes Hungari*, *unanimiter ad ipſos confluerent*, & *eorum dominio ſe ſubderent*. Endre vero & Levente, timentes palliatas inſidias, clanculum miſerunt nuntios in Hungariam. Cum autem veniſſent ad *novum caſtrum*, quod Rex *Aba* conſtruxerat (2); ecce, univerſa multitudo Hungarorum, catervatim confluxerunt ad ipſos, & inſtinctu diabolico inflammati, pervicaciter petierunt

(1) MS. & Chron. Bud. *Devether*. (2) Videlicet *Aba-Vyvár*.

Digitized by Google

runt ab Endre & Levente: *quod permitterent, universum populum, ritu paganorum vivere, Episcopos & Clericos occidere, Ecclesias destruere, Christianam fidem abjicere, & idola colere.* Permiseruntque eos, secundum desideria cordis eorum, ut, irent, & perirent, in adinventionibus antiquorum patrum suorum. Aliter enim non pugnabant, contra Petrum Regem, pro Endre & Levente. Primus autem inter Hungaros, nomine *Vatha*, de castro *Belus*, dedicavit se dæmoniis, radens caput suum, & cincinnos dimittens sibi per tres partes, ritu paganorum; cujus filius, nomine *Janus*, multum postmodum tempore, ritum patris sequendo, congregavit ad se multos magos & pithonissas, & aruspices, per quorum incantationes, valde gratiosus erat apud dominos. De multis autem Deabus suis, una, nomine *Rasdi*, capta fuit, a Christianissimo Rege *Bela*, & tam diu in carcere fuit recluſa, donec comederet pedes proprios, ibi denique moreretur. Est autem scriptum, in antiquis libris, de gestis Hungarorum, quod omnino prohibitum erat Christianis, uxorem ducere de consanguineis. *Vatha* & *Janus*, quia sicut *Dathan* & *Abiron*, in veteri lege, seditionem moverant contra Dominum; sic & isti, tempore isto, Hungaricum populum, a fide Christi averterunt. Tunc itaque, detestabili & execrabili admonitione illius Vathæ, omnes populi, libaverunt se dæmoniis, & ceperunt comedere equinas pulpas, & omnino pessimas facere culpas; tam quippe clericos, quam laicos, Catholicæ fidei servatores, interfecerunt; quam plures Ecclesias Dei destruxerunt. Deinde, contra Petrum Regem rebellantes, universos Teutonicos & Latinos, qui in officiis diversis præfecti, per Hungariam sparsi fuerant, turpi neci tradiderunt; mittentesque in Petri castra, in equis velocissimis, nocte tres præcones, qui deberent proclamare, edictum & verbum Dei, Endre & Levente: *ut Episcopi cum clero sint necati: decimator trucidetur; paganismus abolitus resumatur; sicut collecta, cum suis Teutonicis & Latinis, Petri pereat memoria, in æternum & ultra.* Mane igitur facto, scisitatus est Rex rei factum; & certissime experiens, quod isti fratres rediissent, eorumque intuitu, sui præfecti, per Hungaros fuissent trucidati: non se ostendit perterritum de rumoribus; sed lætum se demonstrans, & suo castro de loco remutato, transivit Danubium, in civitatem (1) *Albam* cupiens introire. Hungari autem, præscientes ejus velle, prævenerunt, occupantes campanilia, & turres civitatis; & seratis januis, illum excluserunt. Inter hæc autem, Endre & Levente, cum eadem multitudine, procedentes per medium Hungariæ, appropinqua-

(1) MS. *in Sytiaten albam.*

Digitized by Google

quaverunt ad portum, qui vulgo dicitur *Peſth*. Quo audito, *Gerardus*, *Beztrius* (1), *Buldi*, & *Beneta*, Epiſcopi & *Zonuk* comes, de civitate Alba, egreſſi ſunt obviam, Endre & Levente Ducibus, ut eos honorifice ſuſciperent. Cumque feſtinanter, prædicti Epiſcopi, ad locum veniſſent, qui dicitur *Gyod* (2), ibi in Eccleſia Sanctæ Sabinæ, priuſquam ad Dominos irent, miſſam audire voluerunt.

CAPUT XL.

De Martyrio Sancti Gerardi Epiſcopi.

Beatus itaque *Gerardus* Epiſcopus, ſacerdotalibus veſtibus, ad celebrandum miſſam, indutus, exhortationis genera locutus eſt eis, dicens: *fratres & Coepiſcopi mei, & omnes alii fideles, qui adeſtis, ſcitote, nos hodie ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cum corona martyrii, in æterna gaudia perventuros. Ego enim notum facio vobis, arcanum Dei, quod mihi in hac nocte revelatum eſt. Vidi enim Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in pluteo ſanctiſſimæ Matris ſuæ, ſemper Virginis Mariæ, ſedentem, nobiſque ad ſe vocatis de manu ſua, corporis & ſanguinis ſui Euchariſtiam, communicantem. Beneta vero Epiſcopus, cum ad eum acceſſiſſet, retraxit ei Chriſtus Euchariſtiam; unde ipſe hodie, martyrii noſtri conſortio privabitur.* Poſt hæc autem, Beatus Gerardus admonuit eos, ut confiterentur inter ſe peccata ſua, & audita miſſa, orationi incumbentes, & certa ſpe æternæ beatitudinis, per martyrium adipiſcendum, lætificati, omnes communicaverunt. Deinde perrexerunt pariter, verſus *portum Danubii in Peſth*. *Beatus* autem *Gerardus* Epiſcopus, cum eſſet brevis ſtatura, omnesque vires ſuas, in ſervitio Dei, funditus conſumſiſſet, currus ſubvectione utebatur. Cumque ad prædictum portum veniſſent, ecce viri impii, ſcilicet *Vatha*, & complices ejus, dæmonibus pleni, quibus ſe ipſos dedicaverant, irruerunt in Epiſcopos, & in omnes ſocios eorum, & lapidibus eos obruerunt. *Beatus* vero *Gerardus* Epiſcopus, eos, qui ſe lapidabant, indeſinenter crucis ſigno inſigniebat. At illi, hoc viſo, multo magis ſævientes, impetum fecerunt in eum, & everterunt currum ejus in ripam Danubii; ibique abſtracto eo de curru ejus, in biga poſitum, de

(1) MS. *Boztrius*. Chr. Bud. *Beſtridus*. (2) Chron. Bud. *Gyogh*.

Digitized by Google

de monte *Kelenfeld* ſubmiſerunt; & dum adhuc palpitaret, in pectore, lancea percuſſus, ſuper unum lapidem contriverunt cerebrum ejus. Sicque glorioſus martyr Chriſti, ab ærumnis mundi hujus, ad æternam beatitudinem tranſiit. Danubius ſæpe redundans ſuper molem lapidis, in quo contritum eſt caput S. Gerardi, non potuit ſanguinem diluere, per ſeptem annos, donec recollectus eſt a Sacerdotibus. Et lapis ille, nunc eſt Chanadini, in ſuperficie ſui altaris. Nunc in eodem loco, ubi contritum eſt caput ejus, in honore beati Gerardi martyris, Eccleſia, ſub monte apparet fabricata. Hic ſiquidem *Gerardus*, *monachus de Roſatio*, natione *Venecenſis*, qui in Pannoniam veniens, primus in *Beel* vitam ducens eremiticam, tandem in Chanadienſem cathedram, in Epiſcopum eſt translatus. *Buldi* quoque Epiſcopus, lapidibus obrutus, tranſiit ad gloriam. *Beztritus* autem, & *Beneta*, cum tranſiiſſent Danubium navigio, ad Endre & Levente; hæretici, qui in ulteriori littore erant, Beztritum Epiſcopum vulnerarunt, qui tertia die poſtmodum mortuus eſt. Endre autem Dux, interim ſuperveniens, Benetam Epiſcopum, a manibus eorum liberavit. Et ſic prophetia S. Gerardi impleta eſt. Omnes enim, præter Benetam, martyriſati ſunt. *Zonuk* quoque comes, ſuper dextrarium ſuum Danubio inſiliens natabat, quem in navi veniens, quidam nomine *Murthmur* (1), levavit in navim, ut eum a morte liberaret. Erat enim iſte Murthmur, baptizatus a comite Zonuk. Qui, cum prædictum comitem ſalvare vellet, ceperunt ei hæretici mortem comminari, niſi ipſe, Zonuk comitem interficeret; quorum minas, Murthmur metuens, ipſum comitem, in navi gladio interemit. Tanta ergo multitudo clericorum & laicorum, pro Chriſti fide, eodem die, martyrium pertulit, ut eorum numerus, Deo tantum & Angelis ſit cognitus.

CAPUT XLI.

De morte Petri Regis.

Petrus autem *Rex*, videns, Hungaros unanimiter adhæſiſſe, Ducibus *Endre* & *Levente*; ipſe cum ſuis Teutonicis, fugam iniit verſus *Muſim* (2), ut abinde in *Auſtriam* pertranſiret: ſed evadere non potuit. Interim enim Hungari,

(1) Chr. Bud. *Mothmur*. (2) MS. & Chr. Bud. *Muſun*.

Digitized by Google

gari, portas exitus regni, primo occupaverunt; ſed & legatus Ducis Endre, revocavit Petrum Regem, ſub prætextu pacis, & honoris ſibi congrui. Qui credens ei, vertebatur, ut dicitur, ſed maxime coacte; quia exercitum ſibi jam abſconditum cognoverat; & volebat reverti feſtinanter in *Albam*. Qui, cum divertiſſet in villam *Zamur*, prædictus legatus, inſidiis voluit eum capere, & vinctum, ad Endre Ducem ducere. Petrus autem prænoſcens hæc, collegit ſe in quandam curiam, & per triduum, viriliter dimicando, ſemetipſum defendebat. Tandem, milites ejus omnes, a ſagittariis ſunt interemti; ipſe vero, vivus captus eſt, & obcœcatus. Albamque ductus, præ nimio dolore, vitam in brevi finivit, ſepultusque eſt *Quinque Eccleſiis*; quam ipſe fundaverat, in honorem *Beati Petri Apoſtoli*, anno regni ſui *ſecunda vice tertio*.

CAPUT XLII.

De Coronatione Andreæ Regis Primi, Endre dicti.

Porro Dux *Andreas*, a perturbationibus hoſtium ſecurus effectus, in regia civitate Alba, regalem coronam eſt adeptus, a tribus tantum Epiſcopis, qui in illa magna ſtrage Chriſtianorum, evaſerant, coronatus eſt *anno Domini MXLVII.* Præcepit itaque univerſæ genti ſuæ, ſub pœna capitalis ſententiæ, *ut depoſito paganiſmo, prius eis conceſſo, ad veram Chriſti fidem reverterentur, & in omnibus, ſecundum legem illam viverent, quam ſanctus Rex Stephanus eos docuerat.* Levente vero, in eiſdem diebus mortuus eſt; qui, ſi diutius vixiſſet, & regni poteſtatem obtinuiſſet, ſine dubio, totam Hungariam, paganiſmo & idololatria corrupiſſet. Et quia ipſe Levente, Catholice non vixit; ideo, circa villam *Toxun*, ultra Danubium eſt ſepultus, ubi jacere dicitur Toxun, avus ejus, more pagano. Tradunt quidam, iſtos tres fratres, filios fuiſſe Vazul, Ducis, ex quadam puella, de genere *Tatun*, & non de vero thoro ortos eſſe; & ob hanc conjunctionem, illos de Tatun nobilitatem accepiſſe. Quod falſum pro certo eſt, & peſſime enarratum. Abſque hoc namque ſunt nobiles, quia iſti filii ſunt *calvi Ladislai*, qui uxorem *de Ruthenia* dicitur accepiſſe, ex qua tres iſti fratres generati. Iſte quidem Rex, *albus Andreas* & *Catholicus* eſt vocatus. Tribus enim annis, *Polonos*, *Bohemos*, & *Auſtrales*, Hungaris ſuis, armis fecit cenſuales. Rex autem hic Andreas, fratre orbatus, miſit in Poloniam, ad alterum fratrem ſuum, Belam, cum magna dilectione vocans eum,

&

Digitized by Google

& dicens : *nos, qui quondam penuriæ participes fuimus & laborum, rogamus te, dilectiſſime frater, ut ad nos non tardes venire; quatenus conſortes ſimus gaudiorum, & bonis regni, corporali præſentia gaudentes, communicemus. Neque hæredem enim habeo, nec germanum, præter te; tu ſis mihi hæres, tu in regnum ſuccedas.* His itaque verbis, *Bela* admonitus, cum omni familia ſua venit ad Regem. Quem Rex videns, gaviſus eſt gaudio magno; quia fraterno fulcitus eſt robore. Poſt hæc autem, Rex, & frater ejus Bela, habito conſilio, diviſerunt regnum in tres perſonas; quarum duæ, in proprietatem regiæ majeſtatis ſuæ manſerunt, tertia vero pars, in proprietatem Ducis eſt collata. Hæc igitur prima regni hujus diviſio, ſeminarium fuit diſcordiæ & guerrarum, inter Duces & Reges Hungariæ. Eo tempore, Rex Andreas, juxta lacum *Palatini* (1), conſtruxit *monaſterium, in honorem ſancti Aniani*, in loco, qui dicitur *Tyhon*. Duxit autem ſibi uxorem, filiam Ducis Ruthenorum, de qua genuit *Salomonem* & *David*; de concubina autem, quam habuit *de villa Moroth* (2), genuit *Georgium*. Porro Dux *Bela*, in Polonia genuit liberos, *Geyſam* & *Ladislaum*; in Hungaria autem, genuit *Lampertum*, & filias : vivebantque Rex & Dux, in magna pacis tranquillitate.

CAPUT XLIII.

De adventu Cæſaris, ſive Regis Teutonicorum, in Hungariam.

Eo tempore, *Teutonicorum* Rex, cum magno exercitu, obſedit caſtrum *Poſon*; volens injuriam Petri vindicare, & Hungariam ſuo dominio ſubjugare. Extruxit autem multas machinas bellicas, ad expugnandum caſtrum; & per octo hebdomadas obſidendo, nihil profecit. Venerat enim prædictus Rex, navigio, ad obſidendum caſtrum Poſon. Tunc Hungari, qui in caſtro erant, natatoriæ ſcientiſſimum invenerunt hominem, nomine *Zothmund* (3), quem noctis in ſilentio, ad naves Imperatoris miſerunt; qui, ſub aqua veniens, omnes naves perforavit, quæ ſubito aqua plenæ factæ ſunt : & potentia Teutonicorum contrita eſt; & ſic effæminati, enervatique viribus, reverſi ſunt ad propria. Multi enim milites erant in Poſon; ſed præcipui erant *Majotech* (4),

(1) MS. & Chron. Bud. *Balatun.* (2) Chron. Bud. *Merouth* (3) MS. *Zothmud.* (4) MS. *Woytech*

Digitized by Google

Endre, *Vilungard* (1), *Urosa*, & *Martinus*, qui quotidie, cum Teutonicis dimicabant acriter. Sequenti vero anno, Cæsar, cum magna multitudine bellatorum, ob easdem causas, venit in Hungariam, juxta fontes rivorum *Zalæ* & *Zelicæ*; sed & naves, victualibus oneratas, per Danubium, misit in Hungariam, præfecitque eis Episcopum *Gebarth*, fratrem (2). His auditis, *Andreas Rex*, & Dux *Bela*, omnes acervos segetum, & tirsos herbarum, igne combusserunt, habitatoresque, cum universis animalibus eorum, de partibus illis, per quas Cæsar erat transiturus, procul abduxerunt. Cumque Cæsar intrasset ad Hungariam, & venisset in regiones combustas, neque militibus suis invenire poterat victualia, nec equis; & nesciebat, ubi naves ejus essent, nullumque subsidium ex eis poterat habere. Transiens autem silvas, appropinquavit montibus *Bodohath* (3) omnium victualium penuria laborans. Interea autem, *Gebarth* Episcopus, venit in *Jaurinum*; & mittens epistolam ad *Henricum* Cæsarem, sciscitabatur ab eo, ubi deberet ipsum expectare? Is autem, qui ferebat litteras, Deo sic volente, captus est a latrunculis Andreæ Regis, & ad eum ductus. Cumque, Nicolao Episcopo interpretante, tenorem litterarum percepissent; rescripserunt Episcopo Gebarth litteras, quas per quendam hospitem, eidem miserunt. Ille autem, simulans se a Cæsare missum, obtulit litteras, Gebarth Episcopo, talia continentes: *noveris optime frater, Gebarth Episcope, quum magna & ardua negotia nostri Imperii, nos ab Hungaria in Teutoniam ire compellunt; nam inimici nostri, imperium nostrum, hostiliter occuparunt. Ergo age, festina, & destructis navibus, quam citius poteris, nobis Ratisbonæ occurras; nec enim tibi tutum est, amplius in Hungaria commorari.* His itaque cognitis, *Gebarth* Episcopus, festinanter fugit in *Teutoniam*. Cæsar igitur, spe sustentationis, quam a navibus expectabat, frustratus, ad mortem cepit egere. Similiter, & universus exercitus ejus, cum equis & subvectoribus, miserabiliter fame periclitabantur. Insuper etiam Hungari, & Bissseni, singulis noctibus, acriter eos infestabant, toxicatis sagittis eos interficiendo, & funes extendentes inter papiliones eorum, quamplures, aliqua servitia facientes, rapiebant. Præ timore autem imbrium sagittarum, quibus Teutonici compluebantur & consumebantur, fodiebant sibi terram, & desuper, insertis clypeis, etiam vivi cum mortuis jacebant in sepulchris. Nam sepulchrum, quod mortuo fodiebatur in die, vivus jacebat in eo de nocte, & quod vivo fodiebatur pro nocte, mortuus sibi vendica-

(1) MS. *Vylungard*. (2) Chr. Bud. addit: *suum*. (3) MS. *Bodohot*. Chr. Bud. *Bodouck*.

Digitized by Google

cabat de die. Cæsar ergo, videns, tot & tantis periculis se esse perplexum; misit ad Andream Regem, & Belam Ducem, rogans perpetuæ pacis firmitatem. Dicebat enim, quod, si Rex Andreas, securum ei iter præberet, ad revertendum, & exercitui suo, fame oppresso, subsidia vitæ largiretur; ipse nunquam, Andreæ Regi, & successoribus ejus, inimicaretur, & nunquam, a modo, Regem Hungarorum, vel dictis, vel factis, vel consilio, lædere attentaret. Sed etiam, si quis de successoribus suis, ad debellandum Hungariam, arma moveret, indignationem omnipotentis Dei incurreret, & perpetuo ejus anathemati subjaceret, filiam quoque suam, *Sophiam* nomine, *Salomoni*, filio Regis Andreæ, daret in uxorem, quam primitus, filio Regis Franciæ, cum maximo dederat Sacramento, propter perpetuæ pacis fœdera firmius roboranda. Hæc autem omnia, fideliter servaturum, jurisjurandi religione interposita, confirmabat. Rex itaque Andreas, & Dux Bela, magis amatores pacis, quam discordiæ seminatores esse volentes, pacem cum Cæsare composuerunt. Cæsar autem, in propria persona sua, jurejurando confirmavit omnia, quæ dixerat fideliter facturum. Tunc Rex Andreas, solita Regum Hungariæ largitate utendo, misit Cæsari, quinquaginta corpora immensorum husonum, & duo millia laridorum, mille tauros ingentes, de panibus autem plus, quam secum ferre poterant. Oves quoque & boves, seu pecudes pascuales, & vini copiam superfluentem. Plurimi etiam Teutonicorum, de immoderata ciborum ingestione, & potus ingurgitatione, crapulati & infusi, mortui sunt; residui vero, a faucibus mortis, miseratione Hungarorum liberati, relictis tentoriis, & clypeis, & universis supellectilibus suis abjectis, adeo concitato cursu, in Teutoniam redire, peoperarunt, ut nec retro prospicerent. Ex hoc autem eventu, locus ille, unde Teutonici, tam turpiter dedecorati, abjectis clypeis, fugerunt, usque hodie *Wertesshegie* (1) nuncupatur; Teutonici vero, locum eundem *Schiltberg* vocant.

CAPUT XLIV.

De Coronatione Regis Salomonis, & de Nuptiis ejusdem.

Postquam autem *Cæsar Henricus*, cum tanto dedecore, fugit in terram suam, de Hungaria; *Rex Andreas*, mittens ad eum legatos petivit ab eo, ut *So-*

(1) MS. & Chron. Bud. *Vértehegyes.*

Digitized by Google

Sophiam, filiam ſuam, *Salomoni*, filio ſuo, matrimonio copulandam ut promiſerat, concederet. Cæſar autem quemadmodum jurejurando promiſerat, fideliter complevit. Regalibus itaque nuptiis, juxta fluvium *Morvam*, celebratis, & fœderibus pacis firmiter roboratis; Cæſar, & Rex cum gaudio ſunt reverſi. At Rex Andreas, poſt hæc cito incidit in paralyſin; & tam hyemali, quam æſtivali tempore, ſupertraha ferebatur. Poſt mortem itaque Sancti Regis Stephani, tranſacti ſunt anni undecim, menſes quator, uſque ad annum primum Imperii Andreæ Regis. Interea vero *Petrus Teutonicus*, vel verius *Venetus*, primo & ſecundo, regnavit annis quinque cum dimidio. *Aba* vero, regnavit annis tribus. Quia vero carnalis amor, & conſanguinitatis affectio, ſolet impedire veritatem; vicit amor filialis, in Andrea Rege, juſtitiam: & rupto fœdere ſuo promiſſionis, quod in Regibus eſſe non deberet, filium ſuum *Salomonem*, infantulum adhuc quinque annorum, ſuper totam Hungariam, anno Imperii ſui duodecimo, confectus ſenio, in Regem fecit inungi & coronari. Simulabat enim, quod pro perditione Regni hoc faceret, quia Imperator, filiam ſuam, filio ſuo Salomoni non dediſſet, ſi eum non coronaret. Cum autem in coronatione Salomonis, caneretur, *eſto Dominus fratrum tuorum*; & hoc per interpretem, Belæ Duci innotuiſſet, quod Salomon infantulus, ipſi dominus conſtitueretur, graviter eſt indignatus. Dicunt alii, quod Bela Duce, & filiis ejus, Geycha ſcilicet & Ladislao, cunctisque Regni optimatibus conſentientibus, Salomon unctus eſſet in Regem; poſtmodum ſeminarium diſcordiæ, quorundam inſtigationibus, ortum eſt inter eos. Suſurrones enim, quales noſtris temporibus complacent, præcipue ſuggerebant Regi, non poſſe regnare Salomonem, niſi fratre ejus Bela extincto. Ab alia vero parte, Duci perſuadebant Belæ, quod tempus opportunum eſſet, Regnum acquirere, dum Salomon puerulus eſſet, & pater ejus ſenio confectus, ac valetudinarius. Venerunt itaque, Rex & Dux, in *Varkun*. Rex autem cognoſcens, quod filius ſuus, absque voluntate Ducis, poſt obitum ſuum, regnare non poſſet; vocavit ad conſilium duos fideles ſuos, cum quibus conſilium iniit, dicens: *volo attentare Ducem, & in duobus interrogare, ſi vult habere coronam, vel ducatum.* Fecitque Rex ei coronam jacere ante ſe, ſuper rubeum ſtramentum, & gladium juxta, qui ducatum deſignat. *Si ducatum, Dux, cum bona pace habere voluerit, habeat, ſi vero coronam, ſtatim vos duo principes ſurgite, & eodem gladio, Ducem Belam decollate.* Et illi promiſerunt ſe facturos. Cum autem hoc conſilium inirent, *Comes præconum*, *Nicolaus*, tenens oſtium palatii, de foris hæc omnia audivit. Cumque Ducem ad Regem vocaſſent, & in oſtio intraret, dixit citiſ-

ſime

Digitized by Google

ſime Duci, comes præconum: *ſi vitam optas, accipe gladium*; & plus dicere non potuit. Cum autem Dux intraret, vidit coronam jacentem, cum gladio, ante Regem; & mirabatur, ſtatimque cum ſediſſet, Rex jacens, ſe levavit, & in lecto ſedens, dixit: *Dux, ego coronavi filium meum, non tamen cauſa cupiditatis, ſed cavens perditionem regni, quæ nudius tertius ab Imperatore acta fuit. Sed tu, voluntatem tuam liberam habens, ſi vis regnum, accipe coronam, ſi ducatum, accipe gladium. Ex his aliud concedas filio meo; ſed corona, cum juſtitia tua eſt.* Statim Dux cognovit de verbis Nicolai comitis, & dixit; *habeat filius tuus coronam, qui unctus eſt, & da mihi ducatum;* ſtatimque gladium accepit. Rex itaque inclinavit ſe ad pedes ejus, quod tamen nunquam, vel raro ſolebat facere. Putabat enim, eadem ſimplicitate, dediſſe coronam filio ſuo, ſicut ſibi Levente dederat; ſed Dux, præ timore hoc fecerat. Tandem, ſiniſtris ſuggeſtionibus malorum hominum, Rex & Dux diſcordaverunt. Dux autem, ſicut erat ſagaciſſimus, præcavens ſibi ab inſidiis Regis, cum omni familia ſua, ſeceſſit in Poloniam, ad ſocerum ſuum. Quod audiens Rex Andreas, timens illius machinamenta, filium ſuum Salomonem, tranſmiſit ad Imperatorem, ſocerum ejus. Secuti ſunt autem eum, plurimi primates Hungariæ. Interea Dux Bela, omnem injuriam, quam ei frater ejus, Rex Andreas, intulerat, notificavit ſocero ſuo, Duci Poloniæ: Dux autem Poloniæ, auxiliatus eſt ei fideliter, & efficaciter. Dux itaque Bela, tribus agminibus ſoceri ſui munitus, reverſus eſt in Hungariam. Rex autem Andreas, prænoſcens, eum cum exercitu intraſſe in Hungariam; ab Imperatore Teutonicorum, duos Duces, videlicet *Wilhelmum* & *Poth*, in auxilium ſuum, fecit adduci. Ducem quoque Bohemorum, qui conſanguinitate eidem attinebat, mercede conduxit, & confidebat in multitudine conductorum; Hungaros autem non multos habebat. Quamplurimi enim, Salomonem, filium ejus, ſecuti fuerant, & ex his, qui in regno manſerant, plurimi ad Ducem Belam confluxerant. Nuntiatum eſt autem Belæ Duci, quod Rex Andreas, maximam haberet multitudinem conductorum; elegitque, magis mori in bello, quam ſine pugna, ab exercitu Regis declinare. Tunc intrepidus, concitatum duxit exercitum, ſuper Andream Regem, verſus *Thyſciam*. *Wilhelmus* vero, & *Poth*, Duces Teutonicorum, furore concitati, cum agminibus ſuis, feſtinanter *Thyſciam* tranſierunt; & commiſſo prœlio, ab utraque parte, fortiter eſt pugnatum; ſed adjuvante Deo, *Dux Bela* victoriam obtinuit, fere omnibus Teutonicis ibidem interfectis, & Ducibus eorum comprehenſis. Porro Hungari, qui erant apud Regem Andream videntes, victoriam feciſſe Ducem Belam, dimiſſo Rege Andrea, verſi ſunt ad Ducem Belam. *Rex* autem *Andreas*, fugit

Digitized by Google

verſus Teutoniam, ſed evadere non potuit. Captus eſt enim ad portas *Muſum:* & negligenter detentus, in ſilva *Bokon*, ad crucem ſuam (1), quæ dicitur *Stirem* (2), mortuus eſt. Sepultus eſt autem, in *monaſterio Sancti Aniani* confeſſoris, quod idem Rex conſtruxit in *Thihon* (3), juxta *lacum Balaton.* Sed & *Dux Bohemorum* captus eſt, & ſine ſcitu Ducis Belæ, exoculatus. *Wilhelmus* vero, & *Poth*, Ducēs, adducti ſunt ad Belam Ducem, qui eos liberos abire permiſit.

CAPUT XLV.

De coronatione & vita Regis Belæ Primi, & exercitiis Ejuſdem.

Dux igitur *Bela*, vocatus *Benim* (4), victor, cum triumpho venit in civitatem *Albam*, ibique, regali diademate, inungentibus eum Epiſcopis, feliciter eſt coronatus. Tenuit autem Regnum pacifice, ſine moleſtatione hoſtium; & quæſivit bona genti ſuæ. Inter cetera ſiquidem peritiæ ſuæ argumenta, fecit fabricari nummos magnæ monetæ, ex puriſſimo argento, & pretium rerum venalium, ſecundum certam quantitatem, juſto moderamine diſcretæ rationis, conſtituit. Non enim permittebat mercatores & nummularios, deteſtabilem avaritiæ voraginem, a ſimplicibus & ruſticis, ſuperfluum lucrum congregare. Hæc eſt enim cauſa, quæ maxime ſolet populos, paupertatis & inopiæ periculis obvolvere; ſed ſecundum ſtatutum pretium, unuſquiſque vendebat & emebat, ſine injuria & circumventione. Iſte enim, omnia fora die ſabbati conſtituit, pro vendendo & emendo. Byzantioſque (5), permiſit currere, per diſtrictum regni ſui. Argenteos etiam denarios, ut ſupra ſcriptum eſt, cudi fecit; quorum quadraginta, Byzantius cenſus erat: unde & nunc, denarii numero quadraginta, *aureus* appellantur, non quod ſint aurei, ſed quod tot denarii Byzantium valere illo tempore, videbantur. Omnibus enim diebus vitæ ſuæ, in tota Hungaria, non eſt mutata moneta. Multa etiam alia fecit, ſempiterna digna memoria. Omnium enim, qui ſecuti fuerant Salomonem Regem, uxores & filias, & omnia quæ habebant, integra & illæſa fecit cuſtodiri: ut ad eum

(1) Chr. Bud. *villam ſuam.* (2) MS. *Scire* Chr. Bud. *Scirioch.* utraque Edit. Brun. & Aug. *Stiroz.* (3) MS. *Thion.* Chr. Bud. *Thyon.* (4) MS. & Chr Bud. *Benyn.* (5) MS. *Bizantinosque.*

Digitized by Google

eum ſponte reverterentur, & cum bonis ſuis, in pace degerent; unde plurimi de illis, facti fideles, redierunt. Alleviavit hic etiam, affectu pietatis, onus Hungarorum, a debito ſervitio, relaxans eis conſuetas & antiquas exactiones. Quapropter Hungaria, quam plurimum locupletata, ſuper omnes circumad jacentes regiones, caput extulit, eas divitiis vincens & gloria; tunc in ea pauperes locupletabantur, & divites gloriabantur.

CAPUT XLVI.

De Hungaris rurſus in Fide apoſtatare conatis.

Miſit etiam Rex clementiſſimus, per totam Hungariam, præcones; ut de ſingulis villis, vocarentur duo ſeniores, facundiam habentes, ad Regis conſilium. Quo audito, non tantum hi, qui vocati fuerant: ſed etiam omnes ruſtici & ſervi, cum univerſa plebe Hungariæ, venerunt ad Regem, in Albam. Rex autem & Epiſcopi, cunctique proceres, videntes immenſam multitudinem, timuerunt, ne forte irruerent in eos; & intrantes civitatem, obſeraverunt eam. Plebs autem conſtituit ſibi præpoſitos, quibus præparaverunt orciſtram de lignis, unde ab hominibus poſſent videri & audiri; præpoſiti vero miſerunt ad Regem, & ad proceres, nuncios, dicentes: *Concede nobis, ritu patrum noſtrorum, in paganiſmo vivere, Epiſcopos lapidare, presbyteros exterminare, clericos ſtrangulare, decimatores ſuſpendere, eccleſias deſtruere, campanas confringere.* His auditis, contriſtatus eſt Rex, & petivit inducias dierum trium, ad deliberandum ſuper negotio. Interim vero præpoſiti plebis, in eminenti ſuggeſtu reſidentes, prædicabant nefanda carmina contra fidem; plebs autem tota, congratulanter affirmabat, *fiat, fiat.* Cum autem tertia die reſponſum expectarent, milites armati, ex præcepto Regis, irruerunt ſuper eos, & aliquos ex eis obtruncaverunt, præpoſitosque eorum, ab altis præcipitando, contriverunt, reliquos autem ligatos, duris verberibus flagellaverunt; & ſic occidendo, ligando, flagellando, ſeditionem eorum, milites vix edomuerunt. Poſtquam enim S. Rex Stephanus, convertit Hungariam ad Chriſtum, bis ad paganiſmum verſa eſt; ſemel, tempore Regis Andreæ, ſecundo, tempore Regis Belæ, ſicut nunc ſcriptum eſt. Piiſſimus autem Rex Bela, completo Regni ſui anno tertio, in *Demes*, regali allodio, corruente ſolio, confractus corpore, irremediabiliter cepit ægro-

Digitized by Google

tare, duxeruntque eum feminecem ad rivulum *Kaniſa*, (1), propter quaſdam Regni neceſſitates, & ibi migravit e ſeculo. Sepultus eſt autem in *monaſterio Sancti Salvatoris*, quod ipſe conſtruxerat, in loco, qui dicitur *Zewkzard* (2). Hic enim *Bela*, erat calvus, & in colore brunus; propterea, ſuum monaſterium, ad ſuam diſpoſitionem, *Zewkzard* appellavit.

CAPUT XLVII.

De adventu Imperatoris, cum Rege Salomone, Genero ſuo.

Rex autem *Salomon*, audiens mortem Belæ Regis, acceſſit ad ſocerum ſuum, Imperatorem Teutonicorum, rogavitque eum, ut regnum Hungariæ ſibi reſtitueret. Cujus precibus, Imperator libenter acquievit, & cum illo nobili Romanæ arcis exercitu, & illuſtri cœtu Imperialis gloriæ, Salomonem in Hungariam reduxit. Interim *Geyſa*, filius Regis Belæ, ſicut erat prudens & circumſpectus, cum duobus fratribus ſuis adoleſcentibus aſſumtis, ſe contulit in partes Poloniæ; non enim poterat impetum Salomonis & Teutonicorum, tunc ſuſtinere. Rex itaque Salomon, cum Imperatore, ſine difficultate in Hungariam, Rege orbatam; & ſecurus venit in civitatem Regiam, *Albam*, ibique ab omni clero & populo totius Hungariæ, honorificentiſſime ſuſceptus eſt. Concionatus eſt autem Imperator, ad univerſum cœtum Hungarorum, pro genero ſuo, Rege Salomone, pacemque inter eos reformatam, jurisjurandi religione interpoſita, confirmavit. Regem autem Salomonem, in paterno ſolio, glorioſe coronatum, cum aſſenſu & acclamatione totius Hungariæ, ſedere fecit. Ipſe vero Imperator, divite gaza Hungariæ, a Rege Salomone, largiſſime remuneratus, proſpere rediit ad propria. Statim autem, ut Imperator diſceſſit, Geyſa, illinc, quo ſe caute contulerat, in Hungariam acceſſit. Rex autem Salomon, tanquam novus & non expertus, & nondum in regno roboratus, timens, ne ſorte Geyſa, cum exercitu Polonico ſuper eum irrueret, pauliſper retroceſſit cum ſuis, & in caſtro *Moſon* (3), munitiſſimo, tuta ſtatione reſedit. Porro Epiſcopi, & alii viri religioſi, inſtanter ſatagebant, inter eos pacem componere, maxime autem *Deſiderius* Epiſcopus, delinitivis admonitionibus, & dulcibus allo-

(1) MS. *Kyniſua*. Chr. Bud. *Kyruſna*. (2) MS. & Chr. Bud. *Zugzard*. (3) MS. & Chr. Bud. *Mujun*

Digitized by Google

allocutionibus ſuis, mitigavit animum Geyſæ Ducis, ut Salomoni, quamvis juniori, Regnum cum pace redderet; & ipſe ducatum, quem pater ejus prius habuerat, pacifice teneret. Cujus ſalubribus perſuaſionibus, Geyſa, depoſito rancore, paruit. In feſto autem Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani, martyrum, Rex Salomon, & Geyſa Dux, coram Hungaria, in *Gewr* (1) Pacem firmaverunt. Deinde feſtum Dominicæ reſurrectionis, ambo, ſimul cum plena curia, quinque Eccleſiis celebraverunt; ubi Rex Salomon, ipſo die Paſchæ, aſſiſtentibus Regni proceribus, per manus Geyſæ Ducis, honorabiliter eſt coronatus, & in Regiam, Beati Petri Principis Apoſtolorum, Baſilicam, ad audiendam miſſam, glorioſe deductus. Univerſa ergo congregatio Hungarorum, videntes pacem Regis & Ducis, & mutuam inter eos dilectionem; laudaverunt Deum, pacis amatorem, & facta eſt lætitia magna in populo. Nocte autem ſecuta, prognoſticum futuræ diſcordiæ & turbationis provenit. Totam enim eccleſiam illam, & omnia palatia, ceteraque ædificia ei appendentia, flamma corripuit, & univerſa vaſtante incendio, corruerunt. Accepit autem omnes timor, præ nimia concuſſione flammarum ſtridentium, & terribili furore campanarum, ex turribus ruentium; nec ſciebat quiſquam, quo ſe diverteret. Rex & Dux, vehementi ſtupore attoniti, & ſuſpicione mali doli perterriti, quantocius in diverſa ſe tranſtulerunt. Mane autem facto, per fideles nuntios, & in veritate rerum cognoverunt, quod nihil mali, ex utraque parte, pernicioſa fraude fuerat excogitatum; ſed forte inopinatum evenerat incendium: Rex & Dux, cum bona pace iterum conveniunt. Miſit itaque Rex *Zolomerus* Dalmatiæ, qui ſororius Geyſæ erat, nuntios ad Regem Salomonem, & Ducem Geyſam, & rogavit eos, ut propria perſona eorum, contra adverſarios ſuos, ſcilicet *Corinthios* (2), ipſum adjuvarent; qui tunc marchiam Dalmatiæ occupaverant. Rex igitur & Dux, collecto exercitu, iverunt in Dalmatiam; & ablatam, ei reſtituerunt integre. Regi igitur, Ducique, dona regalia, ac pretioſa palatia, aurum & argentum multum, donavit. In reverſione autem eorum, *Atha* Palatinus, rogavit Regem & Ducem, ut in conſtructione monaſterii ſui, quod in honorem ſancti Jacobi ædificaverat, in *Zelyz*, intereſſent. Quod & factum eſt.

(1) Chron. Bud. Coram Hungaris in *Gyur*. (2) MS. *Carantanos*.

Digitized by Google

CAPUT XLVIII.

De eo, quod Rex Salomon, & David frater ejus, liberos non habuerunt.

Rex autem *Salomon*, & *David* frater ejus, liberos nunquam habuerunt, & in ipsis, semen Regis Andreæ defecit: quod ideo divinitus factum esse credimus; quod, quando Andreas, primo in Hungariam reversus est, cum Levente fratre suo, propter hoc, ut ipse Regnum posset obtinere, permisit Vatham profanum, & alios pessimos, Sanctum Gerardum, & multos Christianos interficere. Dux autem *Geysa*, genuit *Colomanum*, & *Almum*, ac filias. Viguit autem tranquilla pax, inter Regem & Ducem, circiter annos tredecim. Interim autem *Bohemi*, superbia inflati, irruperunt versus urbem *Trenchen*, & magnam prædam, hominum & ceterorum animalium, rapientes, abduxerunt. Rex autem & Dux, pro magna injuria hoc reputantes, cum suis exercitibus Bohemiam invaserunt; & Bohemis, ad conflictum venire non audentibus, Hungari, fere totam Bohemiam, igne & gladio vastaverunt. Ibi *Bator Opus*, Martini filius, quendam Bohemum, instar giganteæ magnitudinis corpus habentem, in certamine singulari, viriliter prostravit; propter quod memorabile factum, semper postmodum, apud Regem, & omnes optimates Hungariæ, glorioſus emicuit. Rex itaque & Dux, injuriam suorum, super Bohemos graviter vindicantes, cum maxima præda captivorum Bohemorum, in Hungariam, gaudentes sunt reversi.

CAPUT XLIX.

De irruptione Cunorum in Hungariam, & de bello Regis Salomonis, & Ducum Geysæ ac Ladislai, cum eisdem.

Post hæc autem, pagani *Cuni*, a superiori parte portæ *Meses* (1), ruptis indaginibus, irruperunt in Hungariam; totamque provinciam *Nyr*, usque ad

(1) Chr. Bud. *Mezes.*

Digitized by Google

ad civitatem *Byhor* (1), crudeliter deprædantes, infinitam multitudinem virorum ac mulierum, ceterorumque animalium, ſecum trahentes, per amnem *Lapus*, & fluenta *Zamus* (2), inopinabiliter tranſeuntes, remeabant. Rex igitur *Salomon*, & Dux *Geyſa*, cum fratre ſuo *Ladislao*, collecto exercitu, feſtinantiſſime acceleraverunt, per portam Meſes tranſeuntes, priuſquam Cuni montes tranſcenderent, in urbem *Debuka* (3); pene per totam ſeptimanam, ibi, adventum paganorum expectarunt. Quidam autem de ſpeculatoribus, nomine *Franciska* (4), qui erat de novo caſtro, certificavit Regem & Duces, in quinta feria, quod exercitus Cunorum appropinquaret. Rex autem & Duces, cum exercitu equitaverunt, illuc uſque properantes; & in nocte illa deſcenderunt prope Cunos. Surgentes autem ſummo diluculo, ſexta feria, omnes Euchariſtiæ communione ſe ipſos muniverunt, & ordinatis agminibus ſuis, ad confligendum contra paganos perrexerunt. Quod cum vidiſſet princeps militiæ paganorum, nomine *Oſul* (5), qui fuit ſerviens Gyulæ, Ducis Cunorum, ſicut erat plurimum inflatus ſuperbia, ac nimium de ſe præſumens, inquit ſuis: *vadant juvenes, ſuper inermes Ungaros, & cum eis, ludi ſimile bellum committant.* Nullos enim credebat eſſe, qui cum eis congredi auderent. Procedentes autem pagani, contra Hungaros, viderunt terribilia eorum agmina, & perpropere renuntiaverunt Oſul, principi ſuo. Qui, coadunato conducto exercitu Cunorum, feſtinanter collegit ſe in ſupercilium montis altiſſimi, putans, hoc ſibi fieri pro maximo tutamento. Eſt enim aſcenſus graviſſimus montis illius, qui ab incolis vocatur *Kyrieleis* (6). Congregatus eſt autem univerſus exercitus Hungarorum, ad radicem montis ejuſdem. Milites enim Regis Salomonis, omnes pariter geſtabant vexilla ſua, facta de ſyndone. Pagani autem, in cacumine montis jam collocati fuerant; ex quibus fortiores & audaciores ſagittarii, deſcenderunt in medium devexi montis, ut Hungaros, ab aſcenſu montis, procul arcerent. Ceperunt itaque, tempeſtuoſis imbribus denſiſſimarum ſagittarum, in turmas legionum Regis & Ducis, deſævire. Quidam autem inclyti milites Hungarorum, irruerunt ſuper illos ſagittarios, & quam plures ex eis, in latere ejuſdem montis, occiderunt; & valde pauci, equos ſuos, arcubus ſuis verberando, urgentes, vix ad ſocios aſcendere potuerunt. Rex autem Salomon, acerrimæ animoſitatis audacia fremebundus, per graviſſimum aſcenſum, cum agmine ſuo, qua-

(1) Idem *Byhar*. (2) MS. & Chr Bud. *Zomus*. (3) MS. *Doboka*. Chr. Bud. *Doboka*. (4) MS. *Fantiska*. (5) Chr. Bud. *Oslu*. (6) Chr. Bud. *Kerieleis*.

Digitized by Google

quasi reptando, ad paganos ascendit; qui super eum, densissimos sagittarum imbres, effundebant. Dux autem Geysa, sicut erat semper providus, per leviorem ascensum ascendens, sagittis irruit super Cunos; cujus frater Ladislaus, quatuor ex fortissimis paganorum, primo impetu interfecit, & a quinto eorum, sagitta graviter est vulneratus, eodem mox ibidem interfecto. Postmodum, divina miseratione, a vulnere illo cito est sanatus. Pagani ergo, atrocissima mortis illatione, ab Hungaris coarctati, miserabiliter fugiebant; quos Hungari celerius persequentes, acutissimos gladios suos, sitibundos, in sanguinibus Cunorum inebriaverunt. Capita quippe Cunorum, noviter rasa tanquam cucurbitas, ad maturitatem nondum bene perductas, gladiorum ictibus discinderunt. Vidit denique *Beatissimus Ladislaus Dux*, unum paganorum, qui super dorsum equi sui, ducebat unam puellam Hungaram, speciosam: Sanctus ergo Dux Ladislaus, putans, illam esse filiam Episcopi Waradiensis, & quamvis esset graviter vulneratus, tamen illum celerrime persecutus est, super equo illo, quem *Zug* nominabat. Cum autem attingere, ut eum lancearet, minime poterat; quia nec equus ejus celerius currebat, nec equus illius aliquantulum remanebat; sed quasi brachium hominis, erat inter lanceam, & dorsum ejus: clamavit itaque Sanctus Dux Ladislaus, ad puellam, & dixit: *soror speciosa, accipe Cunum in cingulo, & jacta te in terram;* quod & fecit. Cumque Beatus Ladislaus Dux, procul illum lanceasset, in terra jacentem, voluit eum interficere; quem puella valde rogavit, ne eum interficeret, sed ut dimitteret. Unde in hoc notatur, quod fides in mulieribus non sit, quia forte amore stupri illum liberare voluit. Sanctus autem Dux, cum eo diu luctando, & absciso nervo, illum interfecit; sed illa filia Episcopi non fuit. Rex igitur & glorioſi Duces, fere omnibus paganis interfectis, & omnibus Christianis, a captivitate liberatis; una cum felice embola totius Hungariæ, cum triumpho victoriæ, gaudentes redierunt. Facta est igitur lætitia magna, in tota Hungaria, & hymnis & confessionibus benedicebant Deum, qui dedit eis victoriam.

CA-

Digitized by Google

CAPUT L.

De irruptione Biſſenorum in Hungariam, & de obſidione Albæ Bulgaricæ, per Regem & Duces, & de captione ejuſdem.

Factum eſt autem, tertio anno poſt adventum Cunorum, ut *Biſſeni*, per *Albam Bulgaricam* venientes, tranſnataverint flumen *Zava*, in campum *Bazias* (1); & non modicam gentem captivorum & prædarum diripientes, in ſuam terram abduxerint. Rex autem & Dux, impoſuerunt crimen traditionis *Albæ Bulgaricæ;* eo, quod pace defraudata, voluntarie permiſiſſet latrunculos Beſſorum, deprædare Hungariam. Collectis itaque exercitibus, convenerunt in *Zalankemen* (2); ubi Conſilio deliberantes, decreverunt, Albam traditricem obſideri oportere, & expugnari. Inde caſtra moventes, deſcenderunt circa flumen *Zavam*, in directo *Nandorfeyrwár* (3). Exiit autem edictum, a Rege & Duce, ut univerſus exercitus Hungarorum, quanto ocyus tranſiret fluvium Zavam, in Bulgariam. Græci autem & Bulgari, navigantes in celocibus ſuis, per ingenia ſufflabant ignes ſulphureos, in naves Hungarorum, & eas in ipſis aquis incendebant. Victi ſunt autem ignivomi Græci, ab Hungaris, præ multitudine navium, quibus flumen operuerant. Fugientibus autem Græcis ac Bulgaris; tranſierunt Hungari, & terminos Bulgarorum occupaverunt. Rex autem & Dux, ſecunda feria tranſierunt Zavam, & mane facto, ordinaverunt acies ſuas, & plenis manipulis ſuis, univerſaliter per turmas ſuas, inſertis umbonibus, obſederunt civitatem. Græci igitur & Bulgari, timentes, ex obſidione periculum ſibi imminere, rogaverunt Biſſenos, per clandeſtinos nuntios, ut ſine pavore, venirent in adjutorium ipſorum: eo, quod nec Rex, nec Dux, civitatem eorum obſediſſet; ſed tantum comes *Vid* (4), cum *Bachienſibus* militibus, eos invaſiſſet. Beſſi ergo, fraudulentis verbis eorum ſeducti, feſtinanter venerunt in adjutorium ipſorum, & cupiditate prædæ allecti, cujus, de comite Vid devicto, ſperabant ſe eſſe participes: irruerunt ſuper agmina *Sopronienſium*, quorum rector erat comes *Jan* nomine. Hic autem, inſultus Beſſorum, viriliter & fortiter, cum Sopronienſibus ſuperavit; plurimis eorum, in ore gladii proſtratis,

(1) MS. *Buzias* Chr. Bud. *Boztias.* (2) Chr. Bud. *Zalonkemen.* (3) Chr. Bud. *Nandurfeyruar.* (4) MS. *Vyd.*

Digitized by Google

tis, reſiduis autem eorum, in captivitatem abactis; princeps Biſſenorum, nomine *Kazar*, cum pauciſſimis, fugiendo, manus Hungarorum vix evaſit. Rex igitur & Dux, eidem militi Jan, munera regalia, condignaſque grates, liberalitate regia contulerunt; eo, quod ipſe, multa millia Biſſenorum, tanquam lapis limpidiſſimus, vaſa fictilia, contriviſſet, priuſquam Rex & Dux, cum exercitu ſuo, de jentaculis capita levaſſent. Regi autem, & Ducibus Geyſa & Ladislao, ſuper rupem, quæ eidem civitati proxima eſt, reſidentibus; ceperunt Hungari præſentare captos Biſſenos, & capita interfectorum, ac equos, & ſupellectilia; quæ in quarta feria, a mane, uſque ad inclinationem meridiei, plene perficere non potuerunt.

Hoc autem ideo factum eſt, ut Græci & Bulgari, qui obſidebantur, videntes Biſſenos, in quibus ſperabant, tam crudeliter ab Hungaris obtruncatos; timerent, & ſemet ipſos, cum civitate, Regi & Ducibus contraderent. Porro, Rex & Duces, ad expugnandum civitatem, convenientiora loca proſpicientes, præceperunt carpentariis, ut ibi turres ligneas octo, altitudinem murorum duplo ſuperantes, fabricarent, unde milites, in medium civitatis, lapides & ſagittas, ſuper homines jacularentur. Inter turres vero, totidem tormenta, ad deſtruendum muros, erexerunt; longos etiam pluteos, ad defendendos introitus turrium, ceteraque inſtrumenta bellica, compoſuerunt. In quibuſdam itaque locis, deſtruxerunt muros ejus, uſque ad fundamentum; ſed civitatem ipſam, capere non poterant: quia eam intrinſecus, fortiſſimi bellatores defendebant. Obſederunt itaque civitatem, duobus menſibus, intra quos, ſæpius congreſſi ſunt cum Saracenis, de civitate egredientibus; & ex eis, alios occiderunt, alios autem fugaverunt. Poſt hæc, tres Saraceni fortiſſimi & audaciſſimi, de urbe proſiliunt, jaculis, lanceis, & ſagittis, duram plagam Hungaris propinantes.

Salomon autem, baliſtarius Regis, unum illorum, ictu baliſtæ fulminavit; cujus cadaver, Hungari nitebantur rapere, ſocii vero ejus, de prædictis, acriter dimicantes, defenderunt. Rex autem & Dux, videntes eorum conflictum, circumſtantibus ajunt militibus: *utinam ſanguis & cor Machabæorum, efferveſceret in militibus, qui defenſarent Hungaros ab Saracenis, præmunitione arcis, audaciter pugnantibus, ut Hungari, cadaver Saraceni raperent.* Hoc audito, *Opus* (1), *Georgius*, & *Bors*, milites bellicoſi, concitato impetu, in modum fulguris, irruerunt ſuper illos. Quos quidem Opus, nimium audacter perſequens, uſque ad

(1) MS. *Obus.*

Digitized by Google

ad urbis portas fugavit; pugnatores jactabant lapides & sagittas, de propugnaculis civitatis. Opus tamen, sine læsione rediit. Interea autem, Georgius & Bors, exhortati sunt Hungaros, qui corpus Saraceni rapuerunt, & in turpitudinem projecerunt.

In tertio vero mense obsidionis, quædam puella Hungarica, olim illuc per captivitatem abducta, in quarta feria, civitatem succendit. Flabat autem subsolanus vehementissime, cunctaque ædificia occupaverunt incendia. Exercitus itaque Hungarorum, irruit in civitatem, ea parte, qua muri ejus, per tormenta jam corruerant; & Græcos, Saracenos, atque Bulgaros, crudeliter trucidarunt: qui autem residui fuerant, cum Nicota Duce eorum, fugerunt in arcem. Hungari ergo, capta civitate, sequenti die, postquam ignis resederat, videntes scrobes Græcorum, descendentes, tulerunt exinde aurum multum & argentum, lapides pretiosos, gemmasque prælucidas, & thesaurum fere inæstimabilem, in cujus partitione, orta est discordia inter Regem & Ducem; nullusque fuit ex Hungaris, qui ibi locupletatus non fuisset. Porro, in arce reclusi, rogaverunt Regem & Duces, ut eis vitam & libertatem donarent; arcem & universa, sibi vendicarent. Manibus itaque Regis & Ducem, in fidei pignus extensis, quod eos amplius non læderent, omnes, qui in arce erant, descenderunt. At Dux Nicota, portans argenteam iconem Sanctissimæ Genitricis Dei, semper Virginis Mariæ, cum magna multitudine populi veniens, in potestatem Ducis Geysæ se contulit. Sciebat enim, Geysam Ducem devotum Deo, & captivos seu afflictos, misericordiæ visceribus refoventem. Ad manus autem Regis Salomonis, pauci venerunt; quia noverant, ipsum esse austerum, & pessimis consiliis, Vid comitis, in omnibus auscultantem; qui Vid, Deo & hominibus detestabilis erat. Dumque vidisset Rex, plures ad Ducem ex illis confugisse, paucos autem ad se, plurimum indignatus est. Cum autem reversi essent, cum thesauro inæstimabili, venerunt in villam *Buzias*, in prædium Vid; volebantque dividere thesaurum & captivos, & illos etiam, qui ad fidem illorum venerant, de castro: Duce autem, Regi in hoc contradicente, dividere non potuerunt.

Hæc ergo causa fuit malorum, & seminarium discordiæ inter eos. Præterea, cum thesaurum dividerent, Rex, cum consilio *Vid*, & *Franck* Episcopi, & *Radoan*, filii *Burgar* (1), & *Iliæ* generi Vid, in quatuor partes divisit, de-

(1) MS. *Bugar*.

Digitized by Google

ditque quartam partem Duci, ut de reliquis tribus, ſibi unam haberet cum militibus, ſecundam autem Vid, tertiam autem Iliæ; unde Dux valde moleſtatus eſt.

CAPUT LI.

De diſcordia Regis Salomonis & Ducum, Geyſæ & Ladislai.

Interea Imperator Græcorum, audita libertate Ducis Geyſæ, miſit ad eum nuntios, ad firmandam pacem & amicitiam. Dux autem remiſit ei omnes captivos, & omnes, qui ab arce deſcenderant: ad Regem autem Salomonem, nequaquam miſit Rex Græcorum; unde & Rex Salomon, ſuper Geyſam Ducem, invidiæ facibus, magis ac magis exarſit. Comes etiam Vid, pervicaciter inſtigabat Regem, ut Ducem Geyſam expelleret; & ducatum ejus ſibi vendicaret: & hoc facile fieri dicebat; eo quod Rex, multo plures milites, quam Dux haberet; nec differendum, ſed magis accelerandum eſſe, ſuggerebat; ſeducebatque Regem, hoc proverbio: *ſicut duo gladii acuti, in eadem vagina, contineri non poſſent: ſic nec vos, in eodem regno, conregnare poteſtis.* Rex ergo, venenoſis verbis comitis Vid, infectus, odium & rancorem concepit. Exinde itaque quærebat opportunitatem, aut capiendi Ducem Geyſam per inſidias, aut debellandi. Diſſimulabat tamen Rex, & ſimulata amicitia, dimiſit Ducem abire in ducatum.

CAPUT LII.

De doloſitate Regis, bellisque duobus, Ducum contra Regem, & de victoriis eorundem.

Poſt hæc itaque, miſit Rex ad utrumque Ducem, ut ambo ſimul ad Regem venirent, & cum exercitu, ſuper *Nyr*, caſtrum Græcorum, proficiſcerentur. Rex enim, doloſe intendebat eos perdere; ut, ſi ambos improviſos capere poſſet, de cetero ſecurus fuiſſet. Duces autem, inſidias Regis percipientes, ſibi caute conſuluerunt. *Ladislaus*, cum medietate exercitus, in partibus Nyr remanſit. *Geyſa* vero, cum Rege profectus eſt, nec

auſi

Digitized by Google

auſi ſunt, quidquam moleſtiæ ei inferre; quia Ladislaum, in manu valida, fratris ultorem fore, non dubitabant. Interea viri de Nyr, multum in auro & argento, & pretioſis palliis, Regi & Duci Nyr, abundanter obtulerunt; deinde revertentes ab urbe *Kene* (1), Rex & Dux ab invicem ſunt diviſi. Ladislaus autem, conſilio fratris ſui, de civitate *Byhor*, ivit in *Ruſciam*, quærere auxilium amicorum ſuorum; ut contra machinamenta Regis, ſeſe præmuniret. Jam enim omnibus innotuerat, injuria & diſcordia Regis & Ducum. Poſt hæc, collectis exercitibus, nuntiis frequenter miſſis, tandem Rex & Dux venerunt *Strigonium*, ibique ex condicto, utrique eorum, tantum cum octo hominibus, inter Epiſcopos & Principes, navigaverunt in inſulam, civitati proximam, ad colloquendum: ubi, dum diu ſemetipſos incuſant, & excuſant, tandem, roborato fœdere pacis, Geyſa rediit in ducatum. Rex autem venit in Albam. Poſt hæc, miſit Rex ad Geyſam Ducem, *Vid*, Deo deteſtabilem, & *Erney* manſuetum; quos Geyſa fecit caute cuſtodiri, præ timore traditionis Vid. Miſit etiam Dux ad Regem, *Epiſcopum Waradienſem*, & nequam *Vatha*, quos & Rex fecit ſimiliter cuſtodiri. Rex autem, de villa *Megyer* (2), ivit verſus flumen *Rapcha* (3), in occurſum trium Ducum Teutonicorum, quos in auxilium ſibi, contra Ducem Geyſam, expectabat. Quia vero Dux, nec fratrem ſuum præſentem habebat, nec amicorum auxilium, miſit Vid & Erney, ad Regem, data treuga, a feſto Sancti Martini, uſque ad feſtum Sancti Georgii; quo audito, Rex, remiſit Vatham & Epiſcopum Waradienſem. Porro, eo tempore, Rex natalem celebravit in loco, qui dicitur *geminum caſtellum*; deinde venit *Zalam*, ubi *Marcharth* Dux Teutonicorum, & *Vid*, inſtigaverunt Regem, ut Ducem debellaret. Suggerebat enim Vid Regi, hoc & hujuſcemodi: *ecce, nunc facile potes & indubitanter ducem devincere, quia deſtitutus eſt omni auxilio; & ſi diſtuleris eum aggredi, uſque ad datas inducias, erit ſpes evadendi.* Cumque Rex Salomon veniſſet ad *Zegzard*, & caſtra metatus eſſet, ſuper locum *Keſtelci*, venit audire veſperas, in monaſterio Sancti Salvatoris; poſt veſperas vero, in monaſterio, Vid & alii conſuluerunt Regi, dicentes: *Domine, noveris, quod Ladislaus in Ruſciam ivit, & Lampertus in Poloniam, conducere exercitum fratri eorum, Duci Geyſæ; ſæpe conſuluimus tibi, & nunc veniamus ſuper Ducem, qui venatur Ingwam* (4), *noctis in ſilentio impetum faciamus ſuper eum, capiamus eum, & oculos ejus eruamus; ut,*

(1) MS. & Chr. Bud. *Keua.* (2) MS. *Meger.* (3) MS. *Rabcha.* (4) MS. *Igfan.* Chr. Bud. *Ygfan.*

Digitized by Google

cum Ladislaus & Lampertus venerint, vel exercitum ſecum duxerint, contra nos ſtare non poſſint. Et cum hæc audierint, etiam Regnum intrare non audebunt; & poteſtis facere, quia omnes Conſiliarii ſui tibi fideles ſunt, & ducatum mihi dabis, & ita confirmabis coronam tuam. Rex autem, hoc audito, promiſit ſe cogitaturum, uſque ad matutinas; & placuit conſilium ante oculos ejus. Abbas autem ejuſdem loci, nomine *Villerimus* (1) *Latinus*, qui erat in abſcondito loco clauſus, quaſi Deum precans, in monaſterio, audivit conſilium, quod factum eſt. Qui ſtatim nuntium miſit ad Ducem, & literas, ut ſibi de Rege caveret. Cum autem nuntius ad Ducem veniſſet, erant ibi iniqui conſiliarii, & ipſius Ducis traditores, *Petrud* ſcilicet, *Zounuk*, & *Bykas*, qui dixerunt: *Domine Dux, ne timeas, quoniam Abbas ebrioſus eſt, & in ebrietate ſua ad vos nuntium miſit, & neſcit, quid loquatur.* Hoc autem dicebant, quia volebant tradere Ducem in manus Salomonis. Dux autem in illis confidens, ibidem, ſcilicet in *Ingwam*, venabatur; ſed fratrem ſuum *Ladislaum*, miſit in *Bohemiam*; quia jam tunc reverſus erat de Ruſcia, ſine ſubſidio; ut rogaret *Othonem*, *Ducem Bohemorum*, ut ipſis in neceſſitate poſitis, auxiliaretur. In eodem mane, quando Rex ſe cogitaturum ſtatuerat, cum veniſſent ad matutinas, Abbas idem, abſcondit ſe in monaſterio, ut audiret conſilium; eo, quod fidelis erat Duci, quia filius fundatoris Eccleſiæ fuerat. Cantatis igitur matutinis, cum omnes exiviſſent, Rex & Vid ibidem remanſerunt, & tale conſilium ſtatuerunt, ſicut Vid, Regi, facere laudaverat. Hoc autem prædictus Abbas audierat, monachalemque ſtatim deponens habitum, & laicalem induens, gladiumque accingens, aſcendit equum, & venit citiſſime ad Ducem, quem mane dormientem invenit, & excitavit dicens: *fuge Dux, & ſi non fugeris, ſtatim milites Salomonis, ad capiendum te, appropinquant.* Dux vero, collecto exercitu ſuo, voluit citiſſime ire in partes Bohemiæ, pro fratre ſuo Ladislao; ſed Rex obviam ei veniebat. *Regebat autem Vid ſic Regem, ſicut magiſter diſcipulum, eratque ſibi, de jure, ſine omni jure, ſubditus: quod cavendum eſt omnibus hominibus; ſed maxime Regibus.* Lactatuſque peſſimo, Vid perfidi, conſilio, movit exercitum ſuper Ducem. Dux vero cum exercitu ſuo, obviavit Regi in *Kemey*. Principes autem Ducis, imo traditores, miſerunt clanculo nuntios ad Regem, dicentes: *quod, ſi Rex eos in dignitatibus teneret, & in gratiam ſuſciperet, ipſi in bello, relicto Duce, ad Regem confluerent.*

Rex

(1) MS. *Willermus*.

Digitized by Google

Rex autem certificavit eos ſuper hoc, præſtito juramento, & ſecurus, tunc tranſivit Thyſciam glaciatam, ſuper Ducem. Cumque appropinquaſſent ad prœlium, Rex apud *Eccleſiam* filii *Nog*, armavit ſe, & coadunavit agmina ſua ad dimicandum, & impetum fecit ſuper Ducem; ac Ducem, auxilio ſuorum fraudulenter deſtitutum, ſuperavit. Principes autem Geyſæ, *Petrud* & *Bykas*, in ipſo prælio, cum tribus agminibus caſtrorum, verterunt ſe ad Salomonem, ſicut ei promiſerant. Dux vero Geyſa, quamvis maxima parte exercitus ſui eſſet deſtitutus, non tamen abhorruit, uno tantum agmine ſtipatus, contra triginta Salomonis agmina, ſæviſſimum prælium committere. Traditores autem, fugientes, levabant clypeos ſuos in ſignum, quod Regi dederant; quemadmodum Judas traditor, qui dederat ſignum, ne milites Regis eos perſequerentur. Exercitus autem Regis, ignarus proditionis ſigni, & videns agmina Ducis fugere, perſecutus eſt ea, uſque ad interemtionem; ita, ut vix pauciſſimi ex illis traditoribus mortem evaſerint. Et utinam ex eis nullus evaſiſſet, qui dominum ſuum benefactorem, ſceleratiſſime tradiderant. Omnibus autem militibus ſuis pereuntibus, declinavit Dux a bello, tranſivitque Thyſciam in *Chotoyd*, & *Georginm Nigrum*, capellanum ſuum, ad fratrem ſuum *Ladislaum* tranſmiſit, ut, quam citius poſſet, ad eum feſtinaret. *Ivancam* vero, clericum ſuum, literatum, miſit ad *Lampertum*. Cumque Geyſa equitaſſet uſque *Vaciam*, obviavit fratri ſuo *Ladislao*, & *Othoni* Duci, ſororio eorum, cum auxilio valido venientibus. Cumque Dux Geyſa vidiſſet fratrem ſuum Ladislaum, præ nimio dolore flebat; quia bonos & fideles ſuos amiſiſſet, & de traditoribus conquerebatur. Ladislaus autem, animo fortis, fratrem ſuum confortabat, ne fleret; ſed potius omnipotentis Dei clementiam exoraret, ut victorem victis ſubjungeret, quemadmodum forma bellorum eſt. Rex autem, & Dux, ante quadrageſimam pugnaverant in *Kemey*, quarta feria, poſt dominicam, qua cantatur, *exurge*. In hoc autem bello, *Opus*, filius Martini, de genere *Vecellini*, miles glorioſus, militem Ducis, nomine *Petrum*, audaciſſimum, ſuper equum ſubmirteum, ceteroſque præcedentem, radiante lorica, & deaurata galea perſpicuum, atque ad conflictum milites provocantem, ſingulari certamine ſuperavit. Nam de agmine Salomonis, ad prædictum militem, ſolus Opus, ſuper gilvo equo, in lorica cucullata, evulſus; in modum fulminis, ictu lanceæ, rupta lorica, Petrum per medium cor transfixit. In eodem autem bello, tantam ſtragem, crebris ictibus gladii ſui, fecit Opus; quod præ nimia reciprocatione ictuum, dextera ejus obriguerat, & capulo gladii ſui adhæſerat. Rex autem Salomon, & maxime

Teu-

Digitized by Google

Teutonici, mirabantur de potentia, & audacia Opus in prælio. Rex igitur, victoriam potitus, tranſivit *Thyſciam* congelatam, in *Thoroyd* (1), & deſcendit in curiam filii Petri, ibique audivit, Geyſam obviaſſe Ladislao, & Othoni Ducibus, cum valida multitudine pugnatorum, ad ſe venientem. *Vid* vero deteſtabilis urgebat Regem, his verbis: *noviter exercitum ejus confecimus, nobiliores occidimus, timorem ei immiſimus; & nunc ſervos congregavit, meſſores coadunavit, & eorum agmine ſe ſtipavit. Nihil ergo debemus dubitare, quin eos in momento devorabimus. Bohemicum vero agmen, omnibus conſodalibus in eis acquieſcentibus, ego cum Bachienſibus, præmaturæ mortis periculis, afficiam.* Erney autem ſemper pacis amator, cum hoc audivit, flebat; quem, cum Salomon vidiſſet flere, dixit: *Comes Erney, videtur mihi, quod tu fidelis ſis Duci, tantummodo apud me ſimulatus manes.* Cui Erney reſpondit: *nequaquam Domine; ſed nollem, quod cum fratribus tuis pugnares, & ut milites interficerent ſe invicem, filius patrem, vel pater filium.* Deinde Vid comiti, dixit Erney: *tu laudas Domino, pugnare cum fratribus, & dicis, quia falcatores & furcantes coadunaſſet; vide, quia mille falcantes, quod incidunt, decem millia furcatorum congregare non potuerunt, & abſque Deo numerare non valebunt: nobis aptum eſt pro Rege mori; ſed eſſet melius, ut potiori uteremur conſilio.* Rex ergo, in verbis Vid confidens, feſtinavit cum exercitu ſuo, & in quarta feria deſcendit in *Rakus* (2); ſed & Duces, *Geyſa*, *Ladislaus*, & *Otho*, ac totus exercitus Hungarorum, qui erat cum eis, deſcenderunt circa *Vaciam*. Fuit autem ibi magna ſilva, & nemo in ea manſerat, præter unum Eremitam, nomine *Vacz* (3), ſanctæ vitæ; & cujus nomine Dux Geyſa, illi civitati, poſtea ibi conſtructæ, nomen impoſuit. Cum igitur exercitus prædictus, Salomonem contra ſe expectaret, Duces, quodam mane, in equis, cauſa conſiliandi, ſtabant, in loco ubi modo eſt capella lapidea Beati Petri Apoſtoli, tractantes, qualiter eſſent pugnaturi: &, dum ibi ſtarent, clara die, vidit Beatus Ladislaus viſionem de cœlo, & ait ad Geyſam Ducem, fratrem ſuum: *vidiſti aliquid?* qui reſpondit: *nihil.* Tunc Beatus Ladislaus ſubjunxit: *dum ſtaremus hic in conſilio, ecce angelus Domini deſcendit de cœlo, portans coronam auream in manu ſua, & impreſſit capiti tuo: unde certus ſum, quod nobis victoria donabitur, & Salomon exul, fugiet debellatus, extra Regnum; Regnum vero, & corona tibi tradetur a Domino.* Cui Geyſa ait: *ſi Dominus Deus fuerit nobiſcum, & cuſtodierit nos ab inimicis noſtris, & viſio hæc fuerit adimpleta, ædificabo hic in loco iſto, Eccleſiam ſacratiſſimæ Virgini Mariæ, Genitrici ejus.*

Hoc

(1) Chr. Bud. *Chotoid* (2) Idem *Rakos.* (3) MS. *Wach.* Chr. Bud. *Vach.*

Digitized by Google

Hoc dicto, caſtra moverunt, & deſcenderunt in allodium, quod dicitur *Zingota* (1). Mons autem quidam nomine *Moniorod* (2), interjacebat exercitum; & luceſcente quinta feria, volebant præliari; ſed denſiſſima obſcuritas ſupervenientis nebulæ, eos impedivit. Nocte vero inſequenti, dextrarios ſuos, per habenas in manibus tenentes, ortum ſolis præſtolabantur. In diluculo autem ſextæ feriæ, Rex, ordinatis agminibus ſuis, equitavit trans verticem montis Moniorod, & præcepit *ſalinariis* (3), ut in latere ejuſdem montis remanerent; quatenus hoſtes, videntes turmas illorum, non ſarcinas, ſed in præſidio conſtitutos eſſe putarent. Vid autem dicebat: *ſtatim, ut exercitum noſtrum viderint, fugient*; ſed & Duces, ſummo mane ſuas acies ordinaverunt. Cumque *Ladislaus* ſe armaret, in terram ſe proſtravit, & omnipotentis Dei clementiam poſtulavit, & *beato Martino* votum vovit; ut, ſi Dominus ei victoriam concederet, in eodem loco, Eccleſiam, in honorem beati Martini, conſtrueret. Quod & factum eſt. In medio ſiquidem Bihorienſi agmine, *Ladislao* locato ex ſiniſtra parte, *Ottonem* ex dextera conſtituerunt; *Geyſam* vero, in Nitrienſi agmine, in medio collocaverunt: præterea, ex utraque parte, ter tria agmina, quaternatim connectendo, conſervaverunt. Cumque Rex de monte deſcenderet, exercitus Geyſæ, qui in inferiori loco erat, videbatur elegantior cunctis exercitibus Salomonis. Quo viſo, dixit Erney ad comitem Vid: *mirum eſt, ſi agmina iſta fugiant, a facie noſtra; quia Danubium, poſt dorſum eorum non dimiſiſſent: ſed puto, quod ipſi propoſuerunt vincere, ſive mori.* Dux autem Ladislaus, ante exercitum ſuum, ſuper arduum equum reſidens, gratia exhortandi ſuos, & animandi, in gyrum flexit habenas. Cumque tetigiſſet veprem lancea, quædam hermellina albiſſima, mirum in modum lanceæ ejus inſedit, & ſuper ipſam diſcurrendo, in ſignum ejus uſque devenit. Cum autem commiſſum eſſet prælium, comes Vid & Bachienſes, in primo ictu, a Bohemis miſerabiliter ſunt proſtrati. Ladislaus autem Dux, commutaverat ſigna ſua, cum vexillo Ducis Geyſæ; ea intentione, quod Salomon audacius invaderet illud agmen, in quo ſigna Geyſæ geſtabantur, putans eſſe agmen Geyſæ, quem nuper devicerat. Dux autem Ladislaus, affectabat cuſtodire fratrem ſuum, Geyſam Ducem, ab inſultu Salomonis; & ideo, primos impetus belli, in ſe maluit experiri. Rex itaque, cum veniſſet ad agmen Ladislai, ipſo cognito, timo-

(1) MS. *Zyngotha.* (2) MS. *Monorod* Chr. Bud. *Monyorod.* (3) MS. & Chr. Bud. item edit. Brun habent: *ſalmariis.*

Digitized by Google

more ejus perterritus, præcepit ſigniferis, declinare agmina ſuper agmina Ducis Geyſæ. Ladislaus autem videns, Regem præ timore divertiſſe a ſe, ipſe primus omnium, irruit ſuper agmina Regis, cunctique milites ſui, impetum fecerunt ſuper eum, a tergo. Sed ex adverſo, Geyſa Dux, cum ſuis, acriter invaſit eoſdem. Milites autem Ladislai, agmina Salomonis, tanquam in cortinis retro reſpicientia, terribili tinnitu gladiorum ſauciata, in morte concluſerunt crudeli. Sed ex tranſverſo, milites Geyſæ, pocula diræ mortis eiſdem propinarunt. Cæduntur Teutonici, fugiunt Latini, locumque fugæ non inveniunt, & cadunt ante Hungaros, ut boves in macello. *Rex* autem *Salomon*, fere omnibus ſuis interfectis, auſugit, & in *Zigetſen* (1) Danubium tranſiens, cum *Opus* Martini filio; venit tandem in *Moſon*, ad matrem & uxorem: perſecutuſque eſt eum & ſuos, exercitus Ducum, a mane uſque ad veſperam. In præfato namque prælio, non ſolum Teutonici aut Latini ceciderunt; ſed & major pars, militiæ regni Hungariæ, dicitur corruiſſe. Duces autem, *Geyſa* & *Ladislaus* triumpho victoriæ divinitus ſublimati, ſuper cadavera interfectorum, Deo ter laudes proclamaverunt. Dux autem Ladislaus, ſicut erat ſemper eximiæ pietatis, videns tot millia interfectorum, quamvis inimici ejus fuiſſent, qui occiſi erant; tamen commota ſunt omnia viſcera ejus, ſuper illos, & flevit eos amare, ſcindens ſibi genas & capillos, planctu magno, tanquam mater in funere filiorum. Poſtea de ſpoliis eorum, conſtructa eſt *Eccleſia de Moniorod*. *Marcharth* vero, Dux Teutonicorum, & *Semtepolug*, Dux Bohemorum, capti ſunt, militibus ipſorum interfectis, & ipſis graviter vulneratis. Cumque Ladislaus perambularet, gemens in cadaveribus mortuorum, videns cadaver *Erney* comitis, ſtatim de equo proſiliit, & ipſum amplexatus eſt, cui flens dicebat: *Erney comes, pacis amator! doleo ſuper te, quaſi ſuper fratre meo; quia cor tuum, & conſilium tuum, pace plenum erat.* Quem manu propria levans, oſculatus eſt, præcepitque militibus ſuis, ut eum *Baciæ* honorifice ſepelirent. Cumque idem Ladislaus, ex alia parte ambularet, vidit cadaver *Vid*, & ait: *doleo ſuper morte tua, quamvis nobis ſemper inimicus fuiſſes; utinam vixiſſes, & converſus fuiſſes, & pacem inter nos firmaſſes. Sed miror, quia de genere Ducum non fuiſti, cur Ducatum volebas? nec de propagine Regum, quare coronam optabas? video nunc, quia cor, quod ad Ducatum anhelabat, lancea perforatum jacet: & caput, quod coronam optabat, gladio ſciſſum eſt.* Sed & ipſum ſepelire præcepit.

Mili-

(1) MS *Zygetſeu.* Chro. Bud. *Zigethſeu.*

Digitized by Google

Milites ergo Geyſæ & Ladislai, qui in bello, de conſilio Vid exorto, de morte fratrum vel filiorum, amaritudine repleti fuerant; ſtatim de equis deſcenderunt, & pectus cum cultello ſcindentes ad oculos ſuos diverterunt, & terram in oculos ejus projicientes, dixerunt: *nunquam oculi tui rebus & nobilitate ſatiati ſunt, nunc autem oculos tuos, & pectus, terra ſatiet. Dux autem Bohemorum Otho*, qui animam ſuam pro eis poſuerat, copioſe remuneratus, repatriavit. Cumque Salomon veniſſet ad Moſon, videns mater ejus, flevit ſuper eum, ſicut debet ſuper unicum filium ſuum, qui tantis bonis a Deo privatus fuerat, & increpabat dicens: *fili chariſſime! nunquam conſilium meum audiſti, nec conſilium Erney, nec conſilium aliorum fidelium tuorum: ſed ſemper acquieſcebas conſilio Vid; & ecce deſtruxiſti te & tuos; nonne ſemper laudavi, & dixi, quod ſufficit tibi corona Hungariæ, & ut dares ducatum in pace, fratribus tuis? nunc autem Vid, Dux eſſe non potuit, nec tu amplius coronaberis.* Quo audito, Rex iratus, voluit matrem ſuam in faciem percutere, cujus manum, uxor ejus retinuit. Jam enim cognoverat Rex Salomon, quod non auxiliaretur ei Dominus in bello; & in eadem nocte, collegit ſe feſtinanter, in *Moſon* & *Poſon*, quæ caſtra, jam pridem muniverat: matrem quoque & uxorem ſuam, quando in prælium ivit, illic reliquerat (1).

CAPUT LIII.

Quomodo devicto fugatoque Salomone Rege, Rex Geyſa Primus, extitit coronatus.

Porro, Duces *Geyſa* & *Ladislaus*, cum exercitu *Albam* venerunt. Deinde *caſtrum Portæ*, *Bobuch*, & *Albam*, & alia caſtra, fortiſſimorum militum præſidio munientes, dimiſſoque exercitu, habitabant in Hungaria. Tunc Geyſa Dux magnus, compellentibus Hungaris, coronam regni ſuſcepit. Poſt coronationem autem, veniens in locum, ubi viſio facta fuerat, cepit cum fratre ſuo Ladislao, proponere de loco fundamenti, Eccleſiæ, ad honorem Virginis Matris, fabricandæ. Et dum ibi ſtarent, juxta Vaciam, ubi nunc eſt Eccleſia Beati Petri Apoſtoli, apparuit eis cervus, habens cornua plena ardentibus candelis, cepitque fugere coram eis, verſus ſilvam, & in loco, ubi nunc

(1) MS. & Chr. Bud. continuat: *ob quam cauſam, victus in prælio, ob timorem Ducum, ibi ſe recepit.*

Digitized by Google

eſt monaſterium, fixit pedes ſuos. Quem, cum milites ſagittarent, projecit ſe in Danubium, & eum ultra non viderunt. Quo viſo, Beatus Ladislaus ait: *vere non cervus, ſed Angelus Dei erat;* & dixit Geyſa Rex: *dic mihi dilecte frater, quid fieri volunt omnes candelæ ardentes, viſæ in cornibus cervi?* reſpondit Beatus Ladislaus: *non ſunt cornua, ſed alæ, non ſunt candelæ ardentes, ſed pennæ fulgentes: pedes vero fixit, quia ibi locum demonſtravit, ut Eccleſiam Beatæ Virgini, non alias, niſi hic, ædificari faceremus.* Ut autem locus primæ viſionis, non ſit ſine ædificio, a Geyſa Rege, & ejus fratribus, decretum eſt, ut ibi capella, in honorem Beati Petri principis Apoſtolorum, fundaretur. *Rex* igitur *Geyſa*, fundavit *Eccleſiam Vacienſem*, & dotavit eam prædiis multis, & poſſeſſionibus: non autem ſolum Eccleſiam illam, verum etiam *Budenſem*; cui conſtituit tributum *de Peſth*, & tres villas *in Simigio*, ac ornamenta pretioſa. Eo tempore, *Biſſeni*, unanimiter rogaverunt Regem Geyſam, ut, ſi eos libertate donaret, ipſi inſultus Regis Salomonis, omnino coercerent, ita, quod nec auderet exire *Moſon* & *Poſon*, ad tentandam Hungariam. Rex autem Geyſa, ſe petitioni eorum condeſcenſurum promiſit, ſi ipſi hoc, quod promiſerant, adimplerent. *Biſſeni* itaque, cum Principe eorum, *Zultan* (1) nomine, equitaverunt ſuper Regem Salomonem. Rex autem Salomon, *marchionem Teutonicorum*, promiſſa pecunia, in auxilium aſcivit. Cumque obviam ageret Biſſenis marchio, videns horribiles aſpectu & terribiles, timuit, præſertim, quia ſubiit in mentem ipſi, quam miſerabiliter perierat per Hungaros, Villermus, & Poth, & Marchart, Duces. Dixitque Regi ſimulatorie, quod in quadrageſimali tempore, bellum non committeret. Sed ſi Rex vellet, confligeret; & ſi Biſſeni prævalerent, tunc ipſe indubitanter Regi auxiliaretur. Et ſic aſcendit cum ſuo exercitu, in montem *Bachy*, & inde proſpiciebat conflictus præliantium.

Cum autem veniſſent ad conflictum, Biſſeni fugerunt a facie Salomonis, ſicut fluit cera a facie ignis; & multis ex eis interfectis, aliis in ſtagno *Fercen* (2) ſubmerſis, pauci cum *Zultan*, fugiendo evaſerunt. Victis itaque Biſſenis, marchio pecuniam petivit a Salomone, cui ille nihil dedit: ipſe autem minabatur ei, quod eum ante Imperatorem accuſaret, quia præ timore, ſe oſtendere non eſſet auſus, viliſſimis Biſſenis. *Marchio* itaque prædictus, nomine *Hermich* (3), iratus, voluit venire ſuper Salomonem, ſed timens Imperatorem, ceſſavit, & triſtis reverſus eſt ad propria.

CA-

(1) Chr. Bud. *Zolta.* (2) MS. & Chr. Bud. *Ferteu.* (3) MS. *Hernub.*

Digitized by Google

CAPUT LIV.

De adventu Imperatoris in auxilium Regis Salomonis.

Poſtea autem *Rex Salomon*, metuens Geyſam Regem, & ipſius fratres, cum rebus & familia, *Styriam* introivit, & in clauſtro *Agmund*, matre & uxore derelictis, in *Moſon* eſt reverſus, volens, collecto exercitu, invadere fratres ſuos. Cumque de die in diem Salomon deficeret, ſed illorum proceſſus, reciperet felicia incrementa; confuſus, ad Cæſarem direxit greſſus ſuos, ut ei auxilium tribueret, in Hungariam revertendi. Et licet pecuniam dediſſet affluenter pro militibus ſolidandis; *Teutonici* tamen & *Latini*, cum ipſo, ob metum non venerunt Hungarorum. Rex autem Salomon, conquerebatur Cæſari, de amiſſione regni, dicens: *quod de regno ſuo violenter eſſet expulſus, & non tantum ſibi, ſed magis Imperio Cæſaris, hæc injuria eſſet illata;* & dicebat: *tua quippe Hungaria, tuum regnum, in quo me Regem conſtituiſti, me regnante, optima quæque regni illius, tuæ majeſtati gratanter offerebantur annuo cenſu, & ſecundum mandatum tuum tibi ſerviebatur. Nunc autem, hæc omnia tibi denegantur ab his, qui Imperio tuo detrimenta machinantur: quapropter venias in Hungariam, & tuam ulciſcaris injuriam, ſuper hoſtes tuos, & regnum tibi vendices.* His igitur verbis Imperator motus, cum magno exercitu intravit Hungariam. Alimentum vero, ad uſum ſui exercitus, abunde navigio ferebatur in Danubio. Cumque veniſſet Imperator ad flumen *Vag*, Salomon, acceptis tribus agminibus, equitavit de *Sempte* ſuper *Nitram*. Exeuntes autem juvenes, confligebant ſecum, nunc his, nunc illis fugientibus, & diu ſine vulnere certantibus. *Opus*, miles electus ex militibus, ſedens ſuper dextrarium ſuum, irruit ſuper portam civitatis, & unum de pugnantibus fulminavit. Nitrienſes vero, de morte ſocii ſui turbati, acriter ingemebant; & in Opus jaculantes lanceas, dextrarium ejus interfecerunt. Ipſe autem, fortiter eis reſiſtens, illæſus evaſit. Inde ergo revertentes Teutonici, narrabant Imperatori audaciam Opus, & incredibilem ejus potentiam in prælio. Imperator autem, accerſitum eum, magnis laudibus commendavit, & verbis dulcibus gratificavit; quæſivitque a Salomone, ſi apud Geyſam & Ladislaum, eſſent multi tam boni milites. Salomon autem, intendens laudare Hungaros, impræmeditate reſpondit: *multi ſunt*, inquiens, *etiam multo meliores.* Cui Imperator, *ſi ita eſt*, inquit, *talibus militibus repugnantibus, non recuperabis regnum.* Rex autem Geyſa, audiens Imperatorem perveniſſe Vaciam, prudenti uſus conſilio,

Digitized by Google

juſſit attentare & demulcere Patriarcham Aquilegienſem, cujus conſiliis Imperator plurimum auſcultabat; ſimul etiam omnes Duces Teutonicorum promittens eis multam pecuniam, ſi Imperatorem reverti facerent. Patriarcha igitur & Duces, muneribus illecti, & auri amore capti, ſatagebant variis figmentis inducere Imperatorem, ut reverteretur. Patriarcha enim finxit ſe vidiſſe ſomnium, cujus conjectura, manifeſtiſſime, totum exercitum Imperatoris, divina ultione, præſagiret periturum, niſi quam citius reverteretur. Sed & Duces, finxerunt ſimiliter, ſe divinitus attonitos, conquerebanturque Imperatori; neſcio quid mali imminere, ſi non cito reverterentur. Sequenti vero nocte, Duces Teutonicorum, inſtruxerunt quoſdam aſtutos milites ſuos, ut ipſi vociferando, & clypeos ſuos alternatim percutiendo, ſeditionem ortam in exercitu, ſimularent. Quod cum feciſſent milites, magnus horror irruit ſuper Imperatorem, & univerſum exercitum, excogitatæ fraudis & ſimulationis inſcium. Factus eſt itaque, tota nocte illa, tumultus magnus in caſtris. Mane autem facto, convocavit Imperator Patriarcham, & Duces, in conſilium, ut deliberarent, quidnam eſſet agendum. Patriarcha ergo & Duces, pecunia corrupti, modis omnibus conſuluerunt ei, ut reverteretur. Cæſar autem, ingeniis deceptus, ſimulans, ſe Salomoni in poſterum auxiliaturum, deſtructis navibus, in Teutoniam reverſus eſt.

CAPUT LV.

De fuga Regis Salomonis.

At *Rex Salomon*, ſpe fraudatus, gemebundus ac mœſtus, collegit ſe in *Poſon*. Confortatumque eſt regnum in manu *Geyſæ* Regis; & ex eo tempore, vocatus eſt *magnus Rex*, ducatumque dedit fratri ſuo, *Ladislao*. Dux autem Ladislaus, obſedit caſtrum Poſon, multis diebus. Milites vero Salomonis, de caſtro exibant, & cum militibus Ladislai decertabant. Salomon autem & Ladislaus, aliquando exibant inſignia ſua mutantes, & velut milites pugnabant. Contigit autem, ut Ladislaus, in meridionali ſilentio, ad caſtrum veniret; vidit autem Salomon venientem, mutatis armis, & ignorabiliter exivit ad eum: ſed nec eum Ladislaus cognoſcebat; milites vero Salomonis, ſuper caſtra ſedentes, illos aſpiciebant. Putabatque Salomon, illum eſſe ſervientem, & propterea inierat decertare cum illo. Statimque cum ad eum veniſſet, & faciem

ejus

Digitized by Google

ejus reſpexiſſet, vidit duos Angelos, ſuper capite ipſius Ladislai, igneo gladio volantes, & inimicis ejus minantes. Quo viſo, Salomon fugit in caſtrum, cui milites ejus dixerunt: *Domine, quid eſt hoc, quod vidimus? nunquam te, a duobus vel tribus fugere vidimus, quid ergo nunc?* quibus ipſe dixit: *noveritis, quod homines non fugiſſem; ſed iſte non eſt homo, quia protegunt eum, igneo gladio, angeli.* Quo audito, mirabantur; unde ipſum magis timere ceperunt. Milites vero ejuſdem Salomonis, neceſſitate compellente, ad Ladislaum veniebant; ipſe vero eos, ducali libertate, & benigniſſima largitate, reſovebat, & ad Dominum ſuum reverti, libere permittebat. Rex autem magnus, eo tempore, natale Domini in *Zugzard* celebravit. Quo petente, *Archiepiſcopus Deſiderius*, ſolennem miſſam celebravit, & ſermone lucidiſſimo, animum Regis delinivit, & ad bonum pacis inclinavit. Celebrataque miſſa, & omnibus rite peractis, præcepit Rex, ut omnes egrederentur, præter Epiſcopos & Abbates. Tunc Rex, cum lachrymis proſtratus, Archiepiſcopo, & aliis Eccleſiaſticis perſonis, ſeu præclaris, dicebat ſe peccaſſe; quia Regnum legitime coronati Regis, occupaverat: promiſitque, Regnum redditurum Salomoni, cum pace firma, hoc modo; quod ipſe coronam jure teneret, cum tertia tamen parte Regni, quæ ducatui appropriata erat. Salomon quoque, duas partes Regni coronatus teneret, quas prius detinebat. Epiſcopi ergo, lætas Deo gratias egerunt, quia Regem, Spiritus Sancti gratia & viſitatione, compunctum & illuſtratum eſſe videbant. Tunc Rex magnus, miſſis nuntiis ad Regem Salomonem, explicavit ei per litteras, modum pacis prætaxatum. Intercurrentibus itaque nuntiis, & ſuper hac re, diverſis diverſa ſentientibus, conſummatio reconciliationis, effectum ſortiri non potuit. Interea Rex magnus, in gravem ægritudinem incidit, & VII. Kalendas Maji, viam carnis univerſæ, virtutibus adornatus, eſt ingreſſus. Erat enim fide Catholicus, Deo devotiſſimus, & Princeps Chriſtianiſſimus. Regnavit autem tribus annis, & Vaciæ tumulatus, in Eccleſia Beatæ Virginis, quam ipſe conſtruxit. In primo etiam anno Regni ſui, validiſſima fames, Regnum Hungariæ afflixit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LVI.

De coronatione Sancti Regis Ladislai Primi, Fratris Geyſæ, Filii Belæ ſimiliter Primi, & de exercitiis ejuſdem.

Audita vero morte Regis magni, convenit univerſa multitudo nobilium Hungariæ, ad fratrem ejus *Ladislaum*. Et eum communi conſenſu, parili voto, conſona voluntate, ad ſuſcipiendum Regni gubernacula, concorditer elegerunt; immo fere magis affectuoſiſſimis precibus compulerunt. Omnes enim noverant, ipſum eſſe veſtitum conſummatione virtutum, fide Catholicum, pietate præcipuum, largitate munificum, charitate conſpicuum. Emicuit quippe, quaſi ſtella matutina, in medio nebulæ, fugans tædia tenebrarum, & quaſi luna plena, lucens in diebus ſuis; velut etiam ſol refulgens, ſic effulſit in populo ſuo, quaſi adeps ſeparatus a carne. Et cum leonibus & urſis luſit, quaſi cum agnis ovium; numquid non occidit gigantem, & abſtulit opprobrium ex Iſrael? convertit enim inimicos ſuos undique, & extirpavit adverſarios. Erat enim magnus, ſecundum nomen ſuum maximum. Nam ſi etymologiæ nominis ejus alludamus, *Ladislaus*, quaſi *Laus* divinitus *data populo*, dicitur. *Laus* (1) enim, *populus* interpretatur; *daſys* (2) autem, *dan.* vel *datio*, ſive *datum*; prima enim ſyllaba nominis ejus, Laus, eſt per paragogen. Et quamvis ipſum Hungari, in Regem, abſque voluntate ſua, elegerunt: nunquam tamen in capite ſuo coronam poſuit; propter quod potius cœleſtem coronam optabat, quam terrenam. Et vivi Regis coronam, uſque dum legitime coronaretur, habere noluit: proponens in animo, ut, ſi firma pax inter eos eſſe poſſet, Regnum Salomoni redderet, & ipſe ducatum haberet.

Poſtquam autem, divina diſpenſatione, Regni gubernacula ſuſcepit, non mundanam gloriam, caducam & tranſitoriam, ſed cœleſtem patriam, & divinam gloriam, toto cordis affectu promereri ſtuduit. Semper enim, timorem Domini præ oculis habuit, in omnibus judiciis ſuis, & maxime in cauſis criminalibus, ubi ultio ſive pœna ſanguinis irrogatur. Divina quidem inſpiratione illuſtratus, ſciebat, quod Rex non tam regat, quam regatur: unde in omnibus judiciis ſuis, mitigata legum ſeveritate, ſemper utebatur miſericordiæ leni-

(1) MS. & Chron. Bud. *Lacs.* (2) Chron. Bud. *Doys.*

Digitized by Google

lenitatè. Erat enim consolatio afflictorum, sublevator oppressorum, pius pater orphanorum; a cunctis enim regnicolis, mutato proprio nomine, *pius Rex* vocabatur. Qui etiam victor honoratus, inclytus, augustus extitit, non tam nominum proprietate, quam rerum veritate. Adauxit enim rempublicam Hungariæ. Ipse primus, *Dalmatiam* atque *Croatiam*, suæ monarchiæ, jure perpetuo subjugavit. Cum enim Rex *Zolomerus*, sine liberis decessisset, uxor ejus, soror Regis Ladislai, ab inimicis viri sui, multis injuriis prægravata, auxilium fratris sui, Regis Ladislai, in nomine Jesu Christi imploravit: cujus injurias, Rex graviter vindicavit, & Croatiam atque Dalmatiam, integraliter sibi restituit; quam postea, prædicta Regina, suo subdidit dominio. Quod tamen Rex, non fecit propter cupiditatem; sed quia secundum regalem justitiam, sibi competebat hæreditas: quoniam quidem Rex Zolomerus, in primo gradu affinitatis eidem attinebat, & hæredem non habuit. Porro Salomon erat in Poson. Reverendissimi autem Episcopi, laborabant pacificare eos. Rex autem Ladislaus, quamvis sciret, Salomonem nimis esse trucem & implacabilem: victus tamen pietate, & maxime justitia compellente, quia jus legitimum Ladislaus non habebat contra eum, sed omnia de facto fecit, non de jure; quarto anno Regni sui, pacificatus est cum Salomone, donans ei stipendia, ad regales expensas sufficientia. Optimates autem Regni, futura pericula bellicæ cladis, caute præcaventes, non patiebantur Regnum partiri cum Salomone; ne noviſſima fierent pejora prioribus. Salomonis autem cauteriatam conscientiam, præconceptæ iracundiæ amaritudo, laniabat. Cepit itaque fremebundus, æstuanti animo, machinari dolos, in perniciem innoxii sanguinis Ladislai; sed incidit in foveam quam fecit.

Eodem etiam anno, crux Domini, quæ Albæ constituta fuerat, percussa est a fulgure. Rex autem Ladislaus, deprehenso flagitio, cepit Salomonem, & in *Wyssegrad* retrusit in carcerem. Erat autem apud Salomonem, *Bodus* filius *Bokon*, in carcere. Hoc autem, non causa timoris fecit; sed proconsanguinitate Regis, qui semper minabatur facere pejora prioribus, &, ut furor illius paululum temperaretur.

Ipse enim assidue pro Salomone orabat, ut ad legem Dei converteretur. Si vero Salomon conversus fuisset veraciter, Regnum plenarie ipsi restituisset; ipse ducatum sibi elegisset. Et quamvis Salomon in carcere fuisset, Ladislaus multo magis ei condolebat. Sed postmodum *Salomon Rex*, dimissus de carcere, in elevatione corporis Sancti Stephani Regis, & Beati Emerici confessoris, astitit Regi paucis diebus; & tandem fugiens, adiit Ducem *Cuno-*

Digitized by Google

rum, qui vocabatur *Kutesk*, cui juravit, quod tranſilvanam provinciam, proprietario jure ipſi traderet, & filiam ejus in uxorem acciperet, ſi ille in auxilium ejus, ſuper Ladislaum, veniret. Dux autem Kutesk, inani ſpe ſeductus, cum magna multitudine Cunorum, invadens Hungariam; devenit uſque ad provinciam caſtrorum *Ung* & *Borſua*. Quo audito, Rex Ladislaus, irruit ſuper eos, & contriti ſunt a facie ejus, ceciderunteque in ore gladii, multa millia Cunorum. Rex autem Salomon, cum Kutesk, ſicut anates, avulſis pennis, ab unguibus aſturis, fugientes evaſerunt. Rex itaque Ladislaus, tulit ſpolia eorum, & in hymnis, & confeſſionibus benedicebat Deum, qui dedit ei glorioſam victoriam. Fecit autem conſtrui ibidem Eccleſiam, ad honorem Dei omnipotentis, ob memoriam victoriæ, quam ibi, adjutorio Dei, obtinuerat. At Rex Salomon, cum latrunculis Cunorum, invaſit Bulgariam, & confinia Græciæ; ubi ab exercitu Græciæ Imperatoris, miſerabiliter ſunt percuſſi, e quibus pauci valde evaſerunt. Cum enim vidiſſent Cuni, magnam multitudinem loricatorum, timuerunt valde, ceperuntque feſtinare, ut tranſirent Danubium, priuſquam ab hoſtibus concluderentur. Qui ergo loricas non habebant, celerius, præ levitate, præcedebant. Salomon autem & ſui, atque alii loricati, armorum pondere præpediti, præcedentes ſocios, tardius ſequebantur: & hyems erat, ningebatque denſiſſime, repleverantque nives oculos eorum, & nivium denſitate præpediente, non poterant videre ſocios ſuos, qui præceſſerant. Erranteſque ferebantur per inania. Sed & hoſtes perſequebantur eos cominus. Cumque deveniſſent ad quoddam caſtrum deſertum & vacuum, intraverunt illuc, & tota die & nocte ibidem manſerunt: hoſtes autem circumdederunt caſtrum undique; obſeſſi vero, videntes, ſe periculo famis perire, elegerunt magis pugnando mori, quam fame perimi. Summo itaque diluculo, exierunt in hoſtes, & ſimul cum interfectoribus ſuis, interierunt; & quamplures ex eis occidebantur, qui eos interficiebant. Rex autem Salomon, fugiens cum paucis, vix evaſit; & facili curſu tranſivit Danubium, quia glaciatus erat. Cumque veniſſet ad quoddam nemus magnum, dixit ſuis, ut pro recreandis equis, paululum repauſarent. Ipſe vero, depoſito ſcuto, finxit ſe confeſtim reverſurum, & abiit in opacas partes ſilvarum, ſuiſque nihil tale opinantibus, abſentavit ſe ab illis; nec unquam ultra comparuit. Fractus quippe tot adverſis, viſitatus a Spiritu ſalutari, ex ipſis adverſis, non eſt effectus durior, nec contra juſtiſſimam Dei veritatem, libero pugnans arbitrio: ſed manum, miſericordiſſime corripientis Dei, ſentiens, in recordatione commiſſorum ingemuit; & quantum juſtæ humanitatis arbitratu penſari poteſt, cum cordis contritione, & ſatisfactione, de peccatis ſuis, pœnituit.

Digitized by Google

nituit. *Vere felix neceſſitas, quæ compellit ad meliora; nam revera neceſſe eſt, ut quem mundus odit, diligatur a Deo.* En, nobile corpus Salomonis Regis, regalibus deliciis educatum, jacet in pulvere & cinere fatigatum: & qui prius pugnabat pro temporalibus, nunc ſolum intendit cœleſtibus.

Totum enim tempus vitæ ſuæ, in peregrinatione & oratione, in jejuniis & vigiliis, in laboribus & obſecrationibus, conſummavit. Viſus eſt etiam ſemel in Hungaria, tempore Regis Colomani; ſed ſtatim delituit, nec unquam amplius comparuit. Migravit autem ex hoc ſeculo ad Dominum, & ſepultus eſt *Polæ*, in civitate *Iſtriæ*; uxor autem ejus, & mater, in *Agmund* requieſcunt.

CAPUT LVII.

De ſecunda Irruptione Cunorum in Hungariam, & de bello Sancti Regis Ladislai cum eisdem.

Poſt hæc autem quidam de Cunis, nomine *Kopulch*, filius *Krul* cum valida manu intravit in Hungariam, ut eam debellaret; qui ultraſilvanum Regnum deprædavit, & prædam ſecum ducebat. Qui depopulata terra transſilvana tranſiens, venit ad *Bihor*, & circa flumen *Umſoer* aliquantis diebus permoratus eſt. Deinde tranſiens *Thiſciam* in *Chooyd* (1), exercitum ſuum in tria agmina diviſit: duo agmina verſus ſabulum vaſtare propoſuit; unum vero circa Thiſciam debellare dimiſit. Debellantes vero, & prædantes venerunt in locum, qui dicitur *Bechey*, cum multitudine prædarum, & ad propria redire ſtatuerunt, qui dicebant: *venimus debellando, nunc revertamur venando.* Tantam ergo prædam de Hungaria habuerunt, quantam unquam aliqua gens potuit habere; uxores etiam & filios nobilium ſecum in captivitatem ducebant. *Rex* autem *Ladislaus* cum ſuis in *Sclavonia* fuerat. Cumque in reverſione ſua hæc omnia nuntiaſſent, citius quam ſciverat reverſus eſt; & cum ſuis militibus celeriter poſt eos equitavit, quos circa fluvium *Temes* invenit: & illi putantes ſe omnino eſſe liberatos, plus affectabant venationem, quam bellum. Rex autem Ladislaus militibus ſuis dicebat: *utilius eſt mihi mori vobiſcum, quam uxores noſtras & filios videre in captivitate.* Hæc dicens, lachrimabatur, & primus vexillo rubeo impetum

(1) MS. *Thocoyd.*

Digitized by Google

fecit in caſtra Cunorum, contrivitque Dominus Cunos ante faciem Hungarorum.

Rex itaque Ladislaus militibus ſuis clamabat: *non interficiamus homines iſtos, ſed capiamus eos, & ſi converſi fuerint, vivant.* *Kopulch* vero & meliores mortui ſunt, & alii quam plures capti ſunt; & nemo ex eis evaſit, præter unum ſervientem nomine *Eſcembu.* Rex autem cum ſuis omnibus pro tanta victoria gratias egit omnipotenti Deo, qui eripuit eos de manibus hoſtium ſuorum; nominavitque fluvium *Pagani* (1), propter paganos uſque in præſentem diem. Hoc audientes Cuni de ſerviente illo, qui evaſerat, valde contriſtati ſunt; qui etiam conjurantes, promiſerunt ſe injuriam Kopulch vindicaturos. Miſeruntque ad Regem nuntios, & captivos dimittere præceperunt, verbis ſuperbis & contumelioſis Regem deriſerunt, & ſtatuerunt diem in Hungariam intrandi. Cumque Rex audiſſet, ſubriſit; & die, qua in Hungariam venire propoſuerant, Rex prius obviam illis equitavit, timens depopulationem Hungariæ: & quodam ſabbato ſummo mane prope Danubium, impetum ſuper Cunos fecit. In primo autem impetu Rex Ducem Cunorum, nomine *Akus*, percuſſit; & *Enſem* (2) quem Rex ſibi infidelem putabat, in eadem die feliciter ac viriliter ſervivit. Contrivitque Dominus Cunos ante faciem Hungarorum; & Rex cum victoria & triumpho in Hungariam rediit.

CAPUT LVIII.

De Expeditione Sancti Regis Ladislai, contra Ruthenos.

Poſt hæc autem Rex glorioſus invaſit *Ruſciam*, eo, quod Cuni per conſilium eorum Hungariam intraverant. Cumque vidiſſent ſe Rutheni male coarctari, rogaverunt Regis clementiam, & promiſerunt Regi fidelitatem in omnibus; quos Rex piiſſimus gratanter ſuſcepit. Deinde irruit in *Poloniam.* Poloni vero contra ipſum venientes pugnaverunt; ſed Hungari, juvante Deo, victoriam habuerunt. Exinde Hungari caſtrum *Krokow* tribus menſibus obſederunt. Interim obſeſſi & obſidentes ceperunt egere. Rex autem & principes petierunt ab omnibus Hungaris, noctis ſilentio, ut portaret unuſquiſque ocream ſolam de terra plenam. Quod & factum eſt.

Fece-

(1) MS. *Paganti.* (2) MS *Cuſem* alibi *Euzem.*

Digitized by Google

Fecerunt autem ante caſtrum montem magnum de terra illa; quem deſuper cum farina cooperuerunt. Videntes autem obſeſſi, quod obſidentes abundarent victualibus, & quod diu poſſent manere ante caſtrum; arcem cum univerſis Regi tradiderunt, & pacem ad voluntatem Regis ordinaverunt, ſeu compoſuerunt. At inde tranſivit in *Bohemiam*, & multos captivos de Bohemis duxerunt impune in Hungariam. Et ſic Rex victorioſiſſimus ad propria rediit cum gaudio.

CAPUT LIX.

De Conſtructione eccleſiæ Waradienſis, & de electione Regis in Capitaneum paſſagii tranſmarini.

Poſt hæc in parochia caſtri *Bihor* inter flumen *Kewres* (1) in venatione ſua invenit locum, ubi angelico admonitu propoſuit conſtruere *monaſterium* in honorem *Virginis Mariæ*; quem locum *Warad* nominavit. At Rex Ladislaus in ampliora ſemper ſe extendens, & de virtute in virtutem proficiens, non ſolum in Hungariam, ſed & in omnia Regna Chriſtianitatis ſuæ reſperſit ſuavitatis odorem: unde mortuo Romanorum Imperatore Duces & tetrarchæ Teutonicorum, cunctique barones & optimates communiter & concorditer rogaverunt ipſum, ut ſuſciperet Imperium. Quia vero tempore ſuo non ſolum ſua, ſed quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærebat; & illud divinum oraculum mente ſedula revolvebat: *non tranſgrediaris terminos patrum tuorum*: ſuis terminis contentus eſſe maluit, quam ſupra menſuram juris augere. Alienigenarum itaque & ignotarum gentium regimen, ſuſcipere recuſavit. Vix autem in Hungaria Deo pie ac fideliter ſerviendo, & leges convenienti vigore ſanciendo poterat remanere. Cumque celebraſſet Paſcha Domini in *Bodrog*, ecce nuntii *de Francia*, & de *Hiſpania*, de *Anglia* & *Britannia* ad eum venerunt, & præcipue de *Villermo*, fratre Regis Francorum; & ei omnipotentis Dei injuriam ſe ulciſci, manifeſtaverunt, & Sanctam civitatem, & Sanctiſſimum ſepulchrum de manu Saracenorum liberare penſaverunt: unde glorioſum Regem rogaverunt, ut eis rector & gubernator in exercitu Jeſu Chriſti exiſteret. Rex autem hoc audiens gaviſus eſt gaudio magno; & in eadem feſtivitate a nobilibus Hungariæ licentiatus eſt: triſtaturque

(1) MS. *Keres*.

Digitized by Google

que tota Hungaria propter eum; ſed ipſe, quod inceperat, nullo modo dimittebat. Miſitque nuntium ad *Conradum* Ducem *Bohemorum* filium Othonis, & petiit ab illo ac præcepit, ut ſecum ultra mare ire, pro injuria JEſu Chriſti properaret. Ille autem libenti animo promiſit. Interim cognatus Conradi Ducis nomine *Sentapolug*, noctis ſilentio *Pragam* veniens, ipſam civitatem cepit. Mane autem facto ab Epiſcopo Pragenſi in ſolio ducali ſedit, & a quibuſdam honorifice ſuſceptus eſt. Conradus autem ad glorioſum Regem avunculum ſuum venit, & quæ ei acciderant narravit, & Regem in auxilium ſibi venire, in propria perſona rogavit. Rex autem conſenſit ei, ita, quod de ſervitio Dei, Dux non remaneret. Et quia conſanguinitatis vinculo illi jungebatur; etiam memor actionis Ducis patris ejus, qui ipſi in auxilium contra Salomonem venerat, promiſit, ſe in propria perſona eum adjuturum. Habebat Rex ſecum fratres ſuos, filios Geyſæ Regis *Colomanum* & *Almum*; prognoſticatuſque erat Rex de Colomano, quia fuſor ſanguinis fieret. Voluit enim Agrienſem Epiſcopum eum facere. Qui eadem nocte receſſit in Poloniam, audiens, quod pater ejus & avus Poloniæ honorifice ſuſcepti eſſent: ſecutique ſunt eum de Hungaria, *Marcus* & *Ugra*, & alii. Rex autem congregato exercitu ſuo, cepit ire contra Bohemos propter injuriam nepotis ſui. Cum autem perveniſſet in confinium Bohemorum, gravis infirmitas invaſit eum. Convocatiſque principibus ſuis, ad Colomanum nuntios miſit Sanctum *Marcellum præpoſitum*, & *Petrum comitem*, ut ad Hungariam reverteretur. *Beatus* autem *Ladislaus* ſic ordinavit, ut poſt ipſum *Almus* regnaret; qui ſincera ſimplicitate ductus honoravit fratrem ſuum *Colomanum*, præferendo ipſi coronam Regni, tanquam cui jure primogenituræ videbatur competere. Si quem autem ſcire delectat, quot & quanta bona genti ſuæ Beatus Ladislaus fecit; de geſtis ejuſdem plenam poterit habere notitiam. Sanctitate igitur & gratia plenus, tranſiit ad conſortia Angelorum, anno Regni ſui XIX. & ſepultus Waradini in monaſterio ſuo, anno *Domini MXCV. tertio* (1) *kalendas Auguſti feria prima*.

CA-

1) Chr. Bud. *quarto*.

Digitized by Google

CAPUT LX.

De Coronatione Regis Colomani, filii Regis Geyſæ Primi, filii Belæ Regis ſimiliter Primi.

Colomanus itaque, filius Regis Geyſæ, de Polonia feſtinanter rediit, & coronatus eſt; & Duci *Almus*, ducatum plenarie conceſſit: in cujus etiam temporibus, multa mala ſunt perpetrata, ut inferius patebit. Erat autem habitu corporis contemtibilis, ſed aſtutus & docilis, hiſpidus, piloſus, luſcus, gibboſus, claudus & blæſus. Cumque prædicti peregrini JEſu Chriſti, audiſſent de morte glorioſi Regis Ladislai, valde condoluerunt: ac inde miſerunt nuntios, ad Regem Colomanum, ut, quemadmodum glorioſum Ladislaum rogaverant, ita & de ipſo peterent; putantes, ipſum eſſe de eadem pietate, quia ipſe de eodem ſanguine fuerat. Colomanus autem Rex, hoc audiens, non ſolum non ire cum eis promiſit; ſed etiam per terram ſuam, viam illis minime conceſſit. Exercitum autem contra eos miſit, ut ad Regnum introire non permitterent: putans, ipſos eſſe tyrannos, & non peregrinos. Illi autem, ſpem in Deo ponentes, & cujus ſignum portabant JESU Chriſti, in illo confidentes, Hungariam audacter intraverunt, & ex Hungaris multos interfecerunt. Hoc audito, Rex congregavit exercitum ſuum circa *Temes*, & illos, ſimulata pace, ire dimiſit. Cumque ad *Zemlin* perveniſſent, ſe in pace eſſe ſperantes, caſtra metati ſunt. Caſtrum autem Zemlin ceperunt, ne Rex alias inſidias faceret, & pejora prioribus fierent. Deinde marchiam illam totam devaſtabant, propter victum; & quidquid rapere poterant, ad caſtrum portabant. Rex autem in Temes, utiliori conſilio uſus, pacem cum illis firmavit, & multis muneribus, & victualibus, eos honoravit, & in pace ire dimiſit. Illi autem peregrini proficiſcentes, ceperunt Antiochiam, & adjuvante Deo, Jeruſalem abierunt. Cumque Rex ad propria reverteretur, & Dux Almus ad ducatum iret, quidam iniqui, diabolico freti conſilio, ceperunt inter eos accuſare. Dicebant enim Duci: *domine Dux, Rex inſidiatur tibi, & capere vult te.* Deinde Regi dicebant: *Dux tibi poſuit inſidias, & ſi non cuſtodieris te, ſcias, procul dubio te moriturum.* Hoc autem audientes ambo juvenes & laſcivi, congregaverunt exercitus. Rex autem cum exercitu venit contra Ducem, in *Warkum*; & Dux econtra, venit prope Warkun: Thiſciam autem inter eos dimiſerunt. Fideles autem Hungari, treugas ab ipſis petierunt, ut collo-

Digitized by Google

colloquium haberetur, dixeruntque: *quid eſt quod nos pugnamus? iſti nos oppugnant, moriemur; & cum ipſi evaſerint, fugient, ſicut nullius tertius patres noſtri vel fratres, cum patribus eorum vel fratribus pugnaverunt, & ipſi mortui ſunt: nec nos videmus cauſam pugnæ: ſed eis ſi pugna placet, ipſi duo pugnent, & qui eorum prævaluerit, ipſum pro domino habeamus.* Quo ſtatuto conſilio, Principes reverſi ſunt. Cumque *Grack* Regi dixiſſet, quemadmodum ſtatuerant, & illa Duci revelaſſet, abſque voluntate eorum quieverunt. Poſt hæc autem, Rex invaſit *Ruſciam*: & Duciſſa Ruthenorum, nomine *Lanca*, venit obviam Regi, & ejus provoluta pedibus, obſecrabat Regem cum lachrymis, ne diſperderet gentem illam. Cumque Regem non audientem, inſtantiſſimis ſollicitaret precibus, calcitravit eam Rex, & amovit a ſe dicens: *non oportet regalem majeſtatem fletu muliebri deturpari.* Illa autem gemens, reverſa eſt retrorſum, & rogabat omnipotentis Dei auxilium. Plurimi autem *Cuni*, cum *Mircode*, cum precibus, venerant in auxilium Ruthenorum. Qui de nocte conſurgentes, ſummo mane, percuſſerunt caſtra Regis, & uſque ad interemtionem diſſipaverunt ea crudeliter. Nobiles autem Hungariæ, communierunt Regem circumquaque, fueruntque Regi pro muro inexpugnabili. Cuni vero, perſequentes Comitem *Euzem*, de genere *Almaſi*, virum fortem & alacrem, interfecerunt eum; & omnes, qui cum eo erant, ſimiliter & Epiſcopos, *Cupan* & *Laurentium*, multoſque alios bellatores fortes, ſagittarum transfixionibus ceciderunt. Unus autem ex Cunis, nomine *Monoch*, acriter perſequebatur Hungaros; quem *Matthæus*, miles Regis optimus, volens comprehendere, impetum fecit in illum: ille vero fugiens, miſſa poſt tergum ſagitta, pedem Matthæi transfixit; & niſi ſocii multi, inſertis clypeis, illum protexiſſent, mortem non evaſiſſet. Petrus itaque verſus eſt ad Monoch. Cumque ad Petrum ſagittaſſet, ſagittare non potuit, & uſque dum aliam ſagittam acciperet, Petrus, latus Monoch perforavit; quem captum, ad Regem, vivum perduxit. Tunc *Jula Comes*, in pedibus vulneratus, evaſit; de quo vulnere, in Hungaria mortuus eſt. Rex itaque, & omnes ſui, celeriter fugiendo, venerunt in Hungariam; theſaurum autem Regis, & omnes, qui celeriter fugere non potuerunt, Cuni rapuerunt. Tanta ſtrages ibi fuit, quod raro Hungari in tanta ſtrage fuerunt. Qui autem ex Hungaris in ſilvis evaſerant, præ neceſſitate famis, ſoleas calceamentorum ſuorum aſſando comedebant. Quid plura? tanta tunc pericula facta ſunt, quæ ſcripta non ſunt, quæ dici non poſſunt. Rex autem, de prima uxore, genuit *Ladislaum* & *Stephanum*, *anno Domini MCI.* Cumque Rex eſſet in *Dalmatia*, in civitate *Zadur*, & cogitaret civitatem ſuccendere,

præ

præ duritie gentis illius, dormierat in palatio ſuo, quod ibi ædificaverat. Et ecce Sanctus N. (1) Zadurienſis (2) Epiſcopus, venit ad eum in horrido vultu; quem per capillos capiens, traxit, & cum virgis laureis, valde verberavit. Quem cum dimiſiſſet, & excitatus fuiſſet, illum non vidit; ſed dolorem ſentiebat, & ictus virgarum, ſuper corpus ſuum aſpiciebat. Quapropter, a moleſtatione civitatis, patienter ceſſavit. Deinde Rex volebat ire in Ruſciam. Anno Domini MCVI. reverſus eſt Dux Almus de Patavia; qui propter Regis timorem illuc fugerat. Quem Rex ſuſcepit ad pacem. Deinde fugit in Poloniam; & accerſito Polonorum & Hungarorum conſilio & auxilio, reverſus eſt in Hungariam, & cepit novum caſtrum, & intravit illud. Rex autem, hoc audito, obſedit caſtrum. Cumque in craſtinum pugnare vellet, ecce Dux, ſubito equum aſcendens, portas caſtri exiens citiſſime, equitavit ſolus ad caſtrum Regis; & cum ad tentorium Regis veniſſet, ſtatim de equo deſcendens ad pedes Regis venit, & in ore omnium, ſe culpabilem proclamavit. Rex autem, fraterna motus pietate, Duci indulſit. Nam & indignationem ſuam, ab Hungaris, qui in caſtro erant, per interceſſionem Ducis, amovit. Deinde Dux Hieroſolymam profectus eſt; & tum proſperitate redeuntem, Rex ſuſcepit ad pacem. Delectabatur autem Dux in venationibus, & aſſiduus erat in eis; & dabat ei Rex omnia, ad venandum neceſſaria.

CAPUT LXI.

De conſtructione Eccleſiæ Demeſienſis.

Dux autem conſtruit *monaſterium de Demes*, rogavitque Regem, ut ad conſecrationem veniret; & ſic factum eſt. Poſtquam Palatini accuſabant Ducem, quod inſidias præparaſſet, ut interficeret Regem, in conſecratione monaſterii ſui. Quod & forte feciſſet, niſi amici Regis ipſum vigilantiſſime cuſtodiſſent. Rex autem iratus, voluit capere eum; ſed Reverendiſſimi Epiſcopi, & alii boni Principes, ſcientes falſum eſſe, quod ex confectione inimicorum

(1) Nomen hujus Sancti, neque in MS. neque in editionibus antiquis, exprimitur; ſed P. Timon, in Epit. Chron. R. Hung. cenſet illum fuiſſe *S. Donatum*, & hoc A. C. MCXI. contigiſſe.
(2) MS. *Zadrienſis.*

Digitized by Google

corum Duci imponebatur: interceſſerunt pro eo apud Regem, & pacificaverunt eos juramento; dimiſitque Ducem in pace, ut in *Bokon* venaretur. Miſitque cum eo duos jobagiones, ſub prætextu honorandi eum; quos tamen clanculo inſtruxerat, ut animum Ducis ſolertius explorarent, ſi Dux quid mali adverſus Regem machinaretur, ut Regi nuntiarent. Cumque veniſſet Dux in *Chour*, & aſture miſſo, cornicem cepiſſet, ſimplici animo dixit jobagionibus: *nonne cornix iſta juraret aſturi, ut, ſi eam dimitteret, de cetero non vociferaretur?* Illi autem reſponderunt: *quod nec aſtur dimitteret cornicem propter juramentum, nec cornix jurare poſſet, cum eſſet animal irrationale.* Eadem vero nocte, verba Ducis Regi nuntiaverunt. Dux autem veniens in Bokon, cauſa venandi; ſtatim abſentavit ſe ab illis, & fugit iterum ad *Patavos*, Regis Teutonicorum auxilium imploraturus. *Anno Domini MCXII.* N. (1) Filius Regis Colomani mortuus eſt. Et Rex ſecundam duxit uxorem, de Ruſcia, quam in adulterio deprehenſam peccantem, nec violenta temeritate dimiſit. Sciebat enim, quia ſcriptum eſt: *Deus quos conjunxit, homo non ſeparet;* ſcilicet, ſine lege & abſque ratione. Ideo non ipſe ab ea ſe ſeparavit, ſed lex ab ea eum ſeparavit; quam reatus accuſavit, culpa damnavit, maleficium coarctavit. Remiſit ergo eam Rex in terram ſuam. Quæ ex adulterio peperit filium, nomine *Borich* (2); Borich autem genuit *Colomanum.*

CAPUT LXII.

Quomodo Dux Almus, & Bela filius ejus, fuerint exoculati.

Anno Domini MCXIII. Imperator, propter Ducem *Almum*, movit exercitum ingentem; & venit in confinium Hungariæ, ut colloquium cum Rege haberet, & inter eos pacem firmaret. Quod & factum eſt. Rex autem Imperatori plurima dona miſit, & ſic honorifice repatriavit. Poſt hæc, Rex reduxit Ducem Almum ad pacem. Confirmata autem pace, tandem Rex cepit Ducem, & filium ejus *Belam* infantulum, & obcæcavit eos; ſed & Belam infantulum præceperat caſtrare. Sed obcæcator, timens Deum, & Regni ſterilitatem, caſtravit catulum, cujus teſticulos tulit Regi. Et de nobilibus Regni,

(1) Iſte fuit *Ladislaus*, natu major, uti ex cit. P. Timon, ad hunc annum, colligitur.
(2) MS. *Borith.*

Digitized by Google

gni, obcæcavit *Uros*, *Vachan* (1), & *Paul.* Nihil tamen ei profuit, innoxii ſanguinis profuſio, quem, divina ultione, præmaturæ mortis deglutivit dira ſorbitio, & punivit temporalis Regni deſtructio. Unde dictum eſt: *non ſic impii in omnes* &c. Ductus eſt autem Dux Almus, in monaſterium ſuum in *Demes*. Poſt hæc autem, Rex cepit ægrotare graviter, & habebat quemdam medicum Latinum, nomine *Draconem*, cui nimium credebat; hic appoſuit emplaſtrum ſuper aures Regis, qui ex capitis dolore urgebatur, & per concavitates aurium, vis emplaſtri, non modicam extraxit partem cerebri ejus. Remoto autem emplaſtro, quod diutius tenere non poterat, oſtendit *Othmaro* comiti. Comes Othmarus, inſpiciens emplaſtrum, vidit in eo cerebrum extractum, dixitque Regi: *Domine, expedit tibi, ut præpares te ad viaticum.* Quo audito, timuit Rex, & ingemuit. Poſtea autem, iniit Rex conſilium, cum ſceleratiſſimis, *Mark* filio *Simæ* (2), & *Achille* filio *Jacob* (3), & cum aliis Comitibus, quorum conſilio, Ducem, & filium ejus, de gremio matris ſuæ extractum, excæcaverat: miſitque ex eis quemdam, nomine *Benedictum*, filium *Both*, apprehendere Ducem, ne forte, mortuo Rege, ipſe ei ſuccederet. Rex autem in morte præcepit filio ſuo, & Principibus, ut ipſi poſt mortem ſuam, ſuper Ruſciam ulciſcerentur injuriam, quam ipſi fecerant. Cumque Benedictus receſſiſſet, Dux ante monaſterium ſedebat, plangens dolorem proprium. Qui cum audiſſet, quod equites feſtinantes veniſſent, præſenſit animo, ſibi periculum imminere; & fecit ſe introduci in monaſterium, & tenebat manibus altare Sanctæ Margaritæ Virginis, ut ſaltem pro reverentia Dei & Sanctorum ejus, eum inde abſtrahere non præſumerent. Benedictus autem, per antiphraſin dictus, ſacrilegas manus injecit in eum, & tenentem altaria, violenter extrahebat. Dum quoque ſic conaretur extrahere, divulſa eſt cutis manus Ducis, & infectum eſt altare ſanguine. Sacerdotes autem obſervabant oſtia Eccleſiæ, & volebant illum Benedictum capere. Ille autem, hoc percipiens, corde furibundo, quomodo potuit, exivit; & dum feſtinanter equitaret per ſilvam *Pelys*, cecidit de equo, & cervice fracta mortuus eſt, & canes ejus, qui ſequebantur ipſum, devoraverunt carnes ejus & oſſa. Iſte *Colomanus*, ſicut quidam dicunt, fuit *Epiſcopus Waradienſis*; ſed quia fratres, quos habebat, morte ſunt præventi, ideo, ſummo Pontifice cum eo diſpenſante, regnare compellitur. Qui ab Hungaris *Könyves Kalman* appellatur;

(1) MS. *Vatha.* (2) MS. & edit. Brun. *Syma.* (3) Ibid. *Jaco.*

Digitized by Google

eo, quod libros habebat, in quibus horas Canonicas, ut Epiſcopus, perſolvebat. Iſte *Dalmatiæ Regnum*, occiſo ſuo Rege, *Petro* nominato, in montibus *Petergozdia* (1), Hungariæ adjunxit. Galeas quoque *Venetorum*, & naves ſolidans & elocans, pecunia maxima, exercitum copioſum in *Apuliam* deſtinavit. Qui, Apulia ſpoliata, per tres menſes permanſerunt in ea. Ubi etiam *Monopolin* & *Brundyſium* civitates expugnantes, *Venetis*, ad tenendum pro utilitate Regis Colomani, reliquerunt; ipſi autem, ad Hungariam abinde ſunt reverſi. Quæ quidem civitates, per ſoldatos *Pariſanorum* (2), miſſos per Cæſarem, expulſis Venetis, ſunt rehabitæ. Regnavit autem annis viginti quinque (3), menſibus ſex, diebus quinque. *Anno Domini MCXIV. tertio nonas Februarii, feria tertia*, migravit ex hoc ſeculo; cujus corpus *Albæ* quieſcit.

CAPUT LXIII.

Mortuo Rege Colomano, Stephanus ſecundus, filius ejuſdem, in Regem extitit coronatus.

Potentiores Regni, *Stephanum*, Colomani filium, in Regem coronaverunt. Erat enim adhuc impubes; ſed ſpiritus ejus in manibus ejus. Anno autem IX. Regni ſui intravit Dalmatiam, & a Dalmatienſibus honorifice eſt ſuſceptus. Inde reverſus, miſſis exercitibus ſuis, fines Polonicos devaſtavit. Placuit autem Regno, ut Rex Stephanus, cum Duce Bohemorum, colloquium haberet. Cumque veniſſet ad confinium Hungariæ, prope fluvium *Orſana* (4), & Dux Bohemorum, obviam illi veniſſet, fluvius tamen eos interjacebat. Erat autem *Solth*, ſemper iniquæ cogitationis auctor, qui propter iniquitatem ſuam, de Hungaria fuerat expulſus, qui tunc ibi cum Bohemis præſens erat. Antequam vero Rex cum Duce colloquium haberet, miſit Solth nuntium ad Regem clanculo, dicens: *fidelis ſum Domino meo, & quod novi de Bohemis ei notifico; unde ſtatim, cum colloquium habebit cum Duce, Dux eum capiet, quia audivit tuos veniſſe ſine armis.* At reverſus, idem Duci dicebat: *ſtatim cum colloquium habueris cum Rege, Rex te capiet; ſed potius arma tuos, & ita in caſtris ſedeant.* Bohemi ergo, ſicut furibun-

(1) Bud. *Petergazia.* (2) Chr. Bud. emendatius: *per galiotas Piſanorum,* (3) Idem *decem & octo.* (4) MS. *Orſova*

Digitized by Google

ribundi & bibuli, fecerunt, quemadmodum illis Solth laudaverat. Et alium nuntium misit ad Regem, dicens: *mittat Rex sagittarios circa Castra Ducis, ne cito ad castra sua equitare prævaleant.* Rex autem, ut fuit impetuosus, fecit sicut Solth dixerat, sine suorum consilio. Bohemi, videntes sagittarios venire, sine dubio sciverunt veritatem esse, quod audiverant. Qui impetum super sagittarios fecerunt; Bissèni atque Siculi vilissimi, usque ad castrum Regis, absque vulnere fugerunt. Rex autem hoc audiens, cum paucis, celeriter equitavit versus Hungariam; quia sui absque armis venerant, & qui arma habebant, armare se non poterant, quia inscii Regis consilii erant. Putabatque Rex, in consilio æqualem se Salomoni; in fortitudine Samsoni; in audacia Davidi; sed illis æqualis non erat. Bohemi autem acriter devastabant castra Regis. *Janus* vero *filius Urosa*, *Palatinus Comes* longe descenderat de Rege. Qui cum audissent, silenter unanimiter suos armaverunt, & impetum super Bohemos, qui castra devastabant, fecerunt. Contrivitque Dominus eos in ore gladii Hungarorum, & dira morte sauciavit. Misitque Janus post Regem nuntium, & manifestavit illi victoriam, quam Dominus ei dederat. Rex itaque reversus, gavisus est gaudio magno; sed valdedoluit, quia Solth in eodem prælio mortuus non fuit, qui tanta mala mendaciis simulabat. *Rex* autem *Stephanus* legitimam nolebat ducere uxorem; sed concubinis meretricibus junctus erat. Quare Barones & optimates, dolentes de Regni desolatione, & Regis sterilitate, duxerunt ei uxorem, Dominam nobilissimam filiam Regis *Roberti Viscardi de Apulia.* Venit itaque Dux Teutonicorum (1), nomine *Bezen*, ad Regem, & conquestus ei est, quod frater suus eum ducatu ejecisset; rogansque Regis clementiam, ut in propria persona sua ipsum adjuvaret. Rex autem Stephanus, volens injuriam patris sui, Regis Colomani, vindicare, promisit Ducem adjuturum; & collecto exercitu, ivit in Ruscìam. Cumque perveniisset primus, obsedit castrum. Contigit autem summo diluculo, quod prædictus Dux Bezen, ambulabat circa castrum, providendo loca expugnandi munitiones. Obsessi vero exiverant de castro, causa visitandi Hungaros. Cumque Dux vidisset illos, impetum fecit super illos; qui viriliter pugnantes, Ducem usque ad mortem vulneraverunt. Cumque Rex audisset de morte Ducis, indignatus est valde, & præcepit omnibus Hungaris, ut castrum oppugnarent, & eodem die eligerent, munitiones possidere, vel mori. Principes autem Hungariæ, habuerunt consilium, & dixerunt: *quid &*

(1) Legendum est: *Ruthenorum*, uti ex connexione sensus, inferius patet.

Digitized by Google

quare morimur? ſi ducatum vendicabimus, quem Rex ex nobis conſtituet Ducem? ſtabilitum igitur ſit inter nos, quod nullus caſtrum oppugnet, & dicamus Regi, quia hæc omnia, abſque conſilio ſuorum principum facit. Cum vero Principes veniſſent ad conſilium Regis, omnes in duas partes ſe tranſtulerunt. Sed *Cozma*, de genere *Paznam*, erexit ſe, dicens Regi: *Domine, quid eſt quod facis? ſi cum multa morte militum tuorum caſtrum capis, quem Ducem conſtitues? ſi inter Principes tuos eligis, nullus remanet. Numquid vos vultis Regno relicto habere ducatum? nos Barones caſtrum non oppugnabimus; ſi oppugnare vis, ſolus pugna: nos autem in Hungariam recedemus, & nobis Regem eligemus.* Unde ex præcepto principum, præcones in caſtris clamabant, ut Hungari, quam citiſſime in Hungariam reverterentur. Rex itaque, cum vidiſſet, ſe ſuorum auxilio juſte deſtitutum, reverſus eſt in Hungariam. Poſt hæc tertio anno, fines Polonicos, miſſis exercitibus, devaſtavit. Deinde miſit exercitum, ſolummodo phalanges aulicorum ſuorum, & partes Bulgariæ & Serviæ devaſtavit. Interea *Imperatrix Conſtantinopolitana*, filia Regis Ladislai, nomine *Pyrisk*, nuntiavit Regi Stephano, quod Imperator ipſe, videlicet maritus ſuus, in ejus opprobrium, ipſi Regi improperaret, dicens, Regem Hungariæ eſſe hominem ſævum; quam etiam contradicentem, Imperator caſtigaſſet. Cum autem hæc audiſſet Rex, pro nimia reputavit injuria; & collecto exercitu, in impetu ſpiritus ſui, invaſit partes Græciæ, atque aliquas civitates Græciæ igne & gladio devaſtavit: & cecidit timor ſuper omnes civitates provinciæ illius. Timebantque omnes Reges, Stephanum Regem tanquam ictum ſulminis; unde infantes vagientes, comminatione nominis Regis Stephani, quieſcere compellebantur. Habebatque Rex ſecum ſeptingentos milites Francos, cum quibus Bulgariam devaſtabat; & per eorum ingenia, muros caſtrorum Græciæ deſtruebat. Ea de cauſa, quod Imperator ad conflictum non veniebat ad ipſum, miſit Rex nuntium ad Imperatorem Græcorum, & vituperavit eum, dicens: *quod non eſſet dignus vocari Imperator, neque Rex, ſed anus & vetula, quia ſicut vetula ſemper eſſet in otio.* Quo audito, Imperator reſpondit, dicens: *indubitanter eredat Rex, quod ſua, in præſenti anno, ſimul cum umbilico, virilia incidam.* Ea de cauſa miſit Imperator exercitum ingentem in Hungariam, in *Haram*, & Hungari aliquem impetum facere non potuerant, quia Græci, per ingenia inflammabant ignes ſulphureos, in naves Hungarorum, & eas in ipſis aquis incendebant. Miſit itaque Rex, omne robur Regni ſui, contra Græcos, quibus præfecit *Stephel* (1). Qui venientes, pugnaverunt, cum Græcis, ultra *rivulum Karaſo*, verſus

(1) MS *Setephek*

Digitized by Google

verſus *Boron.* Fuitque manus Domini cum Græcis, nec potuerunt Hungari reſiſtere. Tanta ergo ſtrages raro facta eſt, quanta ibi contigit. Rivulus enim *Karaſu*, humano ſanguine, in tantum mixtus fuerat, quod omnino ſanguis eſſe putabatur. Iacebantque loricati homines in fluvio, tanquam trunci, ſuper quibus fugientes & perſequentes, tranſibant rivulum, quaſi ſuper ponte. Mactabantur autem Hungari, tanquam boves; nec erat, qui redimeret eos de manibus Græcorum; *Ciz* vero Comes, & alii boni milites, ibidem occubuerunt. Poſt hæc, Imperator & Rex, per fideles nuntios, convenerunt ad colloquendum, navigantes in inſulam, quæ civitati *Borouch* (1) proxima eſt. Ibi vero, inter principes ſuos, diu ſe excuſantes & incuſantes, tandem pace roborata, redierunt ad propria. Rex itaque Stephanus, multa mala faciebat, quæ non debebat, in impetu animi ſui. Nam *Chriſtianam* (2) combuſſit, & ſuper homines, coćturas cum ſtercore equino faciebat fieri: cereos magnos ardentes, in fundamentum hominis ſtillare faciebat. *Dux Almus*, ſeveritate Regis Stephani minoris, mediam capitis ſui diminutionem paſſus fuerat. Quamvis fuiſſet obcæcatus; tamen, mortem timens, de Rege Stephano, fugerat in Græciam. Qui ab Imperatore honorifice ſuſceptus, impoſuit ſibi nomen *Conſtantinus*; qui & ibi jam pridem ædificaverat civitatem *Conſtantinam*, in Macedonia. Et multi Hungari, atrocitate Regis Stephani, fugerant ad ipſum. Quo mortuo, corpus ejus, præcepto Regis, *Fulbertus Epiſcopus* reportavit, & in *Albenſi eccleſia* ſepelivit. *Bela* vero filius ejus, in Hungaria occulte tenebatur a principibus, propter furorem Regis. Qui omnes, inito conſilio, Regi manifeſtaverunt, quem poſt excæcationem mortuum credebat. Quem cum Rex veraciter ſciviſſet vivere, a *Paulo Epiſcopo* & *Othmare comite*, quorum conſcientia retentus erat, gaviſus eſt gaudio magno; quia abſque dubio ſciebat, ſe hæredem non habere, ſtatimque miſit nuntios *in Serviam*, & filiam *Uros comitis magni*, in legitimam uxorem Belæ traduxerunt, quæ non poſt multos dies procuravit *Geycham.* Quo audito, Rex gaviſus eſt valde. Diſpoſuerat eum Rex vivere in *Talna*, & dabantur ei regalia ſtipendia. Antequam vero Rex Belam ſciviſſet, conjuraverat Regnum, ut poſt eum filius ſororis ejus *Sophiæ*, nomine *Saul*, regnaret. Contigit autem, ut Rex incideret in gravem infirmitatem *Agriæ*, ita ut omnes illi mortem imminere viderent. *Bors* vero Comes, & *Ivan*, inani ſpe ducti, a traditoribus in Regem electi ſunt. Cum autem

Deo

(1) MS *Bororich.* (2) MS. *Dominam Chriſtianam.*

Digitized by Google

Deo volente Rex convaluiſſet, Ivani caput decollavit. Bors vero comitem, turpiter de curia rejecit in Græciam; & ita ſtatutum eſt, quod de propagine ejus, amplius ad curiam regiam, nullus dignus eſſe judicaretur intrare. Propter hoc autem principes auſi ſunt Regem Belam manifeſtare, quia ſuper hoc Rex valde condolebat, qui ſibi ſuccederet. *Rex* autem *Stephanus*, diligebat *Cunos* tunc temporis, plus quam decebat: quorum Dux, nomine *Tatar*, qui a cæde Imperatoris, cum paucis, ad Regem fugerat, cum Rege morabatur. Rex autem incidit in dyſenteriam. Cuni vero, qui permiſſionibus Regis, fuerant aſſueti ſceleribus, nec tunc minus ſæviebant in Hungaros. Hungari vero, cum audiſſent, quod Rex in mortis eſſet articulo, interfecerunt Cunos, qui eorum bona diripiebant. *Tatar* autem, Dux Cunorum, conqueſtus eſt Regi, de nece ſuorum. Rex autem putabat, ſe aliquantulum alleviatum eſſe ab ægritudine. Cumque vidiſſet Tatar lachrymantem, ceteroſque Cunos circumfuſos lamentantes, quia ſupra modum diligebat eos, infremuit, & dixit: *ſi ſanitati reſtitutus fuero, pro unoquoque, quem ex vobis interfecerunt, decem interficiam: nunc, de vita mea ne deſperetis, quia convalui;* & his dictis, extendit manus ſuas in Cunos. Qui præcipites irruerunt, ad oſculandum manus, & præ nimia preſſura, defatigaverunt Regem; unde etiam recidivo dolore correptus, ſublatus eſt de medio. Sed cum eſſet in articulo mortis, monachalem habitum, relicto Regno, ſuſcepit: *Anno Regni ſui* XVIII (1), Et ſepultus *Waradini*. Migravit autem ab humanis, *anno Domini MCXXXI.*

CAPUT LXIV.

De Regno Secundi Belæ, Cæci, filii Ducis Almi, filii Geyſæ, filii Regis Belæ Primi.

Regnavit autem poſt eum *Bela cæcus*, filius Ducis *Almi* cæci; omnemque numerum malorum devitans, bonorum operum exercitationi, humiliter adhærebat. Nec poſuit carnem brachii ſui in adjutorium, nec habuit fiduciam in homine; ſed ad altiſſimum poſuit refugium ſuum, & factus eſt Dominus protector ejus, & deduxit eum in multitudine miſericordiæ ſuæ, de fructu ven-

(1) Chr. Bud. addit: *& menſibus V.*

Digitized by Google

ventris ſui, poſuit ſuper ſedem ſuam. In eo enim eſt completum illud propheticum verbum: *Dominus ſolvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Et iterum: *Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non ſiet.* Creverat enim puer cæcus, regnante Stephano, filio Regis Colomani (1). Confirmatum eſt ergo regnum, in manu ejus; & inimicos ejus dedit Dominus in opprobrium, uſque in præſentem diem; genuitque quatuor filios, ſcilicet *Geyſam, Ladislaum, Stephanum,* & *Almum.* Quo regnante *Regina Helena,* habito conſilio Regis & baronum, fecit congregationem generalem in regno, juxta *Arad.* Illa igitur die dictæ congregationis, dum Rex ſediſſet ſuper ſolium regni ſui, venit Regina cum filiis ſuis, & ſedit circa Regem. Dixit autem ad populum univerſum: *omnes fideles, nobiles, ſenes & juvenes, divites ac pauperes, audite: cum unicuique veſtrum, Deus viſum dederit naturalem, volo audire, cur Dominus noſter Rex ſuis oculis ſit privatus; & quorum conſilio hoc ſit actum? modo mihi propalate, & eos, fideliter in hoc loco vindicantes, nobis de ipſis finem date. Ecce enim Deus Regi veſtro pro duobus oculis dedit filios quatuor.* Facta igitur hac voce, irruit omnis populus ſuper illos barones, quorum conſilio Rex obcæcatus fuerat, & quoſdam ex ipſis ligaverunt, quoſdam vero detruncaverunt; ſexaginta autem & octo profanos, ibidem crudeliter occiderunt; & omnes ſucceſſores eorum, tam viri, quam mulieres, eodem die ſunt regiſtrati. Inſuper omnis illorum poſſeſſio, Eccleſiis Cathedralibus eſt diviſa. Et ſic omnes *villæ conditionales* de Hungaria, *donationes Regum* nominantur. Quia vero Hungari, ſemper fluctuant injuria, ſicut mare ſalſum: filii Leviatan, per nuntios invitabant *Borich* adulterinum, ut veniret, & eorum adjutorio, regnum ſibi vendicaret; credentes, ipſum eſſe filium *Regis Colomani.* Borich itaque, aſcito Ruthenorum Polonorumque auxilio, venit in confinium Hungariæ, in directo loco, qui dicitur *Seo.* Rex autem collecto exercitu ibat obviam ei. Plurimi autem ex nobilibus in partem Borichii declinaverunt. Proceres autem Hungariæ, vocati ſunt ad colloquendum cum Rege. Interrogavit autem eos Rex, *ſi ſcirent, Borichium adulterinum eſſe, vel filium Regis Colomani?* Fideles autem regni reſponderunt, *quod indubitanter ſcirent, Borichium eſſe adulterinum, & nullatenus dignum corona Regis.* Infideles autem & contradictores muſſitabant inter ſe incerta, & titubantes, in duas partes claudicabant. Rex autem & conſiliarii ejus quantum in ipſis

(1) Chron. Bud. ulterius pergit: *& mortuo ipſo coronatur quarto Kal. Maii feria tertia.*

Digitized by Google

ipſis erat, ſegregaverunt hœdos ab agnis, & firmiter ſtatuerunt, ut ibidem interficerentur proditores; ne forte, ſi diutius differretur, traditores transferrent ſe ad Borich, & hoc regni verteretur in periculum. Orta eſt igitur ſeditio; & ibidem ceperunt *Lampertum* comitem. Quem, cum extraxiſſent a Rege, frater ejus germanus, cum ſedili quodam ſcidit per medium caput ejus, & cerebrum per ſciſſuram exivit. Nicolaum comitem filium ejus ibidem decollaverunt. *Moynolth* de genere *Akus*, & alios ibidem occiderunt. Reſidui vero ex traditoribus, ſeceſſerunt in partes, & collectis viribus ſuis voluerunt Regem invadere. Fideles autem occurrerunt eis. Erat autem caput traditorum, *Tyodor* de genere *Simad*, & *Folcus*, ac *Titus*, & præcipuus *Samſon*. Laudavit autem *Samſon*, qui erat pater comitum, *Thomæ* (1) & *Thurdo* (2), quod iret in conventum Regis, & ipſum coram multis vituperaret. Quo audito, omnes laudaverunt. Et ipſe *Borich*, inani ſpe ſeductus, grates ei magnas retulit; & quod inceperat, hoc adimplere non ſimulavit, putans, eum de vituperatione Regis regnum habere. Rex autem deſcenderat prope *fluvium Seo*; & cum ſederet in papilione ſua, cum ſuis principibus & militibus, ecce *Samſon* intravit, & Regi dixit: *quid facis viliſſime canis cum regno? utilius eſt dominio tuo, Borich regnum habere, & tu vivas in monaſterio tuo, ſicut vixit pater tuus.* Cum vero principes regni ſubito commoti fuiſſent, *Joannes* filius Othonis, *notarius Regis*, *Synigienſis præpoſitus*, dixit ad comitem *Bud*: *quid expectamus? quare non apprehendimus eum?* Cumque apprehendere voluiſſent, ille citiſſime equum aſcendens, fugiebat. Illi autem ad præſens equum non habebant, qui de circulo, Regis ad conſilium pedites venerant; ſed tamen clamor magnus fuit. Cum autem ſerviens comitis Bud, clamorem audiſſet, equum ſine ſella aſcendit, & ipſum cum lancea uſque Seo perſecutus eſt. *Tyodor* autem, & alii ſocii ejus, volebant navim intrare, & illum citiſſime traducere; ſed uſque huc non potuerunt. *Samſon* vero equitans cecidit in fluvium, quem perſecutor in fluvio lanceavit. Habebatque Samſon ſub tunica panceriam, & præ gravamine loricæ, natare non poterat. *Borich* autem cum magna multitudine Ruthenorum & Polonorum caſtra metatus eſt prope ad Regem. Proceres autem regni Hungariæ miſerunt ad Ducem Ruthenorum & Polonorum, qui pro Borichio venerant, dicentes: *non decet vos contra juſtitiam quærere regnum homini adulterino. Nos enim ſcimus, quod de jure regnum habere debeat Bela; & ipſe regnat cum conſenſu totius regni.*

(1) MS. *Thomas* (2) Idem *Turda.*

Digitized by Google

regni. His auditis, Duces Ruſciæ & Poloniæ deſtiterunt amplius adjuvare Borichium, & reverſi ſunt ſinguli in ſuas provincias. Borich autem cum multitudine populorum venit pugnare contra Regem. Rex autem divino fretus conſilio & auxilio, contrivit omne robur Borichii in prælio, & fugavit illum in gladio, concluſitque exercitum Polonorum in morte, in ipſa feſtivitate Mariæ Magdalenæ accipiens ſpolia eorum; & reverſus eſt cum magna victoria. In ipſo autem prælio acriter & præcipue pugnaverunt *Mykſa*, *Gaab*, & *Bathur*; & multos ex illis ceperunt, & interfecerunt; erantque eorum loricæ ſanguine humano confectæ. In hoc prælio *Mykſa* cepit *Tyodorium* incentorem malorum. *Voſos* cepit *Vitalem*. *Gaab* vero fratrem comitis de Cracovia *Polonum*. *Bathur* cepit *Endre*. Quos, cum ad Regem duxiſſent, grates multas retulit eis, & elegantiſſime remuneravit eos. Poſtquam autem regnum confirmatum eſt, in manu Regis Belæ, utebatur ex vino multum; cujus aulici conſueti erant, quidquid in ebrietate Regis petebant, habebant, & poſt ebrietatem Rex recipere non poterat. *Poch* & *Saul* viros religioſos in ebrietate ſua tradidit in manus inimicorum ſuorum, qui abſque cauſa interfecti ſunt. Regnavit ipſe *Bela* cæcus *annis novem*, *menſibus novem* (1), *diebus duodecim*. Migravit autem ad Dominum *anno Domini MCXLI. Idibus Februarii*, *feria quinta*; cujus corpus *Albæ* quieſcit.

CAPUT LXV.

De Coronatione Regis Geyſæ Secundi filii Regis Belæ cæci Primogeniti, & de ejuſdem geſtis.

Reſpexit autem Dominus Hungariam, & dedit propugnatorem gradientem in multitudine fortitudinis ſuæ. Dedit enim Dominus regnum *Geyſæ*, puero ſuo. Qui in *die ſanctæ Cæciliæ Virginis* (2) coronatus eſt; cujus dexteram apprehendit, & confortavit, ſubjecitque ei gentes multas, & dorſa regum vertit in fugam a facie gladii ejus. *Rapolth* vero miles *Almanus*, caſtrum *Poſon* ex induſtria & probitate *Juliani* comitis ceperat. Quod Hungari non pro modica habuerunt penuria. Sed Rex adoleſcens, ei non ſilenter acquievit. Duxit enim Rex exercitum contra furorem Teutonicorum inſultantium, & Hungariæ con-

Z 2

(1) MS. cum Chron. Bud. & utraque edit. Brun. & Aug. habent *XI.* (2) Chr. Bud. *quarto Kal. Martii, in Dominica invocavit me tranſactis duobus diebus poſt mortem patris.*

Digitized by Google

confinia devaſtantium. Quamvis enim Cæſar in propria perſona non venerat ſuper Regem: univerſum fere robur regni Teutonicorum ad extirpandam Hungariam commoverat. *Henricus* autem quidam *Dux Auſtriæ* principalis adverſarius Regis omnes bellatores de Saxonia & de Bavaria, ſecum adduxerat; erat enim tutor pupilli, Ducis Henrici Leonis, cui Saxonia & Bavaria, jure hæreditario, competebant. Congregati ſunt itaque Teutonici, in multitudine fortitudinis ſuæ confidentes; & ſicut gigantes ſteterunt contra Hungaros. Rex autem, cum univerſo exercitu ſuo, poſuit ſpem ſuam in Deo, & ordinatis agminibus, cepit ire contra hoſtes ſuos. Sed & Sacerdotes, & Levitæ, cunctique clerici, qui aderant in ſpiritu contribulato, & corde contrito, implorabant adjutorium Domini noſtri Jeſu Chriſti, & præſidia ſanctorum Angelorum, & maxime invocabant clementiam Dei Genitricis Virginis Mariæ, cujus patrocinio, Beatus Rex Stephanus, Hungariam, ſpecialiter commendavit. Rex autem, accinctus eſt gladio, & gloria Domini apparuit ſuper eum, confortatumque eſt illico cor ejus divinitus, & ipſe robuſtior factus, quam prius, exhilarata eſt facies ejus; & totus alacer ibat ad prælium. Cumque appropinquaſſet *Guncel* quidam Autenticus, qui utramque linguam eorum bene noverat, nuntiavit Regi, quod exercitus Teutonicorum appropinquaret, & dixit optimum tempus eſſe Regi, ut irrueret ſuper eos, quia pauci eſſent, & non omnes, quos in adjutorium vocaverant, veniſſent. Tunc Rex cum omni exercitu ſuo accelleravit ſuper eos, trans metas Hungariæ. *Teutonici* vero, quaſi gigantes obſtabant, in equis arduis & optimis; in ſuperbia & abuſione inſultantes, impetebant Hungaros, ut contumeliis ſuis terrorem eis incuterent. *Hungari* vero ex adverſo appropinquaverunt ad prælium, & intonuerunt buccinis, & clanxerunt claſſicis, & clamaverunt ad Deum. Et clamor vociferantium aſcendit in cœlum; & commiſſum eſt prælium. *Biſſeni* vero peſſimi, & *Siculi* viliſſimi, omnes pariter fugerunt, ſicut oves a lupis, qui more ſolito præibant agmina Hungarorum. Tunc etiam, priuſquam Hungari confligere cepiſſent, quædam agmina Hungarorum perterrita ſunt a furore Teutonicorum. Prævaluerunt Teutonici Hungaris, in initio bellici conflictus; qui, ſicut hæretici, circa principia ſemper ferveſcunt, & in fine tepeſcunt. Tunc avunculus domini Regis Belæ, *Ban* nominatus, glorioſus in millibus ſuis, irruens ſuper agmina Teutonicorum, percuſſit eos ex adverſo graviter, & magnam ſtragem fecit in illis. Sed & electi milites Regis impetum fecerunt in hoſtes, gravatumque eſt prælium contra Teutonicos, & fortitudo eorum diſſipata eſt, & corruerunt in ore gladii plus quam ſeptem millia bellatorum; reſidui vero fugerunt. Salvavit igitur Deus

Hun-

Digitized by Google

Hungaros in die illa de faucibus draconum crudeliter sævientium. Ibi usque adeo contritum est robur Teutonicorum, quod nec rusticis Hungaris in confinio eorum habitantibus, aliquam injuriam, seu quodcunque gravamen inferre præsumserint. Rex autem divina gratia felici potitus victoria, simul cum universa gente sua benedixit, & glorificavit Deum. In eodem autem prælio comes *Uros* cepit comitem *Rapolt* Teutonicum; qui jam pridem nocturnis insidiis castrum Poson occupaverat; & *Gabriel Ottonem* (1). Post hæc in diebus illis fames afflixit Hungariam, quæ magnam partem hominum in morte absorbuit.

CAPUT LXVI.

Quomodo Cæsar Conradus per Hungariam versus Hierosolymam iverit.

Circa etiam eadem tempora *Conradus Cæsar* iter fecit Hierosolymam per Hungariam. Hungariæ vero non Christi peregrinus apparuit, in qua non pacem, sed potius iram tyranni & prædonis exercuit. Nam petitionis simulatione inventa pro aditu, a regno Hungariæ pecuniam non modicam extorsit; ita, ut nulla Ecclesia, sive monasterium totius Hungariæ remaneret, de quo pecunia non extraheretur, & peregrinanti Cæsari præ timore non offerretur. Cujus Cæsaris præcessum egregius *Rex Francorum* venerabiliter, & ut decet Christi peregrinum subsecutus, a Rege Geysa honorabiliter susceptus est; apud quem aliquamdiu commoratus, compaternitatis vinculo Regi Geysæ sociatur: & tali dilectionis nodo internexo multis muneribus a Rege Geysa honeste conducitur; & præter omnem regni molestiam per Hungariæ fines cum suo exercitu in Græciam penetravit. Postmodum autem *Rex Geysa* referente quodam milite suo, nomine *Gurk*, audivit, quod *Borich* adulterinus Regis Colomani esset in comitatu Regis Franciæ, misitque ad eum dicens: *non est bonorum, reddere malum pro bono: nec insidiantem vitæ meæ vestrum erit defendere.* His auditis, facta est contentio inter Reges Francorum. Quærebant enim milites ejus, quisnam esset inter eos, qui mortem Regi machinaretur, ut inventus, ab his interficeretur. Borich autem venerat consilio quorumdam Hungarorum; ut, si ipse regnum intrare posset, tunc a multis pro domino haberetur, & relicto Rege ei

(1) MS. *Acconem.*

Digitized by Google

multi adhærerent. Qui vero, cum talia audiſſet, ſtatim ad pedes Regis Francorum ſe proſtravit, vitam ab eo & veniam rogaturus; ut eum abſque læſione extra regnum cum eo ire permitteret. Cumque Rex Geyſa audiſſet, Borich eſſe apud Regem Francorum, rogavit eum, ut pro amicitia ſua Borichium ei vinctum remitteret. Cumque hoc Rex Francorum audiſſet, dixit: *noverit Rex, quod domus Regis eſt, quaſi Eccleſia; pedes ejus, quaſi altare: & quomodo poſſum reddere vinctum eum, qui ad domum regalem, quaſi ad Eccleſiam; & ad pedes Regis, quaſi ad altare ſe proſtravit?* Cui nuntius ait: *quoniam magiſtri noſtri ſic interpretantur, ut adulterinam progeniem Eccleſia non communicat.* *Borich* autem videns ſibi mortem imminere; ea nocte rapuit unum dextrarium Regis Lodowici, & aufugit. Quidam autem de Agaſonibus occurrens ei, voluit eum tenere, quem Borich cum gladio percutiens a vertice uſque ad medium pectus ejus diſcidit, & ipſe manus ſequentis evaſit. Poſt hæc autem *Rex Geyſa* dedit ducales expenſas fratribus ſuis *Ladislao* & *Stephano*; duxitque exercitum in Ruſciam ſuper *Lodomerium* Ducem; ut vindicaret injuriam ſoceri ſui *Minosloi*; pro quo etiam jam pridem miſerat exercitum, qui male tractatus fuerat a Ruthenis & Cunis. Regnavit autem *annis viginti, menſibus tribus, diebus quindecim* (1). Migravit autem ad Dominum *anno Domini MCLXI pridie Kalendas Junii feria quarta*; cujus corpus *Albæ* quieſcit.

CAPUT LXVII.

De Coronatione Regis Stephani Tertii, filii Geyſæ Secundi filii, Regis Belæ cæci, & de uſurpatione coronæ per Ducem Ladislaum Secundum filium ejuſdem Regis Belæ cæci.

Loco ejus coronatur *Stephanus* filius ejus, & regnavit *annis undecim, menſibus novem, diebus tribus.* In cujus Imperio Dux *Ladislaus* filius Regis Belæ cæci uſurpavit ſibi coronam dimidio anno. Migravit autem ad Dominum *anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo* (2), *Kalendis Februarii feria prima*; cujus corpus *Albæ* quieſcit.

CA-

(1) Chron. Bud. *XI.* (2) Idem *IX. Kal.*

Digitized by Google

CAPUT LXVIII.

De usurpatione coronæ per Stephanum quartum filium Belæ Regis cæci.

Post hunc autem *Stephanus* frater ejus usurpavit sibi coronam mensibus quinque (1). Coronatus est autem *tertio Idus Februarii in Dominica Exurge*; devictus est autem in festo *sanctorum Gervasii & Prothasii feria tertia*, ubi nobiles Hungariæ corruerunt. Post hæc expulsus est de regno. Obiit in castro *Zemlen anno Domini millesimo centesimo septuagesimo tertio Idus Aprilis* (2) *feria quinta*; cujus corpus *Albæ* quiescit. Idem vero *Rex Stephanus* filius Geysæ migravit ad Dominum *anno Domini millesimo centesimo septuagesimo tertio, quarto nonas Martii feria prima*; cujus corpus *Strigonii* quiescit.

CAPUT LXIX.

De Coronatione Regis Belæ Tertii, fratris Stephani similiter Tertii, filii Geysæ Secundi.

Postea regnavit *Bela*, frater ejus, qui latrones & fures persecutus est: *& petitionibus loqui* traxit originem, ut Romana habet curia & Imperii. Qui coronatus est in diebus (3) Januarii, feria prima. Regnavit autem annis XXIII. mense uno, diebus XIX. Obdormivit autem in Domino, *anno ejusdem MCXC. Kalendis Maji* (4), *feria tertia*; cujus corpus, *Albæ* quiescit honorifice tumulatum.

CAPUT LXX.

De Coronatione Emerici Regis, filii Belæ Regis Tertii.

Cui successit *Emericus*, filius, ejus & regnavit annis VIII. mensibus VII. diebus VI. Hujus uxor *Constantia*, filia Regis Aragoniæ, Cæsari Frederico

(1) Idem: *& diebus quinque.* (2) MS. cum Chron. Bud. & edit. Brun. habent distinctissime. *Tertio Idus Aprilis.* (3) Chr. Bud. *Idibus.* (4) Idem: *IX. Kal. Maii.*

Digitized by Google

rico, per consilium Apostolici, copulatur. Migravit autem ad Dominum, *anno Domini MCC. pridie Kalendas Decembris, feria tertia;* cujus corpus requiescit *in Ecclesia Agriensi.*

CAPUT LXXI.

De coronatione Regis Ladislai tertii, filii Regis Emerici.

Post eum regnavit *Ladislaus*, filius ejus; & coronatus est VII. Kalendas Septembris, feria quinta. Regnavit autem mensibus sex, diebus quinque (1); migravit autem ad Dominum, *anno ejusdem millesimo ducentesimo primo, nonis Maji;* cujus corpus, *Albæ* quiescit.

CAPUT LXXII.

De coronatione Regis Andreæ secundi, filii Regis Belæ tertii, Patris Sanctæ Elizabeth; qui & Hierosolymitanus dictus est.

Huic successit *Andreas*, filius Belæ tertii; qui Andreas, coronatus est XXVII. die, post obitum Regis Ladislai, quarto Kalendas Iunii, in Pentecostes. Ejus uxor fuit Domina *Gertrudis*, de Alamania, de qua genuit *Belam*, *Colomanum*, *Andream*, & Beatam *Elizabeth*. Sed, proh dolor! humani generis inimico procul dubio suadente, uxorem *Bankbani*, magnifici viri, Domina memorata, vi tradidit cuidam suo fratri, hospiti, deludendam. Quam ob causam, idem *Bankbanus*, de genere *Bor* oriundus, suum gladium in Reginæ sanguine miserabiliter cruentavit, & diro vulnere sauciatam, *anno Domini MCCXII.* interfecit; cujus corpus, in monasterio Griseorum monachorum de *Pelis* (2) tumulatur. Pro cujus nece, vox flebilis insonuit in tota Pannonia; & in omni genere, *Bankbani*, execrabilis & horrenda sanguinis effusio, subsecuta est.

CA-

(1) Idem, *duobus* (2) Idem: *Pelys.*

Digitized by Google

CAPUT LXXIII.

De Peregrinatione ejuſdem in Hieroſolymam.

Poſt hæc Rex *Andreas*, terram ſanctam viſitavit, ad mandatum Domini Papæ; quod mandatum acceperat, dum eſſet adhuc Dux; ſicut habetur X. *de voto, & voti redemptione; cap. licet univerſis &c.* Quia ipſe complevit & redemit votum patris; & ibi in terra ſancta, ſuper exercitum Chriſtianorum, contra Soldanum Babyloniæ, Capitaneus & Dux præficitur; & mox victor efficitur glorioſus. Manſit autem tribus menſibus; regali denique theſauro expoſito, diverſorum Sanctorum per ipſum reliquiæ comparantur. *Caput* videlicet Sancti Protomartyris *Stephani*; & *caput* Beatæ *Margaritæ* Virginis & Martyris; & *manus dextera* Beati *Thomæ* Apoſtoli, & Sancti *Bartholomæi*; item de *Virga Aaron*; & *una de ſex hydriis* illis, in quibus Chriſtus mutavit aquam in vinum; & aliæ multæ, quas potuit tunc congregare. Reverſuſque in Hungariam, cum pretioſis theſauris Sanctorum, regnum ſuum reinvenit in proſpero ſtatu: non tamen hoc ſuis meritis; ſed Sanctorum, quorum reliquias afferebat, adſcribi voluit. In occurſum ergo Regis, *Benedictus*, filius *Erga* (1) Cancellarius Reginæ, omnes prælatos Eccleſiæ, compellebat. Modo autem, illas reliquias Sanctas, ſpecialiter illæ Eccleſiæ habent, quarum prælati, Regi venienti, obviam occurrerunt. Tranſactis itaque novem annis, Rex generoſam *Eliſabeth*, filiam ſuam, nobili viro, *Ludovico Thuringiæ Landgravio*, copulavit. Qui poſt multos annos, ſimiliter cruce ſignatus, devote Hieroſolymam pergens ibidem migravit ad Chriſtum; cujus feſtum, Hieroſolymis devote celebratur. Migravit autem Rex Andreas ad Dominum, *anno Domini milleſimo CCXXXV.* triceſimo anno regni ſui; cujus corpus, in monaſterio *de Egrus* (2), feliciter requieſcit.

CA-

(1) MS. & Chr. Bud. *Ega.*

(2). Chr. Bud. *cujus corpus Varadini, ad pedes S. Ladislai requieſcit.*

Digitized by Google

CAPUT LXXIV.

De Coronatione Regis Belæ Quarti, filii Andreæ Regis Secundi; & de introitu Tartarorum primo & de miſerabili deſtructione Regni Hungariæ per eoſdem.

Rex *Bela* poſt eum, filius ejus, coronatus eſt, pridie Idus Octobris, feria prima, qua cantatur: *da pacem Domine*, in cathedrali Eccleſia Beati Petri, Albæ, quam ipſe conſecrari fecit, Colomano Duce, fratre ejuſdem, enſem regalem, ad latus ipſius, honorifice tenente; Daniele vero, Duce Ruthenorum, equum ejus, ante ipſum, ſumma cum reverentia ducente. Regnavit autem XXV (1). annis. *Anno Domini MCCXLI.* ipſo Bela regnante, *Mangali* ſive *Tartari*, cum quinquies centenis millibus armatorum, regnum Hungariæ invaſerunt. Contra quos Bela Rex, juxta flumen *Seo* (2) prælians, vincitur; in quo prælio, fere extinguitur militia regni Hungariæ univerſa. Ipſo vero Bela Rege, ad mare fugam faciente, Tartari uſque ibi ipſum crudeliter inſequuntur. Manſerunt enim ipſi Tartari in Regno Hungariæ, tribus annis. Et quia ſeminare illis temporibus non potuerunt Hungari; ideo multo plures, poſt exitum illorum, fame perierunt, quam illi, qui in captivitatem ducti ſunt, & gladio ceciderunt. Poſt hæc autem, Rex Bela reverſus eſt de maritimis partibus, & *Ducem Auſtriæ Fredericum*, virum *bellicoſum*, ante *novam civitatem*, gens occidit Hungarorum, in prælio, & transfixit per maxillam. Licet vero idem Dux, ceciderit in hoc bello, Bela tamen, Rex præfatus, triumphum cum Hungaris perdidit.

CAPUT LXXV.

De bello Regis Belæ, cum Othocaro Rege Bohemorum.

Poſt hæc idem Rex, *anno Domini MCCLX.* congregavit exercitum copioſum, contra *Othocarum* Regem Bohemorum, circa *Moraviam*, una cum filio ſuo Stephano, & Alpra, Duce Cumanorum. Sed victus, fugit circa *Haymburg*, tertio

(1). Omnes unanimiter habent: XXXV. *annis.* (2) Chr. Bud. *Sayo.*

Digitized by Google

tertio Idus Julii. Erat enim Rex Bela vir pacificus; & in exercitibus, & præliis minime fortunatus.

CAPUT LXXVI.

Quomodo populus, ejusdem Regis in temporibus, se flagellaverit?

Ipsius etiam tempore, *anno Domini millesimo CCLXIII.* plebs, flagellis se feriendo, universaliter discurrebat. Obiit autem, *anno Domini millesimo CCLXXV. Nonis Maji* (1), *feria sexta*, in festo Inventionis sanctæ Crucis, in insula Budensi; & sepultum est corpus eius Strigonii, in Ecclesia Fratrum minorum, constructa ad honorem virginis glorioſæ, quam ipse dominus Rex Bela, adhuc vivens, sumptuoso opere, & pulchro, fecerat inchoari: ubi cum domina Regina, consorte sua, Maria nomine, filia Imperatoris Græcorum, & Duce Bela, filio suo chariſſimo, feliciter requieſcit; vir virtutibus plenus, cujus memoria, quasi mel dulcoroſum, usque in diem hodiernum, in ore omnium Hungarorum, & aliarum plurium nationum, suaveſcit. Cujus corpus, *Philippus Archiepiſcopus Strigonienſis*, de Ecclesia memorata, auferri exhumando fecerat contra jura; & in sua Ecclesia Cathedrali, indebite tumulari. Super quo facto, coram summo Pontifice, causa diutius ventilata; Fratres minores, cum honore maximo rehabere, ex integro meruerunt, & coram Virginis ara, glorioſius condiderunt. Ubi hi pulchri versus continentur.

Aspice rem charam, tres cingunt Virginis aram:
Rex, Dux, Regina, quibus assint gaudia trina.
Et sequitur;
Dum licuit; tua dum viguit; Rex Bela, potestas;
Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honestas.

(1) Chr. Bud. *anno Domini* MCCLXX. *quinto nonas Maji.*

Digitized by Google

CAPUT LXXVII.

De coronatione Regis Stephani Quinti, filii Regis Belæ Quarti.

Poſt ipſum, *anno Domini MCCLXX* (1) cepit regnare filius ejus, *Stephanus*, ſuper totam Hungariam; qui Othocarum, Regem Bohemorum, Hungariam, cum Bohemis, Auſtrialibus, Brandeburgenſibus, ac ceteris mixtis gentibus, cum potentia venientem, ante fluvium *Rapcha* (2), devicit viriliter, ac fugavit; præterea *Budam* (3), civitatem Bulgarorum expugnavit, & Bulgaros ſuperavit, Regem eorum, ſibi compulit deſervire. Regnavit autem duobus annis, & mortuus eſt, in anno tertio Regni ſui, in magna inſula; & ſepultus eſt, in Eccleſia Beatæ Virginis, *Inſulæ Budenſis*, in loco Beginarum.

CAPUT LXXVIII.

De coronatione Regis Ladislai Quarti, filii Regis Stephani Quinti, qui Kunfaczlo dictus eſt.

Cui ſucceſſit *Ladislaus*, filius ejus, & coronatus eſt eodem anno, quo mortuus eſt pater ejus, videlicet, *anno Domini MCCLXXVI.* (4) Qui Imperatore adjuvante, circa Moraviam, occidit Regem Othocarum ſupradictum, in prælio. Poſtea, cum *anno Domini MCCLXXXII.*(5), *Oldamur* (5) Dux Cumaniæ, congregato exercitu Cumanorum, circa lacum *Hood* vocatum, voluiſſet hoſtiliter Regnum invadere Hungarorum, ut ſuo dominio ſubjugaret; contra eum Rex Ladislaus, ut fortis Joſue pro gente ſua, & Regno pugnaturus, acceſſit. In cujus exercitu *Lorandus*, *filius Thomæ*, miles ſtrenuus contra Cumanos lanceavit, cum impetu virtutis ſuæ; & laudabiliter percuſſit plurimos, & proſtravit. Poſtea, cum prælium committeretur, inter partes, ſortiſſimum, ſubito & inopinate ex divina clementia, pluvia grandis exoritur, contra faciem paganorum; & qui in arcubus ſperabant & ſagitta, propter imbrium denſitatem, juxta propheticum, facti ſunt, ut ſtercus terræ. Et ſic Rex Ladislaus, victoriam obtinuit, divino fretus auxilio.

CA-

(1) Chr. Bud. *ſeptuageſimo prim.* (2) Idem: *Rabcha.* (3) MS. Budun. Chr. Bud. *Bodun.* (4) Chr. Bud. *ſeptuageſimo tertio.* (5) Idem. MCCLXXII. (6) Idem, cum edit. Brun. & Aug. *Oldamur.*

Digitized by Google

CAPUT LXXIX.

De ſecundario Introitu Tartarorum.

Tandem poſtea, pauci de ipſis Cumanis, qui evaſerant, ad Tartaros fugerunt; quorum inſtinctu Tartari *anno Domini MCCLXXXV.* ſecunda vice intraverunt Hungariam, & uſque *Peſth*, univerſa miſerabiliter combuſſerunt. Iſte enim Rex Ladislaus, filiam Regis Caroli de Apulia, in conjugium habebat. Sed ſpreto thoro conjugali, filiabus adhæſit Cumanorum. *Ayduam* (1) *Cupchek* (2) & *Mandulam*, vocatis, ac alias quam plures in concubinas habebat; quarum amore, cor ejus eſt merito depravatum, & a ſuis baronibus & Regni nobilibus, odio habebatur.

CAPUT LXXX.

De adventu Firmani, Sedis Apoſtolicæ Legati.

Hinc inſuper contra eum, quia Cumanice, & non Catholice converſabatur, *Philippus Firmanus*, Sedis apoſtolicæ legatus, advenit; qui barbas radere, crines detruncare, contra mores Hungaricos, & pileos Cumanicos, quorum uſus in Hungaria jam in conſuetudine habebatur, abjicere demandabat Regem etiam, anathematis vinculo feriens, ut paganos odio haberet, ritum Chriſtianorum diligeret, & thoro viveret conjugali: ſed nihil in Rege proficiens, repatriavit.

CAPUT LXXXI.

De ſubita nece Regis Ladislai, per Cumanos facta.

Poſt hæc, in brevi, ipſe Rex, *anno Domini MCCXC.* feria ſecunda, proxima ante feſtum Sanctæ Margaritæ Virginis, & Martyris, prope caſtrum

(1) MS. *Cyduam.* Chr. Bud. *Eduam.* (2) MS. & Chr Bud. *Cupchech.*

Digitized by Google

ſtrum *Kererszeg*, (1). ab ipſis Cumanis, quibus adhæſerat (2), eſt miſerabiliter interfectus (3). Tempore enim iſtius Regis Ladislai, cepit Hungaria a ſua magnifica gloria reflecti; ut caſus flebiles, & eventus, inferius oſtendent. Ceperunt namque in ea inteſtina bella conſurgere, civitates conſringi, villæ, per combuſtiones, ad nihilum redigi, pax & concordia penitus conculcari, divites deficere, & nobiles ruſticari præ inopia paupertatis. Illo tempore, *biga*, ſcilicet duarum rotarum vehiculum, a Regni incolis *currus Ladislai* Regis dicebatur; quia propter continua ſpolia, animalia vehicula trahentia, defecerant in Regno: ſed homines, more pecorum, bigis juncti, vices animalium impendebant (4).

CAPUT LXXXII.

De Coronatione Regis Andreæ Tertii, Nepotis Andreæ Regis Secundi, qui & Venetus dictus eſt.

Poſt cujus Regis mortem, eodem anno, decimo octavo die, *Andreas* Dux de Venetiis, coronatur; qui vivente adhuc Ladislao Rege, adductus in Hungariam fuerat. Cujus Andreæ Regis ortum & originem videamus; ut, qua ratione meruerit, coronam Regni Hungariæ accipere, perſpiciamus. Cum enim Rex Andreas ſecundus, pater quarti Belæ Regis, & Colomani Ducis, mortua prima uxore ſua, vel potius interfecta, ut ſuperius dictum eſt, mare, ad mandatum Eccleſiæ, transfretaſſet, in terram ſanctam, ad pugnandum pro

(1) Chr. Bud. *Kyriszug.* (2) Idem ſupplet: *& ſpecialiter ab Arbuz, Turtule, & Kemenche, ac eorum cognatis, & complicibus, quibus communitas Cumanorum, habitis plurimis tractatibus, & conſiliis, commiſerat: in ſuo tentorio, medio ſilentio noctis, opportunitate captata, diris vulneribus ſauciatus.* (3) Idem poſtea continuat: *In quo Rege, quia ſine hærede deceſſit, defecit ſemen maſculinum ſanctorum Regum. Pro cujus nece, Myze Palatinus olim Saracenus, tunc tamen gratiam baptiſmatis conſecutus, audita morte Domini ſui, prædicti Regis Ladislai, ad vindictam tanti ſceleris, ſe viriliter ponens, elapſis aliquibus diebus, poſt mortem ipſius Regis, una cum Lyze fratre ſuo, & Nicolao fratre uterino, jam dictæ Eduæ Concubinæ, una dierum, ad deſcenſum prædicti Arbuz veniendo, quaſi in aurora, prædictos Arbuz & Turtule, cepit; & ipſum Arbuz, dividi fecit in duas partes, Turtule vero, dimembrari. Alios autem Cumanos, de genere eorundem, ac omnes ad eos pertinentes, &, quod plus eſt, etiam infantes in cunis, ſeu cunabulis jacentes, quos apprehendere potuit, juſſit decollari.* (4) Chr. Bud. cit. ita finit: *Idemque Rex Ladislaus, ſepultus eſſe dicitur, Chanedini.*

Digitized by Google

pro ſepulchro Domini; ibi victor exiſtens, revertebatur feliciter, cum honore. Tandem in Italiam applicuit, & quadam vice, apud Marchionem Eſtenſem, eſt magnifice hoſpitatus. Ille vero Marchio, cognoſcens Regem eſſe viduum, filiam ſuam excellenter pulchram, & bene ornatam, conſpectui Regis aſtare fecit. Rex vero, videns eam pulchram, & ſuis oculis gratioſam; cum abſque hoc, ducere vellet uxorem, cum eadem domicella, eodem die, contraxit matrimonium, & in Hungariam ſecum duxit. Mortuo vero Rege Andrea, Domina iſta, volens redire ad parentes ſuos; convocatis Principibus Regni Hungariæ, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ſe gravidam prole, manifeſtis indiciis demonſtravit; & ſic eſt reverſa in terram ſuam, *Eſth* vocatam, & ibi apud patrem ſuum, puerum maſculum peperit, quem in Baptiſmo *Stephanum* vocaverunt, qui nutritus & educatus eſt, ſub hoc titulo, quod eſſet filius Regis Hungariæ. Tandem ad ætatem ultimam deveniens, uſurpare doloſe Marchionatum voluit, avi ſui; ſed idem avus ſuus prævalens, ipſum remotius effugavit, & ſic Stephanus fugiens, abiit in Hiſpaniam, ad Jacobum Regem Aragoniæ, qui habebat in uxorem, ſororem iſtius Stephani, filiam Regis Andreæ, Regis Hungariæ, & ibi aliquamdiu commoratus, iterum in Italiam veniens, electus eſt poteſtas a civibus in Ravenna, inde fugatus, venit Venetias. Ibi autem vir quidam civis Venetenſis civitatis, potior & ditior, cognoſcens & ſciens veraciter, hunc eſſe filium Regis Hungariæ, tradidit ei filiam ſuam in uxorem, & omnium bonorum ſuorum participem eum conſtituit.

Ex illa autem habuit filium *Stephanus*, quem *Andream* vocavit, nomine patris ſui. Qui Andreas auxilio & conſilio avunculorum ſuorum, qui erant infinitarum divitiarum vivente adhuc Rege Ladislao, in Hungariam ſubintravit, eo quod eſſet Dux, qui deberet habere portionem, in Regno Regis Andreæ titulo avi ſui. Cum autem Rex Ladislaus, fuiſſet occiſus a Baronibus Regni, Andreas Dux, feliciter coronatur. Qui anno ſecundo Regni ſui, cum exercitu maximo Auſtriam debellavit. In cujus Imperio, quidam nobiles Regni, Joannes ſcilicet, & Henricus *Banus*, filii *Heurici* ac *Ugemus* (1), filius *Poch* (2) *de Wylak*, aliique quam plures, in præjudicium Regis Andreæ, a Papa Bonifacio VIII. Regem petierunt.

CA-

(1) MS. *Ugrinus.* (2) MS. *Pouch.*

Digitized by Google

CAPUT LXXXIII.

Quomodo in Præjudicium Regis Andreæ, Papa ad instantiam quorundam Baronum, puerum Carolum, in Hungariam destinaverit.

Quorum instantiam Papa admittens, quemdam puerum XI. annorum, nomine *Carolum anno Domini MCCXCIX.* vivente adhuc Andrea Rege, in Hungariam destinavit. Cujus Caroli generatio & origo tali modo habetur. Rex Stephanus quintus, filius Belæ quarti Regis Hungariæ, inter alias filias habuit unam, nomine *Mariam* vocatam, quam Carolo Claudo, filio Caroli magni, qui ex donatione Ecclesiæ, fuit Rex Siciliæ, tradiderat in uxorem. Qui Rex *Carolus Claudus*, ex illa filia Stephani Regis, genuit *Carolum Martellum* nomine: Carolus vero Martellus, ex filia Imperatoris Rodolphi, *Clementia* nomine genuit filium, quem primo in terra sua vocaverunt *Carobertum*, quasi *Carolum Robertum*, in Hungaria autem, ablato Roberto ipsum Hungari *Carolum* vocaverunt: ut autem iste Carolus regnare valeret, & contra Andream Regem, potestatem accipere, Papa, legatos unum & alium de latere suo, contra Regem Andream, pro Carolo destinavit, qui nihil agere valentes, ad propria redierunt. Interim *anno Domini MCCCI.* in festo Sancti Felicis (1), idem Rex Andreas, in castro Budensi requievit in Domino, & sepultus est in Ecclesia Sancti Joannis Evangelistæ, apud Fratres minores.

CAPUT LXXXIV.

De adductione Wenceslai Ducis, Filii Regis Bohemiæ, in opprobrium pueri Caroli, & de coronatione ejusdem.

Postea mortuo Rege Andrea, Barones Regni eodem anno, in duas partes celerius dividuntur; ita quod *Matthæus Omodeus*, & *Ugrinus*, potentissimi Principes in Regno, ac alii nobiles quam plures, Carolo puero adhæserunt, & eum Regem nominabant, verbo sed non facto; *Dominicus* vero, filius

(1) MS. & Chr. Bud. addit: *in pinetis.*

Digitized by Google

filius *Stephani* dicti *Porch*, magiſter Thauarnicorum, quondam Regis Andreæ *Demetrius*, filius Nicolai, *Henricus*, filius Henrici viri valde magnifici, cum *Joanne* Archiepiſcopo Colocenſi, & *Andrea* Epiſcopo Agrienſi, *Emerico* Epiſcopo Waradienſi, *Haab* Epiſcopo Vacienſi, *Antonio* Epiſcopo Chanadienſi, *Nicolao* Epiſcopo Boznenſi, & *Jacobo* Epiſcopo Scepuſienſi, cui uſque vitam fuerat conceſſus Epiſcopatus, in menſe Julio verſus Bohemiam proceſſerunt, ad Regem *Wenceslaum*, ut regni ſuſciperet gubernacula Hungarorum: *ne Regni liberi libertatem amitterent, in ſuſceptione per Eccleſiam, dati Regis.* Ad ipſum autem Regem Bohemiæ, ob hanc rationem poſuerunt greſſus ſuos; quia Rex Otthocarus, qui per Regem Ladislaum fuerat interfectus, ſicut eſt ſuperius enarratum, habuit in uxorem, filiam Dominæ Annæ, filiæ Belæ Regis quarti, qui ex ea genuit filium, nomine Wenceslaum, qui regnavit in Bohemia, patre mortuo multis annis. Qui Wenceslaus venire noluit; ſed filium ſuum, ex filia Imperatoris Rodolphi, procreatum & genitum nomine ſimiliter *Wenceslaum*, in quadam villa *Godin* (1) vocata, circa *Moraviam* ex parte Bohemiæ, quo præfati nobiles & Epiſcopi convenerant, in Regem Hungaris tradidit naturalem; & ipſi confectis inſtrumentis litterarum, & roborato fidei firmamento unanimiter ſuſceperunt. Abhinc *Te Deum laudamus*, altiſſime proclamantes ad Albam, civitatem Regiam, devenerunt: ubi Joannes Archiepiſcopus Colocenſis, cum Epiſcopis aliis ſuperius nominatis honorifice eum coronarunt. Sedes namque tunc Archiepiſcopatus Strigonienſis vacabat. Inde Budam venerunt; ibique Joannes Archiepiſcopus obdormivit in Domino, & Jacobus Epiſcopus Scepuſienſis, quievit in pace. Tumulantur autem in *Eccleſia Sancti Joannis* apud Fratres minores.

CAPUT LXXXV.

Quomodo Rex Ladislaus ſive Wenceslaus, exiverit de Hungaria, & in Bohemiam reverſus fuerit.

Poſtea Rege jam dicto, quem Hungari *Ladislaum* vocaverunt, in Buda degente, nullum caſtrum nulla potentia ſeu poteſtas, nullum jus regale ſicut

(1) Chr. Bud. *Godyn.* videtur eſſe hodiernum *Göding.*

Digitized by Google

ſicut Carolo puero, ex parte Baronum reſtituuntur; ſed una pars Regni *Carolum*, altera *Ladislaum* Regem appellabant, nomine tantum ſed non re, vel effectu regiminis ſeu poteſtatis. Tunc Rex *Wenceslaus*, pater Ladislai noviter coronati, videns, & conſiderans palliatas verſutias Hungarorum, *anno Domini MCCCIII.* cum multitudine exercitus, Pannoniam eſt ingreſſus, & juxta Danubium circa *Peſth*, aliquantulum reſidens Ladislaum filium ſuum, cum corona Regni accipiens, & Ladislaum filium Vernheri rectorem, ſeu judicem Budenſem (1), in ſuum Regnum in pace revertitur.

CAPUT LXXXVI.

Quomodo Papa per quoſdam Budens. Presbyteros extitit excommunicatus.

Eodem tempore Frater *Nicolaus*, de ordine Prædicatorum, Epiſcopus Hoſtienſis, Cardinalis Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuffultus, in Hungariam pro Carolo advenit. Qui Budæ reſidendo diebus aliquot videns, ſe nihil poſſe proficere, reverſus eſt in curiam, & ibi mortuo Bonifacio VIII. in ſummum Pontificem eligitur, & creatur, & Benedictus appellatur. In ſuo autem receſſu cives civitatis Budenſis, pro quodam caſu, interdicto reliquerat. Interdictum quippe religioſis & plebanis, ſtricte ſervantibus; ſurrexerunt pſeudo Sacerdotes & perfidi, qui manifeſte divina populo celebrabant, & Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrabant, publice interdictis. Inſuper malum malo cumulantes pernicioſius convocato populo, accenſis lucernis ſummum Pontificem, Chriſti Vicarium, Archiepiſcopos univerſos Regni Hungariæ, ac viros religioſos communiter excommunicatos, altis vocibus promulgabant. Hoc factum eſt *caſtrum Budenſe*, quodam dicto *Peternano* regente, quem pro Ladislao captivato, Rex præfecerat Wenceslaus.

CA-

(1) Chron. Bud. inſerit: & *quoſdam alios capiens.*

Digitized by Google

CAPUT LXXXVII.

De introductione Othonis Ducis Bavariæ, in Regnum Hungariæ, contra Puerum Carolum, per quosdam Barones facta; ac de coronatione, captivitate, & expulsione ejusdem.

Intera vero filii Henrici, & quidam alii nobiles *Othonem* Ducem Bavariæ, subintroducunt in Regem Hungariæ. Qui veniens coronam Regni, a Wenceslao ablatam petivit sibi dari; ac secum ferens, *anno Domini MCCCV.* Albam regalem civitatem petiit, ut ibi coronaretur legitime in Regem. Quem *Benedictus* Episcopus Vesprimiensis, ac Frater *Antonius* Episcopus Chanadiensis, in Regem inunxerunt, & dicta corona regia coronarunt. Inde Budam veniens, & in die solenni in decore Regio, coronam sanctam habens in capite per omnes plateas & vicos incedebat eques, cum populo copioso, ut cunctis, se esse Regem legitimum, publicaret. Qui in brevi terram *Erdeln* (1), cum *Bele* (2) filio *Thomæ* censuit visitare; ubi *Ladislaus Wayvoda* ipsum captivavit, & in castro suo tenuit vinculatum, multis diebus. Qui tam miserabili fortuna sibi occurrente, de Regno expellitur Hungarorum.

CAPUT LXXXVIII.

De inventione Regalis Coronæ, in via amissæ.

Nec hoc prætermittendum est, quod cum sancta corona, per dictum Othonem Ducem ad Hungariam portaretur; propter timorem hostium fecit illam includi, per artem tornatoriam in flasconem. Cum autem equitaret cum suis sub noctis silentio, in strata publica, in qua plurimi viatores transibant, casu de sella corrigiis, quibus erat flasco ille ligatus, resolutis, quasi vas vinarium nullo videnti collapsus est. Postmodum vero luce clarescente, dum vidissent non adesse thesaurum illum pretiosum; quo citius potuerunt, timore perculsi, retro celeriter cucurrerunt, atque coronam, inter multos transeuntes in

(1) MS. *Erdelew.* Chr. Bud. *Erdeel.* (2) MS. & Chr. Bud. *Beke.*

Digitized by Google

terra jacentem, in medio publicæ ſtratæ inventam, a nemine repererunt. Forſitan ceciderat in prima vigilia noctis, reinventa eſt autem ſequenti die circa tempus, non dubium, veſpertinum. Mirum certe, & miraculum non tacendum. Quid enim per hoc, quod illa corona cecidit, intelligo? niſi quia Dux ille uſque vitam ſuam, portare non potuit hanc coronam, ſed amiſit de capite coronam ipſam, pariter & honorem. Quid eſt, quod a nullo inventa, ſed ab ipſis, qui portabant, niſi quod ne Pannonia, data ſibi corona ab Angelo, privaretur. Quo facto in eiſdem eventibus, *Ladislaus* filius Vernheri, de captivitate Regis Wenceslai anno fere tertio liberatur; & cum Joanne filio *Chaak*, caſtrum Budenſe per portam, quæ eſt juxta Synagogam Judæorum, feria quinta poſt feſtum Beatæ Petronellæ Virginis, noctis in ſilentio ſubintravit, & quoſdam cives Budenſes ſuos adverſarios, & prædatores invaſit ſubito, & deſtruxit. Petermanus autem judex civitatis, nudus fugiens, vix evaſit. Duos enim ex ipſis civibus ſcilicet *Martunhermam* (1), & magiſtrum *Martinum*, juratos cives de duodecim, in caudis equorum, per vicos & plateas civitatis crudeliter trahi fecit, & eorum oſſa ignibus concremari; bona eorum obtinuit, & poſſedit, Sacerdotes inſuper illos perfidos ſuperius nominatos, manibus catenatis & pedibus *Thomæ* Strigonienſi Archiepiſcopo deſtinavit; quos idem Archiepiſcopus carceri mancipavit, & in eodem triſtem ſpiritum emiſerunt.

CAPUT LXXXIX.

De adventu Fratris Gentilis Cardinalis in Hungariam; & de coronatione Caroli Regis.

Cum igitur *puer Carolus*, abſque Regni ſolatio, in Hungaria moraretur; Frater *Gentilis*, tituli Sancti Martini in montibus presbyter Cardinalis, de ordine Fratrum minorum, ex auctoritate ſummi Pontificis plenaria, *anno Domini MCCCVIII.* Pannoniam intravit: uno ſiquidem anno in pace tranſacto, *anno Domini MCCCIX.* conſtitutione terribili promulgata, nobiles Regni, anathematis vinculo innotavit. Pauperibus vero & divitibus univerſis divina ſtrictius interdixit. Et hæc fecit illis nobilibus, qui jura regalia & reginalia nolebant

(1) Chr. Bud. *Marcum Herman.*

Digitized by Google

bant reſtituere Regi Carolo ſupradicto, & qui eum Regem minime appellarent. Ladislaum vero, Wayvodam Tranſilvanum, ſpeciali excommunicatione feriens; eo, quod coronam Regni, quam ab Othone Duce, dum eum captivaverat, receperat, indebite detinebat. Et quia filiam ſuam, idem Ladislaus, tradiderat filio Stephani Regis Serviæ ſchiſmatico in uxorem. Quapropter cum præfati nobiles extra cœmeteria corpora jacentia conſpicerent defunctorum, amaro ſpiritu perturbati *anno Domini MCCCX.* congregati in campum *Rakus* (1), circa Peſth Carolum ſæpe dictum, in Regem concorditer ſuſceperunt, & Albam properantes feria quinta in octavis Sancti Regis Stephani ſolennitер cum lætitia coronarunt cum ſancta corona a Ladislao Wayvoda reſtituta. Anno eodem Papa Clemens quartus per cruciferos Sancti Joannis inter Chriſticolas mundi hujus inæſtimabilem theſaurum fecit ſagaciter procurari, paſſagium generale pro terra ſancta expugnanda. Tradens dictis cruciferis gratiam ſingularem, pecuniam largientes, ab omnibus criminibus abſolvendi uſque ad continuos quinque (2) annos; ſed poſtea de illo tanto theſauro nihil factum vidimus effective.

CAPUT XC.

De bello Caroli Regis prope civitatem Caſſovienſem contra Matthæum de Trinchinio commiſſo.

Anno Domini MCCCXII. cum Rex Carolus regale caſtrum *Sarub* (3) vocatum, a Demetrio filio Nicolai ex mandato Matthæi potentiſſimi principis poſſeſſum, ſuis viribus obſideret; idem *Matthæus*, filius *Petri de Trinchinio*, mille & ſeptingentos milites lanceatos conductitios, & omne penitus ſuum poſſe contra Regem in adjutorium Demetrii deſtinavit: ut ipſum Regem de ſubcaſtro procul pelleret præpotenter. Principes autem exercitus *Demetrium* ſupradictum; & *Albam* (4), dictum pulchrum ſive magnum conſtituit. Quorum adventum Rex audiens, putavit ſe non poſſe reſiſtere, in *Scepes* (5) ſe recepit. Cui Scepeſienſes, equites pariter & pedeſtres feliciter conceſſerunt; cum quibus Rex hoſtes ſuos audacius eſt aggreſſus. Qui quidem interdum civitatem *Caſſa* vocatam, expugnare cœperunt, pro morte *Omodei Palatini*, quem in Caſſa Caſſenſes Teutoni-

(1) Ita MS. Chr. Bud. (2) Chron. Bud. *quindecim.* (3) MS. & Chr. Bud. *Sarus.* (4) Eadem: *Abam.* (5) Chr. Bud. *Scepus.*

Digitized by Google

tonici, vel Saxones potius peremerant innocentem. Quibus, cum exploratores conclamarent Regis adventum; dimiſſa civitate intrepidi obviam Regio exercitui proceſſerunt, & ad locum pugnandi magis aptiorem Rex, & ipſi plurimum feſtinabant. Quem locum ipſi primitus occuparunt. Rex interim, in quadam valle circa *Harnad* (1), cum exercitu confeſſione ſacramentali præmiſſa, & abſolutione accepta, ſuſceptoque Dominici corporis Sacramento a cruciferis ſupradictis mori ſe per omnia paraverunt. At ipſi duriſſimi pacis hoſtes bellica arma induti de montis cujuſdam vertice vallem præfatam protinus certaturi, obviam Regi deſcendebant. Et in latere dicti montis feria ſexta in feſto Sanctorum Viti & Modeſti prœlium duriſſimum eſt commiſſum, quale de tempore Tartarorum in Hungaria non contigit celebrari. In quo prœlio de familia Regis *Kakas* (2), filius Stephani, dicti *Porch*; & *Stephanus*, filius *Bageri* (3); *Ladislaus*, filius *Thomæ*; *Jacobus*, filius *Aladarii*; *Michel*, filius *Petri*; *Gurke* (4) & *Michel*, filii *Gurke*; & *Petrus* caſtellanus de *Bereg*, præclari nobiles corruerunt. Gurke ſub vexillo Regis vexillarius exiſtens occiſus eſt; quo vexillo cadente Rex ſub vexillo cruciferorum pugnavit. Ex parte vero altera *Demetrius*, filius *Nicolai*, & *Aba*, Principes exercitus, ac duo filii *Omodei* mortis jaculo vulnerati, præpropere ceciderunt; & alii quam plurimi lethaliter ſauciati, ibidem & alibi mortis debita perſolverunt. Licet autem ex parte Regis plures ceciderunt: tamen Rex victoriam obtinuit glorioſe. Quod factum a Deo eſſe credimus, & fatemur.

CAPUT XCI.

De obitu Dominæ Mariæ, Primæ conſortis Caroli Regis.

Anno *Domini MCCCXV* (5). *Domina Maria* prima conſors Domini Regis natione *Polona*, filia Ducis *Kazmerii*, tertio die poſt feſtum Beatæ Luciæ Virginis & Martyris *in Themeſuar* vitæ curſum feliciter terminavit; & in *Alba regali* in Eccleſia Beatæ Virginis terræ gremio commendatur. *Anno Domini MCCCXVIII.* accepit Rex Dominam *Beatricem* filiam Regis Romanorum, ſororem Regis Bohemorum, de terra Lucelburgenſi; quæ in revolutione ejuſdem anni

(1) MS. *Haruad.* Chron. Bud. *Harnald.* (2) MS & Chr. Bud. *Kokos.* (3) Chr. Bud. *Bugen.* (4) Chr. Bud. *Gyurke.* (5) Chr. Bud. MCCCXVII.

Digitized by Google

anni obdormivit in Domino, & *Waradini* in Cathedrali Eccleſia tumulata eſt. Eodem anno Eccleſiam Beatæ Virginis Albenſem, quæ frequenter incendio vaſtabatur, incepit Rex tegere plumbeis tegumentis, & cum glorioſa teſtudine decorare, inſuper etiam columnis firmiſſimis ſtabilire. Eodem anno mortuus eſt *Matthæus Palatinus.*

CAPUT XCII.

Quomodo Carolus Rex Dominam Elizabeth Filiam Regis Poloniæ duxerit in conſortem.

Anno Domini MCCCXX. accepit Rex *Carolus* filiam Ladislai Regis Polonorum *Elizabeth* nomine; de qua *anno Domini MCCCXXI.* habuit Rex filium nomine *Carolum*, qui puer mortuus eſt, & in *Alba* ſepultus. *Anno Domini MCCCXXIV.* in Wyſſegrad in feſto ſancti Remigii de eadem Regina, Rex genuit filium nomine *Ladislaum.*

CAPUT XCIII.

De fundatione Clauſtri in Lippa.

Anno Domini MCCCXXV. inchoavit Dominus Rex Fratribus minoribus ædificare Eccleſiam *in Lippa*, ad honorem Beati *Lays* novi ſancti Epiſcopi Tholoſani & confeſſoris; qui fuit frater carnalis patris ſui, ſcilicet primogenitus Regis Siciliæ, filius Mariæ Reginæ, filiæ Stephani Regis Hungariæ, filii Belæ quarti profeſſus voto & habitu ordinem Fratrum minorum.

CAPUT XCIV.

De nativitate Lodovici Filii Regis Caroli.

Anno Domini MCCCXXVI. tertio nonas Martii natus eſt eidem Regi filius, quem nomine hujus ſancti confeſſoris conſanguinei ſui, *Lays*, præ gaudio appel-

Digitized by Google

appellavit. *Anno Domini MCCCXXVII.* feria quarta ante Dominicam Ramis palmarum Eccleſia Beatæ Virginis de *Alba regali*, quamvis plumbo tecta fuiſſet contra incendium, ut ſuperius memini ; tamen flebiliter eſt combuſta, & tota plumbea materia in laminas producta de tecto ejus a facie ignis vehementis fluxit liquide ſicut cera, excepto uno campanili, quod ſupra ſacriſtiam eſt, ubi ſanctorum reliquiæ quam plurimæ poſitæ conſervantur, quod nemo dubitat, eorum meritis remanſiſſe; ſed nihilominus eandem Eccleſiam poſtea iterum plumbo texit.

CAPUT XCV.

De nativitate Andreæ Ducis filii ejuſdem Regis.

Eodem anno in feſto ſancti Andreæ Apoſtoli natus eſt filius ei, quem *Andream* appellavit.

CAPUT XCVI.

De impietate, & feroci ſævitia Feliciani.

Anno Domini MCCCXXIX. mortuus eſt *Ladislaus* filius ejus (1). Cum autem iiſdem temporibus Regnum Hungariæ pacis optatæ tranquillitate gauderet, & ſecurum eſſet ab hoſtibus circumquaque; pacis æmulus, & invidiæ ſeminator diabolus miſit in cor cujuſdam militis, nomine *Feliciani*, de genere *Zaach* (2), inveterati dierum, & canitie jam reſperſi, ut Dominum ſuum Regem Carolum, & Dominam *Elizabeth* Reginam, & duos filios ejus, *Lays* & *Andream* occideret gladio uno die. Qui Felicianus per *Matthæum de Trinchinio*, quondam in Palatinum fuerat exaltatus. Tandem relicto Matthæo venerat ad Regem. Huic, quod eum Rex Regio favore proſequeretur, ſecuro ingreſſu, Regis janua abſque obice patebat. Porro, cum Rex una cum Regina & filiis ſuis præfatis *anno Domini MCCCXXX.* decimo quinto Kalendas Maji (3), feria quar-

(1) Chr. Bud. pergit: & *in Alba, terræ gremio commendatur.* (2) MS. *Zaah.* (3) Edit. Brun. *An. Dom. MCCCXXXV. Kal. Maji,*

Digitized by Google

quarta (1) poſt octavas Paſchæ in ſuburbio caſtri *Wyſſegrad* in domo ſua pranderet, ante Regis menſam clam ſubintrando idem Felicianus aſtitit; & evaginato acutiſſimo gladio vehementiſſimo impetu, more canis rabidi immiſericorditer Regem, Reginam, filioſque voluit jugulare, ſed miſericordia miſericordis Dei prohibente, quod voluit, non potuit effectui mancipare: tamen Regis manum dexteram leviter vulneravit; ſed proh dolor! ſanctiſſimæ Reginæ dextræ manus quatuor digitos, quos pauperibus & miſerabilibus, atque abjectis perſonis miſericorditer in eleemoſynis extendebat, protinus amputavit. Cum quibus etiam digitis innumerabilibus Eccleſiis paramenta varia conſuebat, & altaribus Sacerdotibuſque, ornamenta de pretioſis purpuris tranſmittebat, & calices indefeſſe. Cum etiam pueros Regios, ibidem aſtantes, vellet occidere; pædagogi puerorum, videlicet *filius Gyula*, & *Keneſich* (2), & *Nicolaus*, filius *Joannis Palatini* ſe interponentes, evadentibus pueris memoratis, lethaliter vulnerantur in capite. Tunc *Joannes* filius *Alexandri* de *comitatu Potokienſi* bonæ indolis juvenis, vicedapifer Reginæ tunc exiſtens in ipſum Felicianum quaſi incruentam beſtiam irruit, & cum bicello inter collum & ſcapulam, fortiter feriendo transfixit, & ad terram dejecit. Hic, & inde per oſtia, gladiatores, milites Regis, gladiis terribilibus, membratim miſerum laniantes, quoddam quaſi monſtrum gladiis effecerunt. Caput ejus Budam mittitur, manus & pedes, aliis civitatibus deſtinantur; denique filius ejus unicus adoleſcens, & unus ei fidelis famulus fugam capientes, evadere minime potuerunt, & in caudis equorum vitæ terminum perceperunt. Quorum omnium cadavera canes in platea cum oſſibus corroſerunt. Et dignum quippe erat, ut *Felicianus*, qui multos Chriſticolas, membris ſuis feraliter mutilando, privaverat, ipſe membris omnibus juſto Dei judicio, privaretur; &, qui fuerat tortor pauperum indefeſſus, a communi morte hominum excluſus, canina & ſubitanea morte moreretur, ut quaſi canis cum canibus perciperet portionem. Filia quoque ejus *Clara* vocabulo, virgo pulcherrima, de aula Regia extrahitur, & naribus cum labiis turpiter mutilatis, ſolum dentibus patefactis, & octo digitis ambarum manuum amputatis, pollicibus ſaltem remanentibus, per plurium civitatum vicos & plateas perducta in equo ſemiviva & miſera proclamare compellitur, in hæc verba: *Qui Regi infidelis eſt, per omnia percipiat talionem.* Altera inſuper filia ipſius Feliciani major, *Sebe* (3) nomine, cuidam

(1) Chr. Bud. *feria tertia.* (2) MS. habet: *filius Gyula de Keneſich.* Chr. Bud. autem *filius Gyula de Keueſich.* (3) Chr. Bud. *Zeba.*

Digitized by Google

dam nobili, nomine *Kopai*, matrimonialiter nupta ante caſtrum *Lewa*, juſſu *Emerici* dicti de *Bechey* (1), Caſtellani ipſius caſtri, capite truncatur, & ipſe *Kopay* in captivitatis vinculo mortis debitum ſolvit. Filii ejuſdem inſuper in inſulam marinam per cruciferos tranſportantur, nunquam terram nativam reviſuri. Multi denique de ipſius genere Feliciani nobiles trucidantur. Sic igitur Felicianus infelix, læſæ majeſtatis crimen incurrit, turbavit regnum, extinxit ſemen proprium, ſuam gentem infamavit & perdidit, eſca canum effectus, ſolutus a ſeculo, ligatus eſt in barathro, ac ſepultus in inferno, mundo extitit fabula, & infidelibus diſciplina. Tam enorme factum, uno die vix creditur accidiſſe hucuſque, quo iſtud accidit. Rex Carolus ventis proſperis navigavit, & criſpantia maris æquora, ſuæ fortunæ carina, ad votum ſulcavit. Sed jam fortuna vertibilis averſa facie valefaciens terga vertit; quia undique bellis inſurgentibus ſua expeditio vincebatur, pedum etiam ac manuum dolore nimio torquebatur.

CAPUT XCVII.

De Bello Caroli Regis cum Bazarad (2), Wayvoda Transalpino, infeliciter geſto.

In anno eodem, quo Felicianus indignæ memoriæ, periit, videlicet *anno Domini. MCCCXXX.* cum Rex copioſum exercitum congregaſſet, non tamen totum ſuum poſſe; quia & confinia regni ſui in diverſas expeditiones contra adverſarios ejuſdem regni quam plurimos, deſtinaverat pugnatores; ipſe vero per *Zenrim* (3) in menſe Septembri tranſtulit ſe in terram *Bazarad*, *Wayvodæ Ulachorum* ad inductionem *Thomæ*, *Wayvodæ Tranſilvani*, & *Dionyſii*, filii *Nicolai*, filii *Ancha* (4) quæ terra eſt inhabitabilis genti ignotæ: ut de ipſa terra ipſum *Bazarad* Rex expelleret, aut certe terram ipſius uni ipſorum inſultantium traderet poſſidendam; cum tamen ipſe Princeps cenſum debitum Regiæ majeſtati ſemper fideliter perſolviſſet. Cum autem Rex *Zenrin*, & caſtrum ipſius recepiſſet, Dionyſio tradidit memorato omnia cum dignitate *Banatus*. Quo facto Bazarad Regi ſic mandavit nuntios per honeſtos: *quia*

vos

(1) Idem: *Beche Familiaris Regis.* (2) MS. *Bazeraad.* Edit. Brun. *Bozorad.* (3) MS. & Chr. Bud. *Zeurim.* (4) MS. *Jancha.* Chr. Bud. *Joanka.*

Digitized by Google

vos domine mi Rex !laboraſtis in convocatione exercitus, laborem veſtrum recompenſabo, VII. millibus marcarum argenti. Ipſam etiam Zenrim cum ſuis attinentiis nunc habetis præ manibus, per potentiam pacifice vobis tradam; inſuper cenſum, quo teneor, veſtræ coronæ fideliter perſolvi faciam, omni anno. Et nihilominus unum ex filiis noſtris veſtræ curiæ ad ſerviendum deputabo, meis pecuniis & expenſis, tantummodo revertimini in pace veſtra, & perſonarum periculis præcavete; quia, ſi veneritis ulterius, periculis minime evadetis. Quo audito, Rex elata mente, in tale verbum prorupit, nuntiis ſic dicens: Sic dicite Bazarad: *ipſe eſt paſtor ovium mearum, de ſuis latibulis, per barbas ſuas extraham.* Tunc quidam fidelis Baro, *Donch* nomine, *comes de Zolio* & de Lipto (1) ſic ait Regi: *Domine, cum magna humilitate, vobis, & ad honorem veſtrum, ipſe Bazarad loquitur; idcirco, Regiæ benignitatis favorem, & plenam dilectionem gratiæ, ei velitis per veſtras literas remandare.* Tunc Rex, verbum ſuperbiæ & comminationis ſuperius propoſitum, iteravit, & relicto conſilio ſaniori, protinus ultra pugnaturus proceſſit. Et cum ſibi & ſuis, in terra ignota, & inter alpes, & montes ſilvarum, victualia invenire nequiret, famis inedia, ipſe Rex, milites & equi ſui, laborare protinus cœperunt. Quo facto, treuga ordinata, cum Bazarad, & data fide, ut ipſe Regi pareret, & ſecuritatem, Regi cum ſuis omnibus, redeundi præberet, & iter rectum oſtenderet. Rex revertebatur ſecurus, & confidens in fide perfidi ſchiſmatici, venit in quandam viam, cum toto exercitu; quæ via erat in circuitu, & in utraque parte ripis prominentibus circumcluſa, & ante, unde erat dicta via patentior, indaginibus loci, fortiter fuerat circumſepta, per Ulachos. Rex autem & ſui omnes, cum nihil tale quid penitus opinarentur, in ripis undique Ulachorum multitudo innumerabilis, ſuperius diſcurrendo, jacula jacientes ſuper Regis exercitum, qui erat in fundo depreſſæ viæ, quæ nec via dici poteſt, ſed quaſi navis ſtricta, ubi propter preſſuram, cadebant dextrarii fortiſſimi, cum militibus circumquaque; quia nec ad ripas utriuſque lateris viæ, propter præcipitium, aſcendere poterant contra Ulachos: nec ultra procedere; nec fugæ locum habebant, propter indagines ibi factas: ſed erant omnino ſicut piſces, in gurguſtio vel in reti comprehenſi; cadebant juvenes & ſenes, principes & potentes, ſine delectu. Duravit quippe ſic iſte miſerabilis eventus, a ſexta feria, uſque ad ſecundam feriam. In quibus diebus, collide-

1) MS. *Lipton.*

Digitized by Google

bantur invicem milites electi, ſicut in cunis moventur & agitantur infantes, vel ſicut arundines, quæ vento moventur.

Facta eſt autem ibi ſtrages maxima, & cecidit militum & principum ac nobilium incomputabilis multitudo. Feria VI. in vigilia Beati Martini, & poſt in ſequenti (1) ibi etiam occubuerunt tres præpoſiti, videlicet, *magiſter Andreas, præpoſitus Albenſis Eccleſiæ*, vir valde venerabilis, *Vicecancellarius* Regiæ Majeſtatis exiſtens, cum ſigillo Regis periit; item *Michel, præpoſitus de Poſega*, & *Nicolaus, præpoſitus de Alba tranſilvana*; item *Andreas Plebanus de Sarub* (2), & *Frater Petrus, de ordine Prædicatorum*, vir honeſtus, diræ mortis poculum acceperunt. Quia in cerebra capitum eorum, ligneos clavos, miſerabiliter affixerunt. Quidam etiam Sacerdotes, qui erant Capellani Regis, ſunt occiſi. Cumanorum denique corruit inæſtimabilis multitudo. Cadavera enim omnium, tam virorum Eccleſiaſticorum, quam laicorum nobilium, in loco certaminis, ibidem tempus reſurrectionis generalis expectant: nec chari eorum, potuerunt ſuos dilectos, proprer hoſtium incurſus, aliquatenus rehabere. Tulerunt ergo Walachi multos captivos, tam vulneratos, quam illæſos; & acceperunt plurima arma, veſtesque pretioſas, omniumque eliſorum pecuniam, in auro & argento, & vaſa pretioſa, & baltheos. Multaque marſupia latorum (3) groſſorum & florenorum, ac equos multos, cum ſellis & frenis, quæ omnia portaverunt, & tradiderunt ipſi Bazarad, Waywodæ. Rex autem, mutaverat armorum ſuorum inſignia: quibus induerat *Deſeo* (4), filium *Dionyſii*, quem putantes eſſe Regem, crudeliter occiderunt. Rex vero ipſe, cum paucis, per tuitionem ſuorum aliquorum fidelium, vix evaſit. Stabant enim in circuitu ejus, quaſi muri lapidei: magiſter *Donch*, cum *Ladislao* filio ſuo, & cum militibus aliis, de familia Regis; & magiſter *Martinus*, filius Bercud (5), qui omnes ictus gladiorum & ſagittarum, ſuper ſe recipiebant, velut imbres pluviarum, ut Regis vita, a mortis impetu ſervaretur. Cadebant etiam in circuitu exercitus, de canina multitudine Walachorum, quaſi muſcæ, quæ perdiderunt ſuavitatem unguenti; cum Chriſtianum populum, & unctos Chriſti Sacerdotes, immiſericorditer percuſſerunt. Quorum Walachorum

---

(1) Chr. Bud. ſupplet: *Feria ſecunda. Quorum quidem miſerabilem eventum, juvenes & ſenes, dominæ cum ancillis, in caſtro Themeſuar, quod idem Rex fundaſſe perhibetur, deplanxerunt. Et conturbata eſt, illo die & hora, felix Pannonia. Proh dolor! propinavit illis amaritudinem, cujus memoria flebilis eſt. Nam ibi occubuerunt*, &c. ut ſuperius ſequitur. (2) MS. & Chr. Bud. *Sarus*. (3) Ita legitur in MS. (4) MS. & Chr. Bud. *Deſev*. (5) MS. *Berend*.

Digitized by Google

chorum numerum, ibi per Ungaros occiſorum, ſubtilis ſolummodo infernalis compotiſta, collegit. Rex autem, cum tali eventu venit ad Temeſuar; & ſine mora venit deinde ad *Wyſſegrad*. Porro, cum Hungari, fortiſſima & duriſſima prælia ubique geſſiſſent, iſtud eiſdem accidit; ne propter victoriam frequentem ſuperbirent; vel certe, poſt ſuperbiam præcedentem, corriperentur; ut humilitatem diſcerent, & docerent, quatenus (1) divinæ dilectionis gratiam, per paternæ correctionis flagella, uberius mererentur: quia illos corrigit Deus pater, quos diligit. *Anno Domini milleſimo tercenteſimo triceſimo ſecundo*, in feſto Sancti Stephani Regis, habuit Rex filium, quem *Stephanum* nuncupavit. *Anno Domini milleſimo tercenteſimo triceſimo tertio*, egreſſus eſt Rex de *Wyſſegrad*, cum Andrea filio ſuo, puero ſex annorum, in menſe Julii, & perrexit cum bona comitiva militum, per *Zagrabiam*, ultra mare, filium ſuum, per voluntatem ſummi Pontificis, domini ſcilicet Joannis viceſimi ſecundi, & ad inſtantiam & petitionem inclytiſſimi Roberti, Regis Siciliæ, regni ejusdem coronaret in Regem. In cujus Regis comitiva, profecti ſunt, *Chanadinus*, *Archiepiſcopus Strigonienſis*; *Andreas Epiſcopus Waradinenſis*; & *Jacobus*, *Longobardus Phyſicus*, *Epiſcopus Chanadienſis*; & *magiſter Donch*, ſupra nominatus; & alii nobiles plurimi de regno. Qui Rex rediit cum ſoſpitate, in menſe Martii, cum ſanitate omnium ſuorum, qui ipſum fuerant comitati: filium autem ſuum ibidem reliquit, non tamen coronatum, ſicut optabat; ſed ſub tutamine & protectione Regis Roberti, patruelis ſui. Qui *Robertus*, erat Rex Siciliæ, vir magnæ ſcientiæ & ſanctitatis; ſed decrepitus jam ætate, volebat renunciare ſeculo & Regiæ dignitati, ut contemplationi vacaret, & puer memoratus in Regnum ſuccederet. Sed tandem, ſaniori uſus conſilio, noluit culmini Regiæ majeſtatis cedere, dum viveret: ſed poſt mortem ipſius, conſtituit puerum in Regno ſucceſſorem: quia hæres, quem habuit Rex Robertus, mortis debito præpropere obedivit. *Anno Domini MCCCXXXV.* circa feſtum ſancti Martini *Joannes Rex Bohemorum*, cum Carolo filio ſuo, & *Rex Polonorum*, venerunt ad Regem Carolum, in Hungariam, ad caſtrum Wyſſegrad, pro perpetuæ pacis concordia componenda, quod & factum eſt. Omni enim die, ad prandium Regis Bohemorum, ex magnificentia Regis Hungariæ, expendebantur duo mille & quingenti panes, & de cibis regalibus, copioſe, pabulum etiam equis ejus, per ſingulos dies, viginti quinque garl tæ. Ad

(1) Hic in medietate textus, Codex MS. Bibliothecæ Auguſtæ Vindobonenſis, definit.

Digitized by Google

prandium vero Regis Polonorum, mille & quingenti panes, de cibariis etiam abundanter. De vino autem, expenſæ ſunt centum & octoginta tunnellæ. Remuneravit autem Rex Hungariæ, Regem Bohemorum, diverſis & pretioſis clinodiis, videlicet; quinquaginta vaſis argenteis, duabus pharetris, duobus baltheis, & una tabula pro ſcacis mirabili, duabus ſellis inæſtimabilis pretii, uno bicello, valente ducentas marcas argenti, & una concha margaritarum, mirabili opere compoſita. Item, quia Rex Poloniæ, erat Regi Bohemorum cenſualis, & quia Rex Hungariæ Carolus, habebat ſororem Regis Poloniæ in uxorem, dedit ei Rex Hungariæ, idem Carolus, ad redimendum eundem Regem, de ſolutione cenſuali, Regi Bohemorum, quingentas marcas auri puriſſimi; & ibi ordinatum eſt, ut, ſi quenquam ipſorum Regum, vel regna eorum, hoſtis invaderet, ceteri in ejus adjutorium & juvamen feſtinarent. Et iſtud fuit confirmatum inter eos, cum magno fœdere juramenti.

CAPUT XCVIII.

De Incidentibus quibusdam.

Anno Domini MCCCXXXVIII. circa feſtum Apoſtolorum Petri & Pauli, dominus *Lothka Dux Ruthenorum* venit in Wyſſegrad, cum electo populo militum ſuorum, ad Regem Carolum Hungariæ, promittens ei omniis amicitiæ incrementum. *Anno Domini MCCCXXXIX. Kazimyrus Rex Poloniæ*, in menſe Julii, venit in Wyſſegrad, ad Carolum Regem Hungariæ, cum Epiſcopis & Baronibus regni ſui, & de conſenſu & voluntate omnium illorum, regnum Poloniæ, libere reſignavit domino *Ludowico*, filio Regis Caroli, filio ſororis ſuæ: eo, quod non haberet filium; & ad hoc confecerunt evidens inſtrumentum. *Anno Domini MCCCXL.* & duobus annis ſubſequentibus, videlicet XLI & XLII. infinita multitudo locuſtarum, ingreſſa eſt per Syrmiam, in omnem partem Regni Hungariæ, tranſiens turmatim, volitando, & gradiendo in terra ſuper omnia viventia in arboribus ſegetibusque, ac graminibus poteſtatem accipiens præter folia vinearum. Poſt triennium autem in circumjacentia regna ſcilicet Poloniæ, Bohemiæ, & Auſtriæ recedentes ſe diviſerunt uſque ad Italiam & Franciam, & ſic morte perierunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XCIX.

De morte Regis Caroli.

Heu me! quia hujus mundi decus & gloria a primævo temporis ſpatio nunquam in uno ſtatu permanens; ſed ſemper variando verſaliter atque caduce ſe protendens in nihilum, tanquam aqua decurrens, incedit. Nam omnia, quæ a terræ gremio uſque ad circumferentias cœli, ambitu orbis continentur, dilabuntur in terram. Et quia nec ulli mors impia parcendo, nullaque pacis conditione ſimulando miſeretur, cadit vita humana præ timore ipſius, dum ſtare putatur quaſi flos, & protinus aret. O mors! quæ per exceſſus delictorum veteris parentis protoplaſti, morſu pomi noxialis, diabolicæ fraudis inſtigante nequitia, præconcepta, ſerpentino veneno, virus iniquitatis infundens in orbem terræ, filios ejuſdem protoplaſti, impavida non timens, neque verens, dolo fraudis repleta diripiendo, intrandi ſemitas primitus quæritaſti, mirum eſt, quod tanta guloſitate inſatiabili cadavera mortuorum deglutiendo non ſatiaberis. Et cur de corpore fœtidiſſimo mortuorum quam vivorum congaudendo gratularis? Non enim ad domum convivii, & cujuslibet ſolennitatis feſtum; ſed ad locum luctus plus feſtinas temere properare: neque caſas pauperum, neque aulas, ſeu atria Regum nullo nuntio mediante adire formidas; nec non conjugatos ex vera dilectione matrimoniali invicem copulatos divortionis vinculo innodare paveſcis; filium a patre, patrem a filio ſeparando. Nonne amaram, duram, crudelem, & impiam te fore oſtendebas, dum *anno Domini MCCC. quadrageſimo ſecundo*, ſequenti die diviſionis Apoſtolorum XVII. Kalendas Auguſti caſtrum fortiſſimum inæſtimabilis altitudinis, & muros ejuſdem inexpugnabilis, cui nec vis, nec potentia hujus mundi poterat quoquo modo dominari, tuæ vulpinæ doloſitatis aſtutia, clandeſtine inviſibiliter introire non expavens, & ibidem hoſtilitatis arma in anima potentiſſimi Principis Domini Caroli Dei gratia Regis Hungariæ, cujus potentiam Altiſſimo taliter diſponente, *Dalmatia*, *Croatia*, *Rama*, *Servia*, *Gallicia*, *Lodomeria*, *Cumania*, *Bulgaria*, totaque *Hungaria*, *Salernaque*, ac *mons Sancti Angeli*, alia quoque regna, puta, *Polonienſe*, *Bohemienſe*, *Auſtrienſe*, ac circumquaque adjacentia trepidando abhorrebant, immittere non metuens, ipſum quadraginta duobus annis, & non pluribus vitæ comitem regnare permiſiſti, ſed acriter, tua doloſitate conſueta, de medio, regnicolis manifeſte cernentibus, feliciſſimæ recordationis pium Regem noſtrum famoſiſſimum; non gazis ac pretioſis veſtimentis, gemmis & pretio-

Digitized by Google

riosis splendidis margaritis adornatis auro & argento desuper contextis; sed spiritu vivificato, spoliando subtraxisti: & ipsius splendentes honores in nihilum, in terram humando obumbrasti. Novissime vero videntes ipsum regnicolæ esse pium ac exaltatum, sicut cedrum Libani, transeuntibus, & quærentibus eum suis regnicolis, & ecce non erat. Ideo propter tuum grande factum nefarium omnibus revera dilectissimis Catholicæ fidei cultoribus, pariter fidelitati semitarum adhærentibus, pium est, hunc ipsum dominum Regem Carolum flere, & ipsius morti, proh dolor! lamentabiliter condolere. O quantus fletus, quanta lamenta Prælatorum, Procerum, Baronum, nobilium, virginum, dominarum, & cujusvis status & conditionis hominum; specialiterque dominæ *Elizabeth* serenissimæ Reginæ, charissimæ consortis ejusdem, & domini *Lodowici*, nunc Regis, ac Stephani Ducis filiorum ejus. O quis considerasset, & considerare antea præmeditando debuisset, quod tam ineffabile gaudium & hilaritas, vultus scilicet sereniſſimæ dominæ Reginæ tam crudeliter asperitate lachrymarum sit jam mutatus, & rivulis gurgitum ad instar aquarum ab oculis ejusdem, usque ad terram, a tempore obitus ipsius incessanter currentibus humefactus, & organica vox, clamoris & gemitus ejusdem, & suorum regnicolarum ad orbis cœli summitatem perveniendo, æthera quasi compati compulerit; in tantum, ut sol sui optimi coloris radios plurimum visus fuerit obfuscare. Tandemque die sequenti ob præceptum dictæ dominæ Reginæ, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Baronibus, Presbyteris, fratribus, clericis omnibus, simul convenientibus, & lachrymabiliter processive pergentibus ad dictum castrum devenitur, ubi pretiosissimum caput ejus juxta decentiam Regni sui honoris corona aurea, corpusque ipsius splendidissimum, tunica scarletina, ac etiam caligis, salutaribus gemmis pretiosissimis contextis, & desuper calcaria aurea, pulcherrimis pedibus suæ excellentiæ annectendo induentes, de prædicto castro inexpugnabili, in Ecclesiam parochialem Virginis gloriosæ in Wyssegrad civitate constructam, planctu magno deferebant. Planxitque eum universus populus civitatis, planctu magno valde. Peractis autem ibidem divinis institutionibus, & missarum solennibus corpus ipsum super cimbam per decursus aquæ Danubialis in civitatem famosissimam, Budam videlicet, est delatum. Antecedebat autem flebiliter ipsam multitudinem Prælatorum, Baronum, & regnicolarum, & vexillo triumphali miles famosissimus, atque manu fortis *Laurentius Sclavus*; cujus intererat tempore vitæ ipsius Domini Regis ex officio eidem incumbenti, vexilla regalia ferre, loco opportuno. Ubi omnes cives dictæ civitatis famosissimæ, Sacerdotes & Clerici, ac viri religiosi, ipsamque inhabitantes alii processive pergen-

Digitized by Google

gentes, condolendo oculis lachrymantibus, veſtimenta lugubria portantes, obviam ipſius corpori uſque ad Danubium proceſſerunt. Et dum in dictam civitatem adduxiſſent, ſupra corpus ipſius cantica pſallere, & alia divina officia, ut mos eſt, pro exſpiratis, eorundem per totam noctem preces offerre cantando non ceſſant ſummo Creatori. Tertio autem die obitus ipſius in eadem civitate, medio temporis ſpatio, quouſque divina officia vel myſteria incepta, & miſſarum ſolennitates modo debito peragerentur; tres ſolennes dextrarii ipſius Domini Regis Caroli ſuis phalerati purpureis operimentis, ſuper quos milites ſtrenui, armis ejuſdem Domini Regis induti, ſedebant, ante fores Eccleſiæ ſteterunt. Quorum quidem militum unus armis tormentalibus Regiæ Excellentiæ convenientibus erat ornatus; & alter ad haſtiludium aptus; tertius vero armis bellicis Regiæ Majeſtati competentibus erat circumſpectus. In quorum quidem militum dictis regalibus equis inſidentium, galeis aureis, coronis circumdatis, inſignia ſub forma ſtruthionis avis, quæ per ipſum Dominum Regem vita ſibi comite haberi, & ferri conſueverant, habebantur. Univerſa namque ferramenta ſtreparum & habenarum, ſeu rudibularum, & alia ad ipſum ſpectantia de argento inaurato, juxtadecentiam Regiæ Excellentiæ fabricata exiſtebant; corrigiarumque cinguli & frena, ac ſimilia alia cum theniis & poſtenis ſericæ ſubſtantiæ contexta fuerant. Nobiliſſimis namque picturis purpureis, gemmis & lapidibus pretioſiſſimis dicti trini dextrarii & milites in perſona & ſpiritu ejuſdem Domini Regis ſuper ipſos tegebantur. Quos ut, dum cujuſcunque conditionis homines aſpiciebant, & dicta ſigna regalia intuebantur, eo, quod idem Dominus Rex hactenus Imperium Regni Hungariæ, habitis præmiſſis ſignis & dextrariis feliciter gubernaverit; mox prorumpebant in fletus validiſſimis æthera ululatibus propulſantes. Peractis tandem divinis inſtitutionibus, & miſſarum ſolennitatibus non more aliorum quorundam Regum dudum defunctorum, quos feliciſſimæ recordationis ſcripturæ aliarum epiſtolarum venerabilis commendat auctoritas, velata facie, nec corpore ejus alicujus diei ſpatio celato, prout abuſiva conſuetudo aliis vicibus quorundam Regum funeribus perhibetur aſtruxiſſe: ſed manifeſte omnibus præſentibus, facie ad faciem manifeſte cernentibus, ad Albam civitatem deferebatur dictum corpus tumulandum. Inde autem ferendo corpus ipſius ad quamcunque manſionis villam deveniebat, omnes homines, tam viri, quam mulieres lachrymarum fletu condolentes clamore maximo in amaritudinem converſi, æthera propulſando, reſonabant. Dumque ad Albenſem civitatem dictum corpus perveniret nitidiſſimum; modo, quo ſuperius allegatur, Prælati, Presbyteri,

Digitized by Google

Clerici, aliique regnicolæ, ac cives dictæ civitatis extra civitatem celeriter pergentes, ipſumque corpus vivificato ſpiritu ſpoliatum amariſſime circumſpicientes in inenarrabiles fletus, eo viſo, prorumpentes illud intra civitatem detulerunt. Illi quoque Sacerdotes & Clerici per totam noctem hymnos & pſalmos Deo decantantes in vigiliis pauſando deduxerunt noctis prolixitatem. Dieque luceſcente, inceptis divinis & miſſarum ſolennitatibus quouſque divina myſteria incepta, & miſſarum ſolennitates, more debito eodem die peragerentur; antedicti trini dextrarii ipſius Domini Regis modo præmiſſo phalerati, purpureiſque cooperimentis decorati, ſuper quos præfati milites ſtrenui arma ejuſdem Domini Regis induentes, ante fores ipſius monaſterii, ut eſt præmiſſum, ſteterunt perdurantes. Et demum eiſdem digne completis & conſummatis, quæ in eodem die celebrari debebant; in ſummo monaſterio, ubi ſanctiſſimi Regis Stephani, & Emerici Ducis filii ejus ſanctiſſima corpora diverſis corruſcantia virtutibus & miraculis in Domino feliciter requieſcunt, & ſumma pietatis opera, ipſa benigne implorantibus, miſericorditer partiuntur juxta altare magnum in veſtimento regali, ad hoc ſibi debito per prædictos enarratos Dominos & Archiepiſcopos, Prælatos, & Abbates ſacris veſtimentis indutos extitit tumulatum, & omnes unanimiter planxerunt eum, ſimul in unum dives & pauper; in tantum, ut marmorei lapides, denſitate lachrymarum plurimum fuerint humefacti. Tunc enim tam maximo clamore gemebundi omnium circumſtantium fauces raucæ factæ ſunt; oculique ipſorum præ tantis lachrymis, viſibus naturalibus fere defecerunt. Ubi etiam venerabilis in Chriſto Pater Dominus *Chanadinus Strigonienſis Archiepiſcopus* de obitu ipſius Domini Regis ſalubri ac pio ſermone intentos animos & pia corda circumſtantium, linivit condecenter. Cujus quidem lachrymoſitatis, & inenumerabilis mœſtitiæ prætextu, creditur eos, qui Reges tumulari non conſpexerunt, de acerbitate doloris, inſtillationeque lachrymarum, quaſi imparticipes, & inſcios fore & extare. Attamen non mirum, quod omnes creaturæ carne & pelle veſtitæ, ut eſt prætactum, per lapſum veteris parentis protoplaſti in culpam, ſint morituræ. Nam in omnem poſteritatem moriendi legem condidiſſe videtur generalem, & incommutabilem: adeo, ut Altiſſimus proprio filio ſuo licet Deitate veſtito parcere noluit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Non igitur quiſquam indignando Creatori propter factum mortis inevitabile poteſt obviare: & quia non eſt ſapientia, neque prudentia, neque fortitudo, neque conſilium contra Dominum; ſed potius ferendus eſt gravis eventus necis patienter, quia, quod donaverat Dominus, accepit, & in die illa ſurrecturum in ipſo. Tunc ibidem prædictum ſupremum mo-

na-

Digitized by Google

naſterium cum aliis Eccleſiis, innumerabilibus muneribus regalibus, & oblationum maximis quantitatibus extitit donando remuneratum. Et tandem antedicti trini dextrarii ſolennes cum armis & operimentis omnibus ipſorum glorioſiſſimis, ſeu attinentiis, cum ſartaneo curru, ſeu mobili aut oſtilario regnali, ſigno regio deſuper forma avis ſtruthionis deaurato, & gemmis adornato cum ſeptenis notulis globaribus argenteis, & ſimiliter deauratis ob planctus memoriam ineffabilis, & luctus amaritudinem, jam dicti Domini Regis in poſterum ſemper in memoriam revocandi, cum innumerabilibus, ſupradictarum quantitatum pecuniis dicto monaſterio dati & conceſſi extiterunt. Cujus quidem donationis & oblationis maxima quantitas ibidem die tumulationis facta, data, & conceſſa in præſenti ſcriptura ſeriatim non ponitur; ne calamis ſcribentium pariterque legentibus, faſtidium multiplicationis generaret ſua prolixitate. Deinde vero potentiſſimi Regis obitum famoſiſſimus *Rex Kazimirus Poloniæ* proximus ejuſdem, & *Marchio Moraviæ* in Wyſſegrad venientes, condolenti animo celebraverunt. Demumque triginta diebus completis quarta feria proxima ante Aſſumptionem Virginis glorioſæ, triceſimum diem ipſius Regis Caroli, cum magna ſolennitate miſſarum peracturi, ut ſuperius extitit enarratum; Prælati, Epiſcopi cum Baronibus quam pluribus Albam, ubi corpus ipſius Domini Regis Caroli ſolenniter in Domino requieſcens, extiterat tumulatum, accedentes, ibique Albæ, & in Wyſſegradienſi civitate Domina Regina cum filio ſuo Lodowico, tunc Rege coronato, ſibi prædilecto, aliiſque Prælatis, Epiſcopis, Presbyteris, Baronibus, & plurimis Chriſti fidelibus funeris obſequias devotiſſime celebrarunt. Et totius regni univerſales etiam, in toto regno diffuſæ, eodem ſolennitatis voto & miſſarum ſolennitatibus dictum officium celebrantes, compleverunt. Imploranda ergo eſt unanimi conſenſu clementia Dei omnipotentis pro eodem Domino Rege Carolo; ut cum anima ipſius clementer diſpenſet, eidem indulgendo, & in numerum, ipſius animam, ac cœtum ſanctorum confeſſorum omnium, ac Regum Stephani & Ladislai dignetur collocare; & prout, quod in præſenti ſeculo regali triumpho vixerit; ita etiam in futuro ſeculo cum Angelis valeat exultare (1).

Finit ſecunda pars Chronicæ Hungarorum.

(1). In Chronico Budenſi, & editione Brunnenſi hic ſubnectitur.

Digitized by Google

METRA

DE MORTE CAROLI REGIS.

Supreme Rex Chriſte! finis hominis extitit in te.
Ergo propitius ſis nobis omnibus unus.
Tolle peccatum noſtrum, deleque reatum,
Et Caroli Regis, qui ceſſit menſibus iſtis,
Auguſto primo, cum ſol verſatur in cancro.
Sequenti feſto, quod eſt diviſio, primo.
Atque die; numerum complevit anima notum.
Quod pepigit quiſque Rex Princeps ruſticus vere
Tenetur modico hoc corpus tempore dico:
Non majus longum ſpatium trium quam dierum.
Sic feria ſexta Dominus ſepelitur in umbra.
Suſcepimuſque Deus Regnum cepit Ludowicus
Anno Milleno trecenteno fore noto.
Ita completo finit hic quadragintaque ſecundo
Aſilum ſuum ſcit Rex ſupremus quoque Regum.

PARS

Digitized by Google

PARS TERTIA
CHRONICÆ HUNGARORUM,
DE
LUDOVICO REGE.

INCIPIT PROLOGUS
IN
TERTIAM PARTEM
CHRONICÆ HUNGARORUM.
A
IOANNE ARCHIDIACONE DE KIKULLEW
COMPOSITAM.

Rex Regum & Dominus dominantium universæ terræ, qui supra cuncta tenet in excelsis Imperium, dat esse rebus, & dispensat, prout vult, culmina dignitatum, & sapientia, & fortitudo ejus sunt, & ipse mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio; a quo omnes potestates, velut ex sole radii derivantur; sub cujus Imperio Reges regnant, & principes dominantur. Ipse quidem est exercituum Dominus, acies instruens, roborans animos, docens manus ad prælium, & justificationes suas, potenti virtute purificans, quos voluerit subjacere, subjicit principum potestati. Oportet ergo

Digitized by Google

go principem ferialiter regnantem, & victorioſe triumphantem culminis poteſtate a Deo fore exaltatum, odore bonæ famæ exornatum, caterva militiæ decoratum; ut præcelſi ejus nominis fama diſperſa per orbem, & conſcendens de geſtis laudabilibus in excelſum, laudari mereatur apud Deum, & extolli laudibus diverſarum nationum. Hinc eſt, quod peritiſſimus Princeps Philoſophorum *Ariſtoteles* in libro ſuo de ſecretis ſecretorum ad Alexandrum ita ſcribit: *Primum inſtrumentum intellectus, eſt deſiderium bonæ famæ; quia qui vere deſiderat bonam famam famoſus erit & glorioſus.* Fama ergo principaliter, & per ſeipſam appetitur in regimine: quia regnum non appetitur propter ſe, ſed propter bonam famam. Initium igitur ſapientiæ & intellectus eſt deſiderium bonæ famæ. Et perſuadendo ſubjungit: *ſtude igitur, o Alexander, & dilige deſiderium bonæ famæ; quia non eſt pretium, non eſt theſaurus, qui ſibi poſſit redimere bonam famam.* Præterea, ſapiens & facundiſſimus *Vegetius* in libro de re militari ſuper omnia commendare videtur militiam & bellorum induſtriam. Hoc enim ſecundum ipſum eſt, quo Romani maxime exaltantur; quia maxime dederunt operam rebus bellicis, & ſummopere ſtuduerunt, quomodo ſibi poſſent ſubjicere nationes: propter quod, ſecundum eundem, hoc debet eſſe principaliſſimum, in intentione principis, ut abundet in civili potentia, & ut per eam ſibi ſubjiciat nationes. Rurſus alibi, per quendam prudentem ſcribitur: *dum fortia laudanda, ac digne memoranda, Principum ac militum geſta, & bellicoſa exercitia, triumphos, caſus fortuitos, & eventus, ad memoriam poſterorum ſcribimus; quid aliud agimus, niſi quod incitamentum bellicum promovemus? per quod virtuoſos animos auditorum ad bellorum exercitia accendimus; ut hoc exem-*

Digitized by Google

emplo fortiores & ardentiores reddantur ad labores, & bellicas paſſiones tolerandas; quia præteritorum exhibitio eſt inſtructio poſteriorum. Quamobrem de geſtis Illuſtriſſimi Principis Domini Lodowici, ex Regum ſanctiſſimorum proſapia oriundi, Dei gratia Hungariæ &c. & bellorum exercitiis ſuæ gentis & militiæ, quamvis pauca ex pluribus, ne per neglectus incuriam, labantur in oblivionem: ego, *Joannes*, nunc *Archidiaconus de Kikullew*, *in Eccleſia Tranſilvana*, *Vicarius Strigonienſis in ſpiritualibus generalis*, tunc, licet indignus, *ſuorum ſecretorum notarius*, poſterorum notitiæ duxi commendanda ordine ſequentium, continuando per capitula, & particulas terminatas ſub certis titulis; ut in promptu inveniatur, quod quæritur, pro legentium utilitate; & in quatuor particulas, ut infra, de qualibet particula per ſe poſita, clarius apparebit, dividendo ſeu diſtinguendo. Si quid autem minus recte inveniatur, vel inconvenienter propoſitum; Lector providus & benignus ſupplenda ſuppleat, & corrigat, quæſo, ſine injuria, corrigenda.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

De Coronatione, ac vita, & exercitiis Lodowici Regis.

Sane cum idem Rex *Lodowicus* glorioſo principe Carolo, Rege Hungarorum, & ejus genitore, beatæ memoriæ, ex hac vita per Dominum vocantem migrante, Dominicæ Incarnationis MCCCXLII. ſuæ vero ætatis decimo ſeptimo anno, die Dominico, proximo poſt feſtum diviſionis Apoſtolorum in urbe Albæ regalis, magnatum, procerum, baronum, militum, ac communitatis nobilium regni Hungariæ, voluntate unanimi, & favore præcedente (1), ſolenniter & feliciter in Regem coronatus extitiſſet; & eidem genitori ſuo in regni ſolio jure naturæ debito ſucceſſiſſet; ac in juvenili flore regnare cepiſſet; maturitatemque juventuti præſerens, creſcendo bonæ indolis juvenis, diſcretionis rationem amplexatus fuiſſet: magno virtutum crevit augmento reminiſcens, quia multi viri fortes pro patria ſanguinem ſuum fundendum eſſe, dixerunt, nec fundere dubitarunt, quod gloriam etiam apud poſteros poſt mortem haberent; cogitare cepit, & in animo diſcutere, quomodo & qualiter jura regni ſui per confines vicinos & principes occupata, ac per rebelles ſeu infideles de regno temeraria præſumtione in præjudicium ſacræ coronæ diſtracta, & uſurpata ad ſtatum debitum divino fretus auxilio revocaret, & etiam reintegraret.

CAPUT II.

De prima exercituali expeditione Lodowici Regis, contra Saxones.

Interea accidit, ut quædam *gens Saxonum* in ejus regno in *partibus Tranſilvanis* quaſdam commotiones feciſſet, & cenſum conſuetum, ac jura regalia ſolvere denegaſſet. Copioſo igitur moto exercitu idem Rex, cum ſuis baronibus,

(1) Chron. Bud. hic ſequentia inſerit: *præſentibus, Domina Elizabeth, matre ejus, Regina Hungariæ; ac Domino Thoma, Voyvoda Tranſilvano; Dominico Villermo Palatino, ceteriſque jam dictis Baronibus, ac Regni nobilibus univerſis congregatis: per Dominum Chanadinum, Archiepiſcopum Strigonienſem, aſtantibus ſibi Dominis Epiſcopis, ſcilicet Nicolao Agrienſi, Ladislao Quinque-Eccleſienſi, Petro Syrmienſi. Fratre Vito Nitrienſi, & Laurentio Boznenſi cum ſolemnitate magna, & gloria, corona S. Regis Stephani.*

Digitized by Google

bus, militibus, nobilibus, & regnicolis ad conterendam ipſorum proterviam perſonaliter acceſſit: & eis refrenatis, ac ad obedientiam reductis, laudabiliter triumphando remeavit.

CAPUT III.

De obedientia Alexandri, Waivodæ Tranſalpini.

Cum autem eſſet in partibus memoratis quidam princeps ſeu baro potentiſſimus *Alexander Waivoda Transalpinus* ditioni ejuſdem ſubjectus; qui tempore quodam Caroli Regis patris ſui a via fidelitatis divertendo rebellaverat, & per multa tempora in rebellione permanſerat: audita pietatis ac etiam poteſtatis ejuſdem Lodowici Regis fama, ad ipſum ſponte perſonaliter veniens, circa confinia ipſarum partium ad pedes Regiæ Majeſtatis, humotenus eſt proſtratus, & ad obedientiam ac fidelitatem debitam reductus; & integratus ſolennia munera, xenia, & clenodia præſtando, & ſuum dominum, ac ſanctam coronam recognoſcendo, cum gaudio & lætitia ad propria remeavit, & ab illo tempore fidelitatem conſervavit.

CAPUT IV.

De peregrinatione Reginæ Elizabeth matris Ludovici Regis; & de rebus per ipſam, tum in curia Romana, tum in Apulia geſtis.

Rex autem Andreas in *Apulia* nondum regnabat. Domina igitur *Elizabeth Regina Hungariæ* mater Regum prædictorum poſt mortem Regis Caroli habens devotionem viſitandi Sanctorum reliquias, & Apoſtolorum Petri & Pauli honorandi limina; quam non retraxit fæmineus ſexus, nec terruit prolixus labor itineris, nec timorem incuſſit ei multiplex maris periculum; ſed virili animo fulcita, ac divino præſidio rapta, cœleſtique deſiderio incenſa de Wiſſegrad in feſto Beatiſſimæ Trinitatis *anno Domini MCCCXLIII.* iter arripuit verſus Italiam cum honeſta familia, & multitudine dominarum & nobilium puellarum, baronum, militum, & clientum cum multo & magno apparatu, juxta magnificentiam regiam ivit & proceſſit; habens ſecum pro expenſa viginti ſeptem

Digitized by Google

millia marcàrum puri argenti, & ſeptendecim millia marcarum puriſſimi auri. Dominus autem Ludowicus Rex Hungariæ filius ejus miſit poſt eam quatuor millia marcarum auri electi. Habuit etiam ſecum de florenis fere cum media garleta: de denariis vero parvis, uſque ad exitum regni, multum. Cui Reginæ etiam Veneti honeſtum valde & utile ſervitium præbuerunt: nam cum duabus galeis, propriis ſumptibus in toto tranſitu maris dictæ Dominæ diligentius famulati ſunt. Tranſito autem mari multum pacifice pervenit in Apuliam: cui obviavit Rex Andreas filius ejus cum conſorte ſua Domina Joanna Regina; & Dominam Elizabeth Reginam cum magna ſolennitate & gloria receperunt, & ita Neapolim cunctis gaudentibus in vigilia S. Jacobi Apoſtoli perduxerunt. Cum igitur in Neapoli hæc Regina Hungariæ reſideret, ducto conſilio, ad Apoſtolicam ſedem ſolennes nuntios *Nicolaum Palatinum*, *Paulum comitem curiæ regiæ*, *Thomam Ruphum*, *Fratrem Vitum*, Epiſcopum Nitrienſem, *Thomam* filium Petri, nec non & *Archiepiſcopum Beneventanum*, ac alios quam plures nobiles deſtinavit; ut Dominus Apoſtolicus ſua benedictione Dominum Andream, Regem faceret corona regia decorari. Interea Domina Elizabeth Regina volens conceptam devotionem ad Deum & ad Sanctos effectui mancipare; ad viſitanda beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum limina in feſto exaltationis ſanctæ Crucis de Neapoli egreſſa cum tota familia, & Archiepiſcopo Neapolitano, ac pluribus nobilibus de Apulia progreditur verſus Romam. Tranſibat autem per civitates & caſtella cum magna tranquillitate & pace, nullo ſuorum cuiquam violentiam ſeu injuriam inferente. Audientes autem terrigenæ Reginam Elizabeth, virtutibus, morum honeſtate, & devotione continua, ut fidus præfulgidum radiare, ac ſuos cum omni modeſtia pertranſire; currebant in vicos & plateas ad ipſam aſpiciendam, & diligentius intuendam; & videntes eam cum admiratione & gaudio, Deum unanimiter collaudabant, quod tam nobilis Domina, & tam illuſtris Regina relicto regno & domo venit a finibus mundi, tanquam Regina Saba ad quærendam & promerendam clementiam Salvatoris. Cum autem Romam intra paucos dies feliciter perveniſſet; commota eſt univerſa civitas in ejus adventu: illi etiam *de Columna* ex una parte Tyberis, & *Urſini* ex alia parte receperunt Reginam maximo cum honore. Vulgus autem reliquum, ac populares magni & parvi, mulieres & puellæ, currebant, ubi tranſibat Regina, & alta voce clamabant: *vivat Regina Hungariæ*; & reſonabat terra in voces eorum: & propter rem alias inſolitam videbant omnes populi communiter ex aſpectu ejus, quendam ſpiritualem jubilum reportare. Perveniens autem ante fores Eccleſiæ beati Petri Apoſtoli, totum collegium Romanum recepit Reginam proceſſionaliter

cum

Digitized by Google

cum magna gloria & honore. Obtulit denique ad altare Beati Petri Apoſtoli, & ad reliquias ſolennia munera in calicibus, & ornamentis inſignibus, & florenis, juxta magnificentiam reginalem. Multa etiam monaſteria, Eccleſias, & Sanctorum limina viſitavit; quæ largis donariis & offertoriis honoravit. Imaginem etiam Chriſti, ſeu Veronicam, bis per ſcalam aſcendendo permiſſa eſt clarius viſitare: ad quam cum devotione accedens ſummo honore, & humiliter adoravit. His itaque geſtis atque perfectis valeſaciens, infra octavas ſancti Franciſci reverſa eſt Neapolim cum exultatione & gaudio: ſua enim devotio cunctis claruit in exemplum. Cum igitur hæc Regina in Neapoli reſideret, & vidiſſet nurum ſuam dominam Joannam ſuperbam & ambitioſam, ac ultra humanum modum conſuetum incedere, mundani honoris avidam, nec Regi Andreæ marito ſuo exhibere honorem regium, ac totum velle, imo, ultra poſſe ſuum; niſa eſt ipſum corona & regno privare, ſicut poſtmodum exitus rei probavit: commota ſunt omnia viſcera ejus acri doloris aculeo compungente Cum itaque ambaſiatores & nuntii longam moram contraherent in Avinione propter diſſimulationem Domini Papæ, nolentis præbere conſenſum, dicti Regis coronationi, viſumque eſt ipſi dominæ Reginæ, & ſuo conſilio fore utilius repatriare, quam ibi incaſſum, & fruſtra, ac cum tædio permanere: *anno Domini MCCCXLIV.* relinquens filium ſuum Regem Andream in Apulia ſanum & incolumem, circa feſtum S. Mathiæ Apoſtoli receſſit de Neapoli cum omnibus ſuis verſus Hungariam; & divertens in Barum, adorato ibi beato Nicolao, & donis & muneribus honorato circa medium quadrageſimæ pervenit Manfordiam; & propter defectum navium & galearum compulſa eſt, feſtum Paſchæ ibidem ſolenniter celebrare, Sequenti autem die venerunt quatuor galeæ miſſæ per Regem Andream pro ſervitio illuſtris Reginæ Hungariæ matris ejus; quæ in eis recepta cum omnibus rebus ſuis & familia, ac aliis pluribus navibus mare Adriaticum transfretavit, & venit Viſceniam Domino concedente. Rediit autem Regina de Apulia in Hungariam tempore ſupradicto, & pervenit in domum ſuam in Wiſſegrad in anniverſario ſui receſſus; & receperunt eam filii ejus, ſcilicet Dominus Lodowicus Rex Hungariæ, & Dominus Dux Stephanus, ac proceres regni cum magna exultatione & gaudio Interea nuntii domini Regis Lodowici, & dominæ matris ejus apud dominum Papam Clementem VI. Andreæ Regis jura eccleſiaſtica, ac leges civiles in conſiſtorio proponentes, ac coram aliis judicibus delegatis per omnia jura probantes, quod regnum Siciliæ jure ſucceſſionis regalis ad dominum Regem penitus pertinebat: laborantes tamen, nihil de negotiis profeccerunt; quia non poterant, ut volebant, antedicti nuntii eorum ambaſiatam per

Digitized by Google

viam juſtitiæ terminare, ſcientes, quod munera & dona, alliciunt etiam animos ſapientum, ignorantibus, Domino Lodowico, & Domina Regina matre ejus, ſpoponderunt dare (ſe, juramento firmius conſtringentes,) ad cameram Domini Papæ quadraginta quatuor millia marcarum, ut permitteretur Rex Andreas regni Siciliæ gubernacula poſſidere. Currente autem hac relatione in Hungariam ad Dominum Regem, & ad Dominam Reginam pervenit hoc pactum: qui hoc percipientes non modicum turbabantur; quia jus regni, quod ad ipſos ſecundum Deum & juſtitiam pertinebat, ſibi per pecuniam vindicarent: ſed ne malignis & perverſis hominibus daretur occaſio & materia, injuſte eos in aliquo judicandi, & nihilominus detrahendi, quod ad regium honorem per avaritiam, & cupiditatem impenderent, ſolutionem antedictæ pecuniæ fieri permiſerunt; ne etiam nuntii, crimine mendacii notarentur. Cucurrerunt igitur exactores ad omnes comitatus & villas regias; & reginales per totum regni circulum prædictam pecuniam ex integro exegerunt, & exactam per certos nuntios ad cameram Domini Papæ Clementis Sexti fideliter tranſmiſerunt; ſperantes firmiter de coronatione Regis Andreæ ſine dilatione promiſſionis fieri complementum. Occupatis autem ſæpe dictis nuntiis in Avinio circa cauſam eis comſam determinandam; interim Dominus Lodowicus inclytus Rex Hungariæ demiſcenti comitiva *anno Domini MCCCXLV.* tranſivit in Poloniam (1); ad ſocerum ſuum, cujus filiam jam acceperat, nomine Margaretham; & ducto conſilio cum Rege Polonorum (2), antiquo, & dicto ſocero ſuo, prædicti Regis filio, congregaverunt militiam fortem & validam; & circa feſtum Beatæ Mariæ Virginis tranſierunt pelagus ſuper glacie uno die naturali, contra Lithuanos paganos, volentes eorum terram, igne & gladio devaſtare; ſed flante auſtro diſſolvebatur glacies, & ex mora illis periculum imminebat; ideo quam citius retroceſſerunt, & ſine fructu vacui redierunt.

CAPUT V.

De ſubſidio per Regem Lodowicum Regi Poloniæ facto.

Item, pro defenſione regni Poloniæ in ſubſidium Kazimyrii Regis contra excelſum principem Dominum Joannem Regem Bohemiæ cum magna potentia ipſum

(1) Chr. Bud. *Bohemiam.* (2) Idem *Bohemorum.*

Digitized by Google

ipsum Regnum & civitatem Cracoviæ invadentem; strenuum militem, *Nicolaum de Zeech*, cum *Petro Paharos*, & aliis militibus cum exercitu copioso transmisit: qui ab invasione, ac impugnatione & devastatione ejusdem Regis Bohemiæ, Regnum ipsum, ac civitatem de obsidione liberando, defensarunt, & in potestate ejusdem Regis cum prosperitate revertentes, reliquerunt.

CAPUT VI.

De exercitu contra Tartaros.

Item, cum gentes Tartarorum, in Regnum Hungariæ sævientes, confinia partis Transilvaniæ, & Siculos sæpius infestarent; Rex ipse strenuum & bellicosum virum *Andream* filium *Laczk* (1), *Waivodam Transilvanum* contra ipsos Tartaros cum Siculis nobilibus & valida gente destinavit. Qui terram, in qua habitabant, potenter subintrantes, cum principe eorum, nomine *Athlamos*, ad resistendum eisdem cum magno exercitu in campo obviantes debellavit; & ipsum principem eorum decapitavit, ac multa banderia, & captivos Tartaros Regiæ Majestati in Wissegrad transmisit. Post hæc etiam *Siculi* Tartaros sæpius invaserunt; & cum magna præda ad propria redierunt. Qui autem ex ipsis Tartaris remanserunt, ad partes maritimas longe distantes ad alios Tartaros fugerunt.

CAPUT VII.

De exercitu contra Croacos (2).

Tandem communicato consilio suorum principum, militum, & baronum disposuit contra suos infideles & rebelles *Gregorium* filium *Cyriaci* (3), & *Niliptium* Croacos, qui *Regna Croatiæ & Dalmatiæ*, ac magnam partem Sclavoniæ usurpando, in præjudicium sacræ coronæ detinebant, cum exercitu copioso, & principibus aliarum partium, specialiter cum magnifico & potente principe *Stephano Bano Boznensi;* (cujus præclaram filiam dominam Elizabeth, nunc Regi-

(1) Chr. Bud. *Lachk.* (2) Idem *Croatos.* (3) Idem *Curiacii.* Edit Brun. & Aug. *Curiacii.*

Digitized by Google

nam, poſtea duxit matrimonialiter in conſortem;) pro obtinendo & expugnando eodem Regno Croatiæ proceſſit, & uſque oppidum *Byhegh* pervenit: propeque ſupra caput rivuli, *Kolkothfew* (1) vocati, caſtra metatus eſt. In quo loco diutius cum ſuo exercitu pauſando, nec ulterius ſe movendo; iidem tyranni & rebelles Gregorius filius Cyriaci, & Jwan filius Nilipczii mortuo patre ſuo ad obedientiam ſacræ coronæ venire ſunt compulſi. Et cum fidelitatem ſervare juraſſent, aliquibus reſtitutis, Rege cum ſuo exercitu ad propria redeunte: idem Gregorius filius Cyriaci rebellavit; contra quem altera vice idem Rex Lodowicus barones ſuos, & milites cum exercitu ingenti tranſmiſit, qui ejuſdem rebellis proterviam conterendo ipſum cum aliis ſuis adhærentibus, Regno Croatiæ reſtituto, Regiæ Majeſtati obedire, & ſe gratiæ ſubmittere compulerunt, & cum lætitia ad propria remearunt.

CAPUT VIII.

De exercitu contra Venetos in Dalmatiam.

Conſequenter tempore procedente idem Rex ad expugnandum & recuperandum *Dalmatiæ Regnum*, quod per *Venetos* a diuturno tempore detinebatur occupatum; exercitum movit copioſum; & cum multis principibus circumpoſitarum Regionum, ac baronibus, militibus, & regnicolis ſuis uſque *civitatem Jadrenſem* pervenit: quæ ſe prius ad obedientiam reddiderat Regiæ Majeſtati. Et quia Veneti eandem civitatem per ſuos ſtipendiarios Teutonicos, Gallicos, & Latinos obſidebant & contra ipſam quandam munitionem, *Scekach* (2) vocatam, firmaverant, gentibus armigeris in ipſa collocatis: & diverſis machinis & ingeniis tam in ipſa munitione, quam etiam in galeis per mare ipſam civitatem Jadrenſem fortiſſime expugnabant. Circa quam idem Rex in campo cum ſuo exercitu reſedit; & machinis, ac aliis diverſis ingeniis applicatis & erectis ipſam munitionem Venetorum, volens obſidionem civitatis Jadrenſis removere, fortiter expugnabat, & milites ac gentes Regis continuis inſultibus hoſtes aggrediebantur, & acerrime invicem pugnam committebant. Et quia hoſtes intra munitionem erant incluſi, per ictus baliſtarum multos de gente Regis vulnerabant; ac etiam gentes Regis

(1) Chr. Bud *Gulgochſeu.* (2) Chr. Bud. *Sticatum.*

Digitized by Google

Regis uſque ad muros appropinquantes ipſis vices rependebant. Et cum opportunitatem captabant, clam gentes Venetorum de munitione ſubito egreſſæ cum militibus & gentibus Regis dimicabant; & ex utraque parte multi corruebant. Ubi etiam ſtrenui milites, *Bartholomæus*, filius *Laurentii Tot* (1), & *Harſandorfer* Teutonicus de parte, in pugna ſunt occiſi. Quamvis autem exercitus Regis ad expugnandum ipſam munitionem fortiter laboraſſet: ipſam tamen, quia nimium erat fortificata & munita, expugnare minime potuerunt. Et hoc videns idem Rex, non ſine magno damno perſonarum & rerum, cum ſuo exercitu ad propria reverſus eſt. Gentes autem Venetorum tam in ipſa munitione, quam etiam per mare in galeis, obſidionem continuantes, per traditionem aliquorum de civitate, eandem civitatem obtinuerunt: & multos cives & nobiles de eadem decollaverunt, & diverſis tormentis, cruciatibus, & pœnis afflixerunt; multos tam viros, quam etiam fœminas, nobiles, & puellas, Venetias, in captivitatem deduxerunt. Et heu, miſerabiliter, Deum non verentes, nec ætati, nec ſexui compatientes, ipſas fœminas & puellas, & alios captivos in perſona, fame & ſiti, ſolum vita ipſis miſerrima reſervata, cruciarunt; & poſtea ſucceſſive in carceribus, & pœnis ipſos peremerunt. De quo facto idem Rex anxie dolens ſe vindicaturum firmiſſime propoſuit, dum tempus ſe adhuc offerret.

CAPUT IX.

De morte Andreæ Regis, Fratris Lodowici.

Poſtea vero, brevi tempore decurſo, quia nihil pene in ſeipſo manet ſtabile, ſed currit tempus, ſemper multas evolvens immutationes, quas neque prævidere facile eſt, neque prædicere; & nihil eſt, quod mutabilitatem non ſentiat, & bellum in media pace conſurgit: accidit caſus lamentabilis & enormis, de morte quondam inclyti principis Domini Andreæ, Hieroſolymæ & Siciliæ Regis, fratris uterini ejuſdem Lodowici Hungariæ Regis, qui per ſceleratum *Corrardum* (2) *de Kathanciis*, & alios proditores ex procuratione *militis Chenſa* (3), in aula ipſius Regis Andreæ morantis, in civitate Averſa, (quæ utinam fuiſſet ſubmerſa) extitit jugulatus & interemtus. Et factus eſt luctus & planctus magnus in Hungaria. Ipſi tamen proditores reatus ipſorum pœnam, & nefariæ

(1) Idem: *Toth.* (2) Idem: *Conradum.* (3) Idem: *Mulieris Joanne.*

Digitized by Google

riæ proditionis præmium ſumſerunt. Quoniam potens & magnificus *comes Novelli*, cognatus Regis & fidelis, ipſos ſuper currum ligari fecit, & per omnes vicos comitatus protrahi; & eorum corpora cum forcipibus ferreis ignitis evelli fecit, carnificari, & laniari morte turpiſſima, extremo ſupplicio perimendo. Super quo eventu mortis fratris ſui idem Rex Lodowicus, ultra modum dicendi, vehementi dolore cordis ſauciatus, condolens & anxius cepit cogitare, & tractare de vindicta; ne tam execrabile ſcelus impunitum pertranſiret: & primo *Nicolaum* (1), filium *Laurentii Toth*, qui poſtea *Konth* fuit cognominatus, ad tractandum cum magnatibus, comitibus, & baronibus illarum partium illuc deſtinavit. Qui in Aquilam, civitatem famoſam, ſuperveniens, cum *Lallo* viro prudente, & de morte ipſius Regis Andreæ multum anxio, Capitaneo ipſius civitatis, habito tractatu, Dominium ipſius obtinuit; & protracta mora ibidem quam plurimos, una cum ipſo Lallo, ad Regis Hungariæ obedientiam, confortavit & perduxit. Hæc, cum eidem Regi, per literas & nuntios, intimaſſet:

CAPUT X.

De exercitu Regis Lodowici, in Neapolim.

Rex, congregato valido exercitu, per partes Italiæ tranſitum faciens; in qualibet civitate, per Dominos & communitates, honorifice ſuſceptus, & largiflue in tranſitu ſuo hoſpitatus, verſus civitatem *Neapolim* feſtinavit. Ex quibus Dominis civitatum, Dominus *Maleteſta de Maleteſtis*, *Franciſcus de Furlivo* (2), *Philippus de Mantua*, & quidam alii, cum pulchra gente armata, ipſum uſque Neapolim ſunt ſecuti, & ab ipſo, honore & cingulo militari inſigniti.

CAPUT XI.

De fuga Joannæ Reginæ, & Lodowici, ejus mariti.

Auditoque ejus adventu, *Joanna Regina*, cum *Lodowico de Tarento*, ejus marito, qui Regem ſe gerebat, clandeſtine fugientes, in tribus galeis, per

(1) Ita cit. Chr. Bud. (2) Chr. Bud. *Furlino*.

Digitized by Google

per mare, verſus provinciam *Avinionem*, ob metum Regis, properarunt. Rex autem Lodowicus, civitatem Neapolitanam intravit; ubi, cum magna ſolennitate & gaudio ſuſceptus eſt. Ex tunc, titulo *Regnorum Hungariæ, Hieruſalem & Siciliæ*, utebatur; & ibidem moram faciens cepit inveſtigare, qui eſſent participes & culpabiles, in morte fratris ſui, Andreæ Regis, prænotati; & capi fecit regulos infra ſcriptos. *Ducem Duracii*, cum duobus fratribus ejus, *Lodowico & Roberto.* Item etiam alios, videlicet: *Principem Tarentinum*, & *Philippum*, puerum fratris dicti Lodowici, mariti Reginæ Joannæ. Quem quidem Ducem Duracii, tanquam culpabilem, in Averſa civitate, in domo dicti Regis Andreæ, in qua tunc habitabat, & fuerat jugulatus & occiſus, decollari fecit. Et dictos alios regulos, in comitatu Caroli, pueri, filii prædicti Regis Andreæ, in Hungariam, per certos barones & milites, deſtinavit: pro eo, quia reos criminis læſæ majeſtatis, punire neglexerant, præſumebantur, aliqualiter tanto ſceleri conſenſum præbuiſſe, juxta illud: *non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori, deſinit obviare.* Qui deputati fuerunt, in caſtro Wyſſegradienſi cuſtodiendi. Et cum magna diligentia & honore, bene & laute fuerunt conſervati, ſicut decuit, ſanguine conjunctos Regiæ majeſtati.

CAPUT XII.

De reditu Regis Lodowici in Hungariam.

Demum, idem Dominus Rex Lodowicus, volens redire in Hungariam cum gente copioſa; ibi, magnificum & ſtrenuum virum, *Stephanum*, filium *Laczk*, Waivodam Tranſilvanum, Capitaneum Regni, & *Wolffardum de Wolffart* Teutonicum, Capitaneum in civitate Neapolitana, in perſona ſuæ majeſtatis, præfecit, & ad Hungariam remeavit.

CAPUT XIII.

De Prælio & victoria Stephani Waivodæ.

Poſt receſſum autem, Regis, quidam Neapolitani, & ibidem milites Capuani, ſeditionem concitantes, Wolffardum expulerunt, prædictum Capitaneum;

neum ; & ſuperbia inflati , ad expellendum ipſum Stephanum Waivodam inſurgentes, inter Averſam & Neapolim , habito congreſſu , fortiſſimum prælium eſt commiſſum. In quo , volente Deo ipſo , Stephanus Waivoda , cum exercitu Domini Regis , victoriam obtinendo , multos comites, barones, milites, nobiles, & cives de Neapoli, aliis interfectis, captivavit; & ſpolia ipſorum maxima obtinuit, & gentibus Regis, cum largitate diſtribuit, & captivos, in magna ſumma pecuniarum , pactando , liberos abire permiſit. Fretus autem victoria, in ipſo Regno, ſecurus permanſit.

CAPUT XIV.

De Captivitate Ducis Vernerii.

Iterum, aliquibus diebus tranſactis , idem Stephanus Waivoda, Ducem *Vernerium*, Capitaneum exercitus Lodowici, cum quingentis armatis , ſocietati ipſius adjunctis, in civitate *Cornechii* captivavit.

CAPUT XV.

De pugna Stephani Waivodæ , cum gente Lodowici , mariti Joannæ, circa Neapolim commiſſa.

Poſt hæc, pars ejuſdem Lodowici, aggregata ſibi appretiatæ gentis multitudine, & quam pluribus dicti Regni Siciliæ infidelibus, in ejus ſocietatem adjunctis , ipſum Stephanum Waivodam exterminare cupiens ; ante civitatem Neapolitanam , diſpoſitis aciebus, conſerto bello , & ſonis bellicis perflatis, aggredi procuravit. Et quamvis longe plures , idem Lodowicus de Tarento, pro parte ſua , gentes , in ſuo exercitu haberet ; & utrinque hoſtiliter ad invicem prælium commiſiſſent: tamen, idem Stephanus Waivoda, zelo fidelitatis armatus, volens potius poſt mortem vivere, per famæ gloriam ; quam terga hoſtilitati vertere , victoriam obtinuit optatam. In quo quidem prælio, idem Stephanus Waivoda, quam plures comites, magnates, & potiores multos , captivavit; & communiter ſæpius, quam plures exercitus ipſius Lodowici, debellavit, civitates plurimas expugnavit, ac gravia homicidia, & perſonarum pericula,

Digitized by Google

la, eidem Lodowico adhærentibus, irrogavit. Sicque, potiores & nobiliores ipſius Regni, ad fidelitatem Regis Hungariæ adduxit, & ipſius ſervitio applicuit; ſicut hæc & alia quam plura geſta ſua, & ſervitia, etiam privilegio ipſius Regis, ſuper donatione caſtrorum, *Oztrogo* & *Chakthornya* vocatorum, inter fluvios *Drava* & *Mura* exiſtentium, in remunerationem præmiſſorum, ſibi conceſſo, plenius continentur. Gentes etiam, ſeu incolæ dicti Regni, quoſque ex Hungaris comprehendebant, vivos excoriabant, & aliis tormentis, ſeveriſſime affligebant.

CAPUT XVI.

De reditu Joannæ Reginæ, & ejus mariti.

Medio autem tempore, ipſa Joanna Regina, & Lodowico de Tarento, ejus marito, in Neapolim redeuntibus, & Regnum ſibi ſubjugare nitentibus; ipſe Stephanus Waivoda, dictum Regem Hungariæ, ad defendendum ipſum Regnum ſuum, contra ipſos evocavit.

CAPUT XVII.

De ſecundo introitu, Lodowici Regis in Apuliam.

Qui quidem Dominus Rex, ſine aliqua retardatione, nec expectata exercitus congregatione, cum quibusdam ſuis baronibus & militibus, inter quos erant principales, *Nicolaus* filius *Gileti*, Palatinus cum *Joanne* & *Dominico* militibus filiis ſuis, ac *Joanne* filio Gileti fratre ſuo. Item *Nicolaus* filius *Laurentii Toth*, cum fratribus ejus, *Leukes* & *Bartholomæo*. Item *Stephanus* & *Georgius filii Bebeek* (1); *Nicolaus de Seech*, *Konia filius Thomæ Waivodæ*; *Andreas Waivoda* cum fratribus ſuis, *Nicolaus Paulus* & *Michael filii Laczk*. Item ex Prælatis Reverendus in Chriſto pater *Dominicus Nicolaus Epiſcopus Zagrabienſis*, qui fuit ibi in civitate Averſana, in Epiſcopum conſecratus, & vene-

(1) Chr. Rud. *Bubek.*

Digitized by Google

rabilis vir, Dominus *Stephanus Præpositus Budensis*, cum fratre suo *Joanne* strenuo milite, filio *Laurentii de Kanisa*, repente in Apuliam transfretavit: & ad portum Manfredoniæ applicuit; ipsam civitatem pacifice de consensu communitatis ingressus, *Theanum* & *Barletum* subjugavit; necnon civitatem *Barii*, ubi Sanctus Nicolaus Pontifex requiescit obsidendo obtinuit, & intravit; ac castro civitatis munitissimo & fortissimo sibi restituto, in eodem resedit, & stipendium soldatis Teutonicis, numero quatuor millibus barbutorum, quorum Capitaneus erat *Conradus de Wolffard*, frater dicti Wolffard copiose & largissime divisit.

CAPUT XVIII.

De Proditione facta per Stipendiarios.

Interim autem gentes suæ de Hungaria, per navigia ad ipsum confluebant, & exercitus ejus nimium multiplicabatur. Quod videntes *Teutonici soldati*, absque voluntate ejusdem Conradi Wolffard, eorum Capitanei ac aliorum principalium proditionem & insultum fecerunt, contra Regem, & gentem suam Hungaricam, & civitatem volentes eam spoliare. Contra quos Hungari insurgentes ac civitatenses, cum catenis per vicos & plateas, quæ sub terra inter muros latebant, constringentes magnam multitudinem soldatorum inter catenas comprimendo occiderunt, & multos ex eis decapitaverunt; equos, balistas, arma, balteos, & res ipsorum abstulerunt: & nisi unam portam ipsi soldati, pro se occupatam & custoditam habuissent, vix aliqui ex eis evasissent; sed tandem extra civitatem fugientes, & in campo jacentes per multos nuntios interpositos gratiam sub tali pacto, a Domino Rege obtinuerunt; *ut de ipso Regno omnes exirent, & adversariis Regis nunquam adhærerent.* Et hoc suis literis & instrumentis firmaverunt. Ex ipsis tamen aliquos Dominus Rex, qui ipsi videbantur esse inculpabiles, in seditione concitata ad suum servitium reservavit.

CAPUT XIX.

De Expugnatione castri Canosii.

Postmodum Rex, qui in processu exercitus, singulis diebus continuatis inter catervas militum, in armis equitare solebat, amoto exercitu, *castrum Canosii*

Digitized by Google

noſii obſedit, & expugnando obtinuit, vel potius reſtituendo. Sed ibidem cum ipſe armatus per ſcalam aſcendere feſtinaret, ictibus lapidum graviter percuſſus, in foſſatum eſt prolapſus, gravem in corpore ſuo ſuſtinens læſionem; de quo Barones & milites, ipſi nimium improperabant, quod ad talia ſe ingeſſit, quæ non decent Regiam majeſtatem.

CAPUT XX.

De Captivitate Stipendiariorum Lodowici de Tarento.

Abinde certa caſtella occupans, *Lutheriam* cujus muri erant diruti, eſt ingreſſus, prope quam erat caſtrum fortiſſimum, pro Lodowico marito Joannæ Reginæ conſervatum. In qua civitate, Rege exiſtente *Nicolaus & Paulus*, filii *Laczk*, vix cum quinquaginta ſtipendiariis Hungaris, centum & viginti ſoldatos armatos, gentis permixtæ Lodowici de Tarento, in campo, in pugna capientes, ligatis poſt tergum manibus, equites armis indutos introduxerunt ante Regem; quos Rex illo die, in refectorio Fratrum, in clauſtro hoſpitari fecit, & refici in cœna, ac die craſtina, ablatis equis & armis, ſicut conſuetudo eſt ſtipendiariorum, abire permiſit.

CAPUT XXI.

De Obtentu Salerni, & obſidione Averſæ civitatis.

De qua civitate ulterius procedens, Deo auxiliante, & vias ejus in proſperitate dirigente, *Salernum*, & caſtellum *Stafach* (1) obtinuit; & inde verſus Neapolim, oppidum *Sumpniam* vocatum, munitum, in quo multi erant briganeii pedites, expugnavit. Et dehinc recedens civitatem *Averſam* obſedit, quæ adhuc in muris non erat totaliter conſummata, ſed de die in diem, per defendicula ingeniorum conſtruebatur, & ad perfectionem deducebatur; ubi Rex, Capitaneum exercitus, *Nicolaum Konth*, virum in conſiliis prudentiſſimum,

(1) Chr. Rud. *Scaffad.*

Digitized by Google

mum, amoto Stephano Wayvoda, præfecit. Quod factum multis displicuit, & ipsum Stephanum Waivodam, exacerbavit, ac processum negotiorum Regis, multum perturbavit.

CAPUT XXII.

De Vulneratione Regis circa civitatem Aversam, & de obtentu ejusdem.

Cum autem ipsam civitatem Aversam, Rex cum suo exercitu, expugnare cepisset, & se ad pugnam ingessisset, sagitta balistæ in pede fuit lethaliter vulneratus; & vix divino fretus auxilio, & medicorum cura mortem evasit. Duravit autem obsidio, bene per tres menses, & quotidie armati Teutonici soldati, Lodowici de Tarento, circa trecentas barbutas, de civitate inopinate & repente exeuntes, & insultum facientes; cum gentibus Regis, Teutonicis & Hungaris, pugnam committebant: & multis ex utraque parte vulneratis, iterato ad civitatem fugiebant. Qua obsidione durante, victualia in civitate defecerunt; & propter famis inediam, multi expellebantur de eadem, & per exercitum Regis capiebantur. Propter quod soldati, ulterius durare non valentes, civitatem una cum castro fortissimo, in quo erat Capitaneus & castellanus, *Jacobus de Pinathariis*, sub pacto securitatis personarum & rerum suarum restituunt, & Dominus Rex castrum, & exercitus civitatem ingressi sunt. In quo loco multas donationes in possessionibus, Baronibus, militibus & Nobilibus secum existentibus, in Regno Hungariæ, fecit & continuavit: quorum agilitates, & servitia in literis donationum eis concessarum enarrantur. Tandem mora protracta in castro, Rex bene convalescens, recuperata sanitate, audacem & bellicosum virum, *Andream Waivodam*, filium *Laczk*, Capitaneum generalem in Regno; *Niconem Drugech* (1), fratrem *Wilhelmi Palatini*, Capitaneum civitatis Salerni; & *Fratrem monialem* (2), militem ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani, *Priorem Auranæ* (3), Capitaneum in eadem civitate Aversana, qui postea infideliter agens, eandem civitatem cum castro, in potestatem Joannæ Reginæ resignavit, in sua persona præficiens: & ibidem dimittens, propter annum jubilæum, zelo devotionis accensus, versus

(1) Chr. Bud. *Nicolaum Drugeth.* (2) Idem: *Morialem.* (3) Idem *Priorem Asianensem.*

Digitized by Google

ſus Romam per civitatem Capuanam, in cujus porta eſt turris altiſſima, ac ſolenni opere fabricata, & ſub monte Caſſino, cujus muri per terræ motum corruerunt, & per Campaniam eſt profectus.

CAPUT XXIII.

De Honore Regi Lodowico in urbe Romana exhibito.

Cui tribunus cum Romanis potioribus, per quatuor milliaria Gallicana, veſtibus ſeu pannis purpureis, ad hoc ſpecialiter ſub uniformitate aptatis, ſolenniter, in trummetis, & diverſi generis muſicorum apparatibus, circa centum perſonas de una veſtitura bene induti, obviam venientes, & eundem honorifice ſuſcipientes, ad urbem Romanam, cujus plateæ pannis pulchre ſtratæ & decoratæ fuerant, introduxerunt, & in *Dominum Romanorum* ſuſceperunt. Quod tamen Rex acceptare recuſavit. Qui quidem in palatio Domini Papæ hoſpitabatur. Singulis autem diebus, tribunus cum potioribus Romanis, ipſum viſitabat, & reverentiam eidem exhibebat; ad domos ſuas, & ad convivia, cum magno gaudio invitantes. Rex autem, quotidie in Baſilica S. Petri Principis Apoſtolorum, miſſam audiebat; & eidem ſingulis diebus, ſudarium vultus Domini oſtendebatur, ad magnam conſolationem peregrinorum, & multitudinis gentium confluentium. Pluribuſque diebus cum devotione ſic deductis, Rex auctoritate Domini Papæ abſolutus, ſuper altare Sancti Petri, quatuor millia florenorum auri offerri fecit, ac præſentari.

CAPUT XXIV.

De Reditu Regis Lodowici in Hungariam.

Exinde cum ſuo exercitu per partes Italiæ revertebatur; & in qualibet civitate, gaudenter ſuſceptus & honoratus, in Veronam pervenit. Dimiſſaque ibidem gente ſtipendiariorum Teutonicorum, quatuor millium barbutarum, cum Wolffardo & Conrado Capitaneis, quia nondum erant ſtipendiis ſuis plene placati; ad expenſas ad Regis rationem computandas ad Hungariam, cum gaudio remeavit, & abinde ſtipendia ipſorum complete remiſit; prædictos ve-

ro

Digitized by Google

ro Wolffardum & Conradum Capitaneos, ad se vocavit, & pro remuneratione suorum obsequiorum, largifluis Regiis donativis ipsos exaltavit. Quorum gesta & servitia, in privilegiis concessis explanantur.

CAPUT XXV.

De Resignatione Regni Siciliæ ad manus Domini Papæ.

Cum autem fere tribus annis, *Andreas Waivoda*, Capitaneus Regni generalis, *Nicolaus Drugeth*, frater Wilhelmi Palatini, Capitaneus civitatis Salerni, cum aliis militibus, principalibus, ac gente Domini Regis copiosa, in Regno & in partibus illis remansissent, multaque bella exercuissent, ac gentes Lodowici sæpius debellassent, & quasi annihilassent ita, ut solum in munitionibus & castris se inclusissent; sicut de gestis & exercitiis ejusdem Andreæ Waivodæ, quæ causa brevitatis ad præsens omitto, in privilegio ei, super possessionum donationibus concesso poterit, qui voluerit, experiri, ut fides certius possit adhiberi: Dominus Papa Innocentius, per suum legatum, primo per Reverendissimum in Christo Dominum Guidonem, tituli sanctæ Cæciliæ presbyterum Cardinalem, de latere missum, ac deinde pluribus vicibus, per nuntios solennes viros, pro liberatione dictorum regulorum transmissis, & postea per dominum Bartholomæum; similiter ejus nuntium decretorum doctorem, principaliter salutaribus monitis institit apud Regem, ut gentem suam de Regno illo revocaret. Ad cujus instantiam, tanquam devotus & obediens filius ipsum Regnum, nec non castra, civitates, munitiones, & terras, quas tenebat, per suos ambasiatores, videlicet Dominum *Joannem electum Wesprimiensem*, in jure canonico licentiatum, & alios ad manus Papæ assignavit; jure tamen suo in regno sibi competenti salvo reservato. Regulos etiam prædictos, quos in castro Wissegradiensi tenebat, liberavit, & usque Venetias, cum securo conductu, honorifice destinavit ad propria remeantes. Qui cum magna lætitia, per mare in Neapolin transfretantes, cum maxima solennitate & honore sunt recepti, & ad ipsorum dominia, & principatus ac ducatus restituti. Hoc non prætermisso, quod tam luculenter & clare, rerum gestarum seriem, per distinctiones annorum & dierum, præpedientibus intervallis temporum, differere non potui; quia aliqua per me ipsum didici, & aliqua per alios fide dignes, rerum notitiam habentes intellexi: & sic venia tribuatur rite excusanti; cum sufficiat,

re-

Digitized by Google

rerum geſtarum ſeriem enarrare. Cetera ſcribenda vel narranda illis relinquo, qui plura ſciunt quam hic ſcripta ſunt de geſtis ejus, tam proſperis quam adverſis ſcribere vel tractare.

CAPUT XXVI.

De requiſitione Venetorum, ſuper reſtituendo Regno Dalmatiæ.

His itaque geſtis & expeditis, ad propoſitum ceptæ materiæ de Regno Dalmatiæ, & civitatum maritimarum eſt neceſſario redeundum. Cum enim Rex principatus, tenutas & dominia Regni ſui, ſacræ coronæ ſubdita vellet conſervare, & uſurpata ad ſtatum priſtinum revocare: inclytum principem, *Andream de Angelo* (1), Ducem Venetiarum, per ambaſiatores ſolennes literaſque, & nuntios ſpeciales pluries ut zelator pacis, requiſivit & monuit ad reſtituendum, ſibi & ſacræ coronæ, Regnum Dalmatiæ, & civitates maritimas in toto occupatum & detentas. Quæ quidem Dux & Domini Venetiarum, negarunt; & aſtruentes ſe oppoſuerunt, & reſiſtere decreverunt Regiæ majeſtati.

CAPUT XXVII.

De exercitu Regio contra Venetos moto.

Super quo facto Rex cum ſuis vicinis conſiliariis, principibus, regnicolis, Marchionibus, & Ducibus contra Ducem Venetiarumque communitatem, de tali injuria graviter eſt conqueſtus, ne videretur eos indebite & injuſte impugnare; ad vindicandumque & propugnandum injuriam, ſibi & Regno illatam, cum valida potentia, pro recuperandis juribus Regni ſui, per ipſos a multo tempore occupatis verſus Italiam, contra Ducem Venetiarum, cum propria gente ſua nec non comitibus, militibus Teutonicis extraneis ipſi faventibus, & auxilium præſtantibus; quos præcipue Teutonicos idiomatis eorum conſcius mul-

(1) Chr. Bud. *Damdulo.*

Digitized by Google

multum diligebat, & eiſdem de ſtipendiis ac donariis largiflue providebat, ex eoque ad ipſum libenter confluebant, eique fidelia ſervitia exhibebant, perſonaliter eſt profectus, & per terras ac tenutas Venetorum, circa caſtrum *Serawal*, tranſiens *Coniglanum* obtinuit, & abhinc & civitatem *Terviſii* veniens, ipſam obſedit, caſtra & terras ſuarum tenutarum, ſpecialiter *Aſulum* cum *Rotkavernis* (1), ubi eſt Abbatia *Criſpiniacum* (2), *Kewerd Gorgoniam*, & *Forgoniam*, ac alias quam plures expugnando, & gentes in eiſdem collocando. Et ſic in Hungariam, dimiſſo ibi ſtrenuo milite, Thoma, fratre venerabilis fratris domini Nicolai Archiepiſcopi Strigonienſis, pro Capitaneo gentis ſuæ, armiger eſt reverſus.

CAPUT XXVIII.

De Obſidione Caſtri Caſtelfranck vocati.

Poſtea vero, magnificum & potentem virum, *Nicolaum Konth* prædictum, tunc Regni Hungariæ Palatinum, ad partes illas tranſmiſit. Qui caſtrum *Caſtelfranck*, Ducis & (3) Venetorum, cum magno exercitu obſedit; & continuatis ibidem pluribus diebus, quia caſtrum bene fortificatum, & gentibus armatis munitum erat, nil proficiens, in Hungariam eſt reverſus, ibidem dicto Thoma milite remanente. Qui quidem Thomas miles, & gentes domini Regis, primo ante portam *civitatis Terviſinæ*, & ſecunda vice in campo propeeandem, cum gentibus armigeris Venetorum, bellum & congreſſum habuerunt, eis devictis, & multis captivatis. Item tertia vice, circa fluvium Brentham navigabilem, contra Teutonicos & ſtipendiarios Venetorum, tranſpaſſato flumine ſuper equos, cum magno periculo, propter fluminis profunditatem, de mane ſubito irruentes, eoſdem ſtipendiarios devicerunt, & captivos abduxerunt; quos ſecundum morem ſtipendiariorum, equis & armis receptis, libere abire permiſerunt. In quo flumine, *Paulus Germanus*, Joannis filii *Cheel*, miles, cum quibuſdam aliis Hungaris, ſunt ſubmerſi. Quo quidem Thoma, per Regem revocato, & *Bnedicto filio Hem*, milite, illic tranſmiſſo, eidem ſurrogato; idem Benedictus miles, ſuperveniens, plurima

(1) Chr. Bud. *Rockanervis*. (2) Idem : *Cuſpimacum*. (3) Idem : *Communitatis*.

Digitized by Google

ma bella contra gentes Venetorum continuavit, & eas superavit. Iterum autem dictus Thomas, illuc est transmissus, & viriliter ac potenter, castra & terras acquisitas, sub dominio Regis conservavit tamdiu, donec expugnata & recuperata civitate Jadrensi, quæ per strenuum militem *Elderbok* (1) nomine, *Teutonicum*, cum gentibus domini Regis, quadam nocte muros civitatis ascendendo, per pugnam maximam, cum gentibus Venetorum armigeris Teutonicis & Gallicis, durissime commissam, ubi idem miles lethaliter extitit vulneratus, ex quo vulnere vitam finivit temporalem, comite Venetorum, seu Capitaneo in eandem constituto, cum suis gentibus devictis & fugatis, capta fuit & expugnata, & in partibus maritimis in Dalmatia, Regia potestas firmata extitit. Cujus regni Dalmatiæ, & civitatum, pleno regimine consecuto; Rex, nolens ulterius occupata de tenutis Venetorum conservare, castra & tenutas, quas tenebat, ipsis restituit, gentes suas revocando, & ipsas in pace dimittendo, sub pacto juramenti, per Ducem & consiliarios Venetorum, quod neminem in terris eis, per Regem restitutis, offenderent, pro fidelitate Regis, vel punirent. Sed tamen postea ipsi Veneti, milites, potestates, & potiores terrarum ipsarum, specialiter vero *de Coneglano*, decapitaverunt & trucidaverunt, juramento prædicto violato, ac bona eorundem confiscaverunt, in displicentiam Regiæ majestatis. Præterea, durante guerra inter eos & dominum Regem, *Ducem* eorum, nomine *Marinum*, in palatio Ducali, Venetiis, cum pluribus ejus consiliariis, de adhæsione Regis inculpantes, suspenderunt, & quam plures etiam Tervisinos, propter suspicionem interfecerunt; & in exilium effugaverunt. Post restitutionem autem ipsarum terrarum, civitas Tervisina, demum per tractatus ad manus *Leopoldi Ducis Austriæ*, cognati ejusdem Regis, se tradidit & subjecit. Cujus dominium ipse Dux Leopoldus apprehendens, per certa tempora obtinendo, tandem similiter per tractatus, *Francisco de Carraria*, Domino Paduano, assignavit, sub certis pactis, gentem suam de eadem revocando.

(1) Idem: *Elderbak*.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

De Exercitu contra Lithuvanos.

Cæterum, contra *Lithwanos*, Chriſtianis, & maxime Regno ſuo *Ruſciæ* inſultantes, perſonaliter, cum exercitu copioſo, & militia ſua propria nec non aliis nationibus ad eum confluentibus, proficiſcens; terris ipſorum ſeu tenutis, in magna parte devaſtatis, Duce eorum capto, ſed in continenti, ſibi promiſſionem de fidelitate & obedientia faciente, liberato, feliciter ad Hungariam eſt reverſus.

CAPUT XXX.

De Exercitu ad Rutheniam.

Poſtea bina (1) vice cum valida gente ſua, etiam extranea, ad Regnum Ruſciæ, ſacræ Coronæ Hungariæ ſubjectum, pro defenſione ejuſdem regni, contra Lithwanos eſt profectus: & fugatis hoſtibus, ac fretus victoria, potentes viros, *Petrum Banum* primo, nec non venerabilem in Chriſto patrem, dominum *Emericum Epiſcopum Agrienſem*, ac *Georgium Zudar*, conſequenter fratres ejus, & poſt hæc *Emericum Bebek* (2), ac poſt eum *Joannem de Capol*, ad regendum ipſum regnum, Wayvodas ſeu Capitaneos præfecit; qui regnum prædictum, bene & laudabiliter defenſantes, ſub titulo ſanctæ coronæ, & regimine ejusdem domini Regis, conſervaverunt.

CAPUT XXXI.

De exercitu, in ſubſidium Domini Papæ, trina vice deſtinato.

Item ad inſtantiam ſummorum Pontificum Romanorum, Innocentii, Gregorii, & Urbani V. beatæ memoriæ, prima vice *Nicolaum* filium *Laczk*, qui mul-

(1) Chr. Bud. *una.* (2) Idem : *Bubek.*

Digitized by Google

multas civitates, oppida, & caſtella ad obedientiam ſacræ Romanæ Eccleſiæ, reduxit, ac etiam rebellantes expugnavit, ad manus domini Egidii cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legati, aſſignando; & poſt eum *Simonem*, filium *Mauritii*, qui nihil profecit, & propter hoc diſplicentiam Regiæ majeſtatis incurrit; ſubſequenter etiam eundem *Petrum Banum*, tempore Domini Urbani Papæ, in defenſionem civitatis Bononienſis, contra *Barnabonem*, & *Galeacium*, dominos Mediolanenſes, eandem civitatem impugnantes, deſtinavit. Et idem Petrus Banus civitatem eandem pro Domino Papa retinuit, & defenſavit, & cum honore ad Regnum Hungariæ remeavit.

CAPUT XXXII.

De exercitu, in ſubſidium Ducis Auſtriæ deſtinato.

Poſtmodum autem, in ſubſidium antiqui *Alberti Ducis Auſtriæ*, Paulum filium Laczk, ad obſidendum civitatem *Turegum*, cum magno exercitu deſtinavit; quam per longam obſidionem obtinuit, & dominio ejuſdem Ducis ſubjugavit.

CAPUT XXXIII.

De exercitu in partes Boznæ miſſo, & de Amiſſione duplicis Sigilli Domini Regis.

Item, ad terram *Boznæ*, ſimiliter Regiæ coronæ ſubjectam, ad conterendam proterviam quorundam rebellantium, magnificum virum, *Nikolaum Konth*, *Palatinum* regni ſui, & venerabilem in Chriſto patrem, dominum Nicolaum Archiepiſcopum Strigonienſem, cum quibuſdam aliis baronibus & militibus regni ſui, cum magno exercitu deſtinavit. Qui intrantes, caſtrum *Zrenck* (1) obſederunt; ſed minime capere potuerunt, ac cum magno damno, perſonarum & rerum, diſceſſerunt. In quo quidem exercitu, quadam nocte, de tentorio ejuſdem Domini Archiepiſcopi Cancellarii, ſigillum Domini Regis duplex

(1) Chr. Bud. *Sebernek.* Edit. Brun. & Aug. *Zrebnek.* mihi videtur eſſe hodiernum *Zwornik.*

Digitized by Google

authenticum, per quosdam filios Bellial, furtive eſt ſubtractum, & poſt aliquod tempus, per ipſos fures, in *Biztricia*, cuidam aurifabro venditum, & confractum, ſicut veraciter eſt compertum; de quo tamen facto, ex fortuito eventu accidente, Rex minime curavit, aliud ſigillum authenticum præparari faciendo, & eidem domino Archiepiſcopo Cancellario aſſignando, ſub quo ſigillo, omnia privilegia, ſeu literas, cum alio ſigillo deperdito emanatas, confirmavit.

CAPUT XXXIV.

De Exercitu Regis in Bulgariam.

Poſt hæc regnum *Bulgariæ*, ſacræ coronæ Hungariæ ſubjectum, cum magna potentia intravit; & *Bodon* (1) civitatem capiens, regnum ſibi ſubjugavit: principem ipſius, nomine *Strachmerum*, qui ſe Imperatorem Bulgariæ nominabat, capiens, & in Hungariam tranſmittens, per aliqua tempora in caſtro Epiſcopatus Zagrabienſis, *Gomnech* (2) vocato, ſub cuſtodia decenter & honeſte conſervatum, in *Budonium*, ad regendum ipſum regnum ſub nomine & titulo ſuæ majeſtatis, ſub certis pactis & ſervitiis, cum gaudio remiſit. Sicut tandem etiam idem princeps, fideſitatem & obedientiam repromiſſam, ſuæ majeſtati obſervavit.

CAPUT XXXV.

De Exercitu Regis, contra Carolum Imperatorem.

Item, contra clariſſimum principem, Dominum *Carolum Imperatorem*, pro quibuſdam diſplicentiis, Rex perſonaliter, cum magno exercitu & potenti, verſus metas *Moraviæ* proceſſit, ac ipſum Dominum Imperatorem, per ſuas literas diffidavit; & oppidum *Trinchium* intravit, & exercitus circumquaque in campo & pratis reſedit. Interim vero diu, donec cum ſuo exercitu ſe mo-

ve-

(1) Chr. Bud. *Budon.* (2) Idem: *Soumech.*

Digitized by Google

veret, Moraviam invaſurus, *Dux Suidnicenſis*, cum certis baronibus & militibus, ex parte Imperatoris, ad tractandum de pace, in Trinchinium ſupervenit; treuga firmata, ad concludendum de pace, *Nicolaus Konth*, Palatinus, *Stephanus Bebeck*, judex curiæ, cum certis militibus, in *Brodam* (1) ad Imperatorem, ubi cum magno exercitu, & multis militibus ſe collegerat, ſunt tranſmiſſi: & interim, exercitu Regis diſperſo, ſine concluſione pacis, revertuntur.

CAPUT XXXVI.

De Exercitu in Moraviam.

Poſtea etiam Dominum *Ladislaum*, *Ducem Opoliæ* (2), & *Petrum Banum*, cum gente ſatis valida, in Moraviam deſtinavit; qui incendia, & maxima damna, ibidem intulerunt, & ad propria reverſi fuerunt.

CAPUT XXXVII.

Quomodo Rex Lodowicus, in Regem Poloniæ fuerit electus & coronatus.

Item, procedente tempore, mortuo *Caſmerio Rege Poloniæ*, avunculo ejus, cum ingenti exercitu, *Poloniam* intravit; ubi in Regem, ex jure ſucceſſorio ejuſdem avunculi ſui, extitit feliciter coronatus.

CAPUT XXXVIII.

De Exercitu Regis, in partes Tranſalpinas.

Item ipſe Rex, perſonaliter per *Bulgariam*, partes tranſalpinas, ſacræ corónæ ſubjectas, invadens, ex alia parte, ultra *terram Siculorum*, cum va-

(1) Idem: *Brunnam*. (2) Ita legitur in Chr. Bud.

Digitized by Google

valido exercitu, ac nobilibus & Siculis partis Tranſilvanæ, tranſmiſit *Ladislaum Vayvodam Tranſilvanum*, cum *Simone* filio *Mauritii*, & aliis ex potioribus militibus ſuis, ad videndum partes tranſalpinas, contra *Layk*, Wayvodam partium prædictarum, Regiæ majeſtati rebellantem. Qui tunc circa Danubium, cum magno exercitu, ad impediendum ingreſſum exercitus Domini Regis, ex oppoſito regni Bulgariæ, inſidiando reſidebat. Qui quidem Nicolaus Wayvoda, cum exercitu prædicto, fluvium *Ilumcza* (1), ubi fortalitia & propugnacula erant, per Olachos firmata, potenter expugnando, pertranſiens, cum exercitu ipſius Layk Wayvodæ, copioſo, cujus capitaneus erat comes *Dragmer Olachus*, caſtellanus ejus de *Domloyka* (2) bello inchoato, & certamine fortiſſimo commiſſo, victoriam obtinuit; & ipſum Capitaneum, multis interfectis, in fugam convertit: ſed poſtmodum, incaute ulterius procedens inter indagines & veprium denſitates, ac paſſus ſtrictiſſimos concluſus, per multitudinem Olachorum, de ſilvis & montibus invaſus, ibidem, cum ſtrenuoviro, *Petro*, ſuo *Vicewayvoda*, nec non *Deſeu*, dicto *Wos* (3) & *Petro Ruffo, caſtellano, de Kykyllewar* (4), *Petro* & *Ladislao* Siculis, viris bellicoſis, & aliis militibus quam pluribus, & nobilibus potioribus, exſtitit interfectus. Et cum gentes Hungarorum, de ipſo exercitu, terga vertiſſent, & ſe in fugam convertiſſent, in locis lutoſis, & paludoſis, indaginoſi, concluſi, multi ex eis, per Olachos occiſi extiterunt, & aliqui, cum magno periculo perſonarum, & rerum damno, evaſerunt; & funus ejuſdem Nicolai Wayvodæ, cum magna pugna, de manibus Olachorum ereptum, in Hungariam attulerunt, ad clauſtrum Beatæ Virginis, in Strigonio, tumulandum. Tandem, hujuſmodi infortunio adverſitatis accidente, & fortuna iterum proſperante, *Nicolao de Gara*, *Bano de Macho*, viro ſtrenuo & bellicoſo, in manu potenti, ipſum regium exercitum, ultra Danubium, contra inſultus bellatorum & ſagittariorum ipſius Layk Wayvodæ, velut imbres ſagittas emittentium Olachorum, per navigia, mœnibus & fortalitiis firmatum, transducente, inimici in fugam converſi, velut fumus evanuerunt; & reſidui totius exercitus, terram verſus *Zewrinum* intraverunt, & eandem occupaverunt. Et tunc Rex, ibidem caſtrum *Zewrin*, prima vice, & poſt aliquorum annorum curricula, *caſtrum in Braſſo* (5) fortiſſimum, *Therch* (6) vocatum, circa terminos tranſalpinos, ædificavit, gente armata, brigantiis (7) & baleſtrariis Anglicis, cuſtodiam caſtri muniendo, in poteſtate ſua reſervavit.

CA-

(1) Chr. Bud. *Ilonca*. (2) Idem: *Domboycha*. (3) Idem: *Uas*. (4) Idem: *Kykullenuar*. (5) Idem: *Braſſou*. (6) Idem: *Treuch*. (7) Idem: *Bugentiis*.

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

De diverſis Regis Lodowici expeditionibus, & pietate, & ceteris virtutibus ejuſdem.

Item, fere ſingulis annis, vel in quolibet (1) anno movit exercitum contra æmulos & rebelles, & ſæpius contra *Rachenos* (2) & *Moldavos*, omnimodam diligentiam adhibendo; & maxime circa regnum *Rachiæ* (3), *Dominicus*, *filius Oslo*, *Banus de Macho*, cum *Zemere*, *vice-Bano* ſuo, & poſtmodum *Nicolaus de Gara*, in juvenili ætate Banus conſtitutus, multum agilis & ſtrenuus, ac in bellis circumſpectus, labores aſſiduos impenderunt ad conſervandum ipſum regnum ſub regiæ ditionis poteſtate. Item, ipſe Rex prudens & largus admodum fuit, & bella multa feliciter geſſit, multaque regno ſuo recuperavit. Qui etiam poſt bellicam gloriam, ſcientia literarum clarus fuit; in aſtronomia avidiſſime laboravit; & propter virtutum perfectionem, etiam apud barbaros ſumme dilectus, nomen ſuum, apud multas nationes exaltavit. Hic pius in religione Catholica, in pauperes munificus, jura ſervavit Eccleſiarum, & Eccleſiaſtica officia plurimum honoravit.

CAPUT XL.

De his, quæ ſuo ſub regimine acta fuere.

Verum, quia juxta ſapientis aſſertionem *bonorum laborum glorioſus eſt fructus*, & *recolenda memoria*; quæ ſuo tempore, ipſo procurante, cum pietatis ſtudio ſunt peracta, hic digne, nec immerito, annectantur.

CA-

(1) Idem: *Tertio.* (2) Idem: *Racenſes.* (3) Idem: *Racis.*

Digitized by Google

CAPUT XLI.

De Judæorum expulsione.

Ipse enim *Judæos* ad fidem Catholicam convertere, & Christo lucrari, tanquam zelator salutis, desiderans; propter obstinatam duritiam ipsorum Judæorum propositum ad effectum perducere non valens: omnes Judæos per totum regnum Hungariæ licentiavit, & expelli mandavit; bona & res ipsorum per usuræ voraginem cumulatas, ut lutum spernens, noluit habere vel occupare. Et sic omnes de regno Hungariæ in Austriam & Bohemiam recesserunt, & dispersi extiterunt.

CAPUT XLII.

De Ordine Eremitarum, & Translatione Corporis Beati Pauli, Primi Eremitæ.

Denique *Ordo Fratrum Eremitarum Beati Pauli primi Eremitæ* in regno Hungariæ florere incepit, & multiplicari. Item, corpus ejusdem Beati Pauli Patris dicti Ordinis, de Venetiis ad Hungariam est translatum, & in claustro Eremitarum apud Beatum *Laurentium prope Budam*, in vertice montis solenniter depositum: in quo loco, & Beati hujus Patris veneranter merita, & populorum laudantium Deum concurrit frequentia. Primo enim Rex Carolus, beatæ memoriæ, Pater ipsius Regis, Fratres Ordinis prædicti introduxit; & paucos habebant conventus & loca, ut puta *sanctum Laurentium*, *sanctam Crucem*, *sanctum Spiritum*, & *sanctum Ladislaum* in silva de *Peliso* (1), & in aliis locis manebant laici sub nomine Eremitarum vagabundi.

CA-

(1) Cur. Bud. *Pylisio.*

Digitized by Google

CAPUT LXIII.

De Conſtructione Clauſtri in Noztre.

Item, Rex Lodowicus, pro ordine prædicto, clauſtrum ſolenni opere conſtruxit in *Noztre* (1).

CAPUT LXIV.

De Conſtructione Clauſtri in Levveld.

Iterum aliud clauſtrum pro ordine *Fratrum Cartuſienſium* in *Levveld* in *Bokonio* (2) ædificavit, & ſufficienter dotavit.

CAPUT XLV.

De Fundatione duarum capellarum.

Item unam capellam *Aquisgrani*, & aliam *Cellis ad Beatam Virginem* pulchro & miro opere conſtruxit, ſufficienter & largiter dotavit, ac pretioſis utenſilibus ad cultum divinum, vaſis, calicibus, libris, & ornamentis diverſis, ac calice de puro auro decoravit. Poſt hæc autem, propter liberalitatem ſuam, & boni exempli operationem, multos traxit ad devotionis ſtudium impendendum barones, milites, nobiles, & quoſdam ex Prælatis; qui loca, dicto ordini Eremitarum, contulerunt, & clauſtra conſtruxerunt, & dotaverunt ad laudem Dei, & gloriam ſancti Pauli.

(1) Idem: *Naztre.* (2) Idem: *Bakonia.*

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

De Converſione Chomanorum ad fidem.

Hic etiam gentem *Chomanorum* (1), ritui Tartarico involutam apud ſedem Apoſtolicam devotius inſiſtendo, exemplo Beatiſſimi Regis Stephani, quem, ad componendum novæ fidei fundamentum in regno Hungariæ providentia divina elegit, & qui corda credentium, poſt Apoſtolos, ſpiritualiter, quaſi imbribus cœleſtibus irrigavit ad laudem nominis divini, ut ampliaretur religio Chriſtiana, ad fidem Catholicam converti procuravit. Cui quidem genti jam in fide Chriſtiana eruditæ, *Fratres de ordine minorum*, auctoritate eis a ſede Apoſtolica commiſſa, curam animarum, jura Parochialia, & Sacramenta Eccleſiaſtica adminiſtrant; & de die in diem in fide confortantur.

CAPUT XLVII.

De Converſione Paterinorum in Bozna.

Item, *Paterini in Bozna*, qui nimium erant multiplicati, & diverſis erroribus implicati, per Dominum *Peregrinum*, *Epiſcopum Boznenſem*, ordinis minorum virum magnæ devotionis & ſcientiæ ad iidem Rege commonente, convertuntur, & baptizantur.

CAPUT XLVIII.

De Baptizatione quorundam Sclavorum.

Item *Sclavi*, *diſtrictus de Lipna* (2), duræ cervicis populus, ad fidem erat converſus & baptizatus; cui Sacerdotes Catholici, ſecundum translationem Beati Hieronymi, Doctoris ſanctæ matris Eccleſiæ, Sacramenta Eccleſiaſtica mi-

(1) Idem: *Cumanorum*. (2) Chr. Bud. *Lippua*.

Digitized by Google

miniſtrabant: ſed nunc, ut narratur, in apoſtaſiam, & priſtinum errorem ſunt relapſi, & multo pejores effecti.

CAPUT XLIX.

Quomodo Moldavia, quæ prius deſertæ fuit, novum Incolatum receperit.

Hujus etiam tempore, *Bogdan*, *Wayvoda Olachorum de Maram roſio*, coadunatis ſibi Olachis ejuſdem diſtrictus, in terram Moldaviæ, coronæ Regni Hungariæ ſubjectam, ſed a multo tempore, propter vicinitatem Tartarorum habitatoribus deſtitutam, clandeſtine receſſit: & quamvis per exercitum ipſius Regis, ſæpius impugnatus extitiſſet; tamen, creſcente magna numeroſitate Olachorum, inhabitantium illam terram, in regnum eſt dilatata. Wayvodæ vero, qui per Olachos ipſius Regni eliguntur, ſe eſſe vaſallos Regis Hungariæ profitentur: ad homagium præſtandum obligantur, cum cenſu perſolvere conſueto.

CAPUT L.

De Peſtilentia, fame, & Terræ Motu.

Item, etiam tempore ſui regiminis, peſtilentiæ, per loca particularia, & etiam per totum regnum Hungariæ, & alia regna convicina, viguerunt; & fames, diverſis temporibus, per locuſtas & mures, ſpicas frugum, & aliarum ſegetum corrodentes, invaluerunt; & pluribus vicibus, terræ motus, per loca factus eſt magnus.

CAPUT LI.

De Exemptione Udvarnicorum, & Aliorum Conditionariorum.

Hujus etiam tempore, multi ex Oduarnicis, & aliis conditionariis curiæ, ad diverſas ſervitutes aſtricti, ſunt exemti, & in cœtum regni Hungariæ no-

Digitized by Google

nobilium aggregati: quia in donationibus poſſeſſionum, gratus ad omnes, largusque & benignus habebatur; & pro eo, ab omnibus, ultra modum diligebatur.

CAPUT LII.

De Conſortibus & Liberis Regis Lodowici.

Æſtimo etiam narratione ſere dignum, quod præfatus Rex Lodowicus, duas conjuges habuiſſe dignoſcitur. Primam videlicet, præclaram *Margaretham*, filiam excellentiſſimi Domini Caroli, tunc Marchionis Moraviæ, qui poſtmodum ad imperium fuit ſublimatus; & iſta ſine prole defuncta eſt. Aliam, inclytam Dominam *Eliſabeth*, filiam Stephani, Bani prænotati, ex qua tres filias generavit *Catharinam*, *Mariam*, & *Advigam*. Ipſa autem Catharina, in puerili ætate, morte extitit prævenia. Et quia ad regalis propaginis ſtirpem, clara ſunt connubia exquirenda; de quibus derivanda ſucceſſio, claris fulgeat naturæ titulis inſignita: ipſam *Mariam*, claram augens proſapiam, illuſtri principi *Sigiſmundo*, *Marchioni Brandenburgenſi*, in puerili ætate utroque exiſtente, quem de ſtirpe Cæſarea pater eduxerat, imperialibus radiis illuſtratum, communicato conſilio ſereniſſimarum Reginarum, genitricis ac conſortis, ſuarum, nec non prælatorum & baronum regni, præcedente, in *Ternavia*, præſente Imperatrice matre ejus, & ſuis baronibus de Bohemia, cum magna ſolennitate & lætitia matrimoniali fœdere deſponſavit, & apud ſe nutriendos conſervavit; qui nunc conregnant, in regni ſolio ſublimati. *Adviga* vero, poſt mortem patris, in *Reginam Poloniæ* extitit coronata; quæ poſtmodum per magnates, barones, & nobiles regni Poloniæ potentiſſimo *Principi Lithuanorum*, *Jagula* nomine, ad fidem Catholicam converſo, & cum ſuis fratribus baptizato, extitit matrimoniali fœdere copulata. Quem, in Regem Poloniæ ſolenniter per eos coronatum, *Ladislaum* nominaverunt; qui ſimiliter, cum conjuge conregnat, lætanter, regno in eodem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LIII.

De Pace & Tranquillitate dierum Lodowici Regis.

Cum autem temporibus ſucceſſivis, idem Rex, ampliſſimæ poteſtatis eſſet, & floreret in regni ſolio, totam ſuam felicitatem ponens in Deo, a quo cuncta bona procedunt, ac ſuum principatum, ac regiminis curam, iſti ſubmittens; non paſſione ac voluntate cupiens principari, velut cuſtos juſtitiæ exiſtens, abſque ratione & lege, nihil voluit attentare: quia vigens induſtria, & regnativa prudentia, virtualiter dominatur gubernatione regni, ſecundum rationem & legem, diligentius circumſpecta. Pollens regimine naturali, non inſtinctu humano, ſed potius divino; ſui deſiderii propoſitum, ad hoc inclinavit, ut, ſequens ſanctorum Regum prædeceſſorum ſuorum, & patris ſui veſtigia, in quibus peramplius & perfectius vigebat, zelus fidei, & religio Chriſtiana, regna ſua, terras, & ſubjectas ſibi nationes, in ſuis libertatibus, conſuetudinibus, & legibus, in bona pace & tranquillitate conſervavit, maxime, quos in fide Domino regeneravit; & ab omnibus æmulorum inſidiis & incurſibus, præcipue autem paganorum, victorioſiſſime defenſavit; nec non etiam Eccleſias regni ſui, in ſuis juribus & libertatibus tenuit, & in temporalibus bonis augmentavit.

CAPUT LIV.

De Vita Regis Lodowici contemplativa.

Conſiderans autem & advertens, regna ſua & dominia, undique ſeu circumquaque, quieto & tranquillo ſtatu florere; quamvis ex conſuetudine, & delectatione a pueritia ſolita, venationes nimium frequentaret: ad ultimum tamen terrenarum rerum occupationibus, quas difficile eſt abſque peccatis miniſtrare, & curis poſtpoſitis, concupiſcentiam carnalem calcare, ac ſibi ſubjicere, & divinis præceptis parere volens, quia omnis caro fœnum, & omnis concupiſcentia ejus, tanquam flos fœni, contemplativam vitam, a tumultu multitudinis hominum ſegregatus, ut piis operibus inſiſtere, & orationibus vacare ſtudioſius, & devotius valeret, elegit, & in his perſeveravit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LV.

De Obitu & Sepultura Regis Lodowici.

Tandem hanc vitam laborioſam derelinquens, & ad vitam perpetuam aſpirans, juxta illud Pſalmiſtæ: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam*, vocatione divina ex hoc mundo migravit, XI. die menſis Septembris, & parum ante cometa apparuit mirabilis. Tantus autem luctus, eo mortuo, in regno fuit, ut omnes quaſi mortem ſuam deflerent. Et ſepultus eſt in urbe Alba regali, in capella, quam ipſe in latere Eccleſiæ Beatæ Virginis collegiatæ conſtruxit; ſed poſtea ejus conſors, *Regina Elizabeth*, ipſam dotavit. XVI. ejuſdem menſis die, *anno Domini MCCCLXXXII.* Regnavit autem quadraginta annis (1), & menſe uno, & viginti diebus. Fuit autem homo competentis proceritatis, oculis elatis, crinibus & barba criſpis, ſereno vultu, labioſus, & aliquantulum in humeris curvus.

AD

(1) Chr. Bud. *quadraginta uno annis & viginti duobus diebus.*

Digitized by Google

AD

EGREGIUM DOMINUM MAGISTRUM

STEPHANUM DE HASERHAG,

JUDICIS CURIÆ REGIÆ PROTONOTARIUM.

PRÆFATIO

MAGISTRI JOAN. DE THWROCZ,

In Deſcriptionem miſerabilis caſus CAROLI Regis, cognomento Parvi, nec non Lugubrefactum Reginarum Hungariæ, feliciter incipit.

Jucundum omnino haberetur, alienam non expetere ſortem; tempora variantur, rerum obducuntur, cæca interdum fortuna, exitus, & inopinato hominum ſpectacula quandoque fine clauduntur. Carolus, duo maxima mundi regna tenens, quæ totam terrore ſui Italiam concuſſerant, propriis non contentus finibus, infelix, animam cum ſanguine fundens, honore ſepulchri poſtremo ſpoliatus, olentem exhalans tabem, inhumatus, longa per tempora, nudo in ceſpite ſtetit: proh dolor! fata in Reges altos, Dominoſque mundi, ſic fulminant; & habenas principum, Gubernator ille omnipotens, ſic temperat. Hujus Caroli caſum miſerabilem, Domine amantiſſime! ut deſcriberem, rogatum me effeciſti; meis majorem viribus ſarcinam, humero meo debili imponis; haud idoneum pulſa-

Digitized by Google

sti ingenium. Magnalia enim Regum gesta, exiguos autores non expostulant; nec alta humili stilo delectatur fama: morem tamen tuæ gerere optavi jussioni, & tuis quædam mutua urbanitas votis; potissime, ne apud te ingratus judicer; me flectere cogit. Non enim, nisi solum tuæ ut satisfacerem voluntati, temere hæc aggredi ausus sum. Nec tamen meo invidum interpretem labori deesse spero. Unde hæc, inquient, præsumtio homini indocto venit, ut carmina conderet, & præstantes stilo agresti res verteret? omnem vitam humanam, etiamsi laudem mereatur, odii gratia detractio comitatur; & lingua maledica, ætati conditionive parcit nulli: commune tamen pondus, qualecunque sit, mitius premit, & pœna, socios habens, injuriosa est minus. Hujus Regis Caroli, lugubre exitium, quidam *Laurentius de Monach*, *Venetus*, homo haud indoctus, ipsa gestarum rerum ætate, compendioso pariter & metrico carmine, perstrinxit. Quem, in magna sui parte secutus, maxime, ne ex me aliquid facere videar, ea, quæ ipse contexuit; tum vero illa, meis juvenilibus quæ in annis, a viris ætate pariter & fide plenis, qui se illius periculi procellis agitatos ajebant, Rege de prætacto, audivi amplius, conscribere curravi. Lege igitur, & discerne; exalta, deprime, & qui hominem ignarum, insueta angariare præsumsisti sarcina, ipse, laudis vel vituperii quidquid referre videbor, particeps esto. Me autem, ut & planctuosum hujus Caroli Regis vitæ exitum, & Reginarum Hungariæ flebile factum, altius ordinare, & longis animum satiare querelis, vel mutans inane, in cælis altissimus juvet, supplex oro.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

De Coronatione Reginæ Mariæ, & de Odio ſubſecuto.

Rex *Lodowicus*, ima ſui regiminis peragens, inops ſtirpis virilis, duas liquit natas, quarum altera, in ordine genituræ ſenior, *Maria* denominata, nondum thoro matura, puero impubi *Sigiſmundo*, *Marchioni Brandenburgenſi*, filio Caroli, Romani Cæſaris & Regis Bohemiæ, genitore adhuc in humanis agente, tali pacto, ut dum virgo nubiles veniret ad annos, nuptias ſimul & de ſponſo Regem faceret, matrimoniali fœdere irretita eſt. Univerſis regni nobilibus, hæc conditio placuit. Fervebant nempe illorum ante oculos, recentia merita patris: multos ſiquidem, tugurio de agreſti, ad ſummum culmen ſublimaverat, alios eccleſiaſticis, alios ſecularibus dignitatibus adornans; nobileſque curiales, ad diverſa regalis domus ſervitia, conditionaliter illaqueatos, ab omni conditionis vinculo ſolvens, eadem, qua meri nobiles fungebantur, ditavit libertate. Quid plura? regnum in pace ſervavit, & Hungaros, amplius quam antea gentibus externis tremendos, amplamque illorum famam hinc inde diffuſam, ſidera tangere fecit; necdum vita functi principis in populo accepti beneficii amor tepuerat: omnis vulgus, concordi animo, hanc virginem Reginam appellat, fœmineum hoc celebri ſexum nomine illuſtrant, illam alto parentis in ſolio locantes, ſacro virgineum caput diademate coronant. Erat huic puellæ mater ſuperſtes, nomine *Eliſabeth*, mulier ſagax & ingenioſa, diſcretioniſque haud parvæ. Hæc, in principatu & regimine, vices filiæ, maturitate fœminea gerebat. Erat & *Nicolaus de Gara*, vir in regno ſpectatiſſimus, ſanguine, ac auri pariterque & agri poſſeſſione nobilis; quem Rex Lodowicus, ſibi ſubjectum, apice honoris Palatinatus regni ſui ſublimaverat. Hic, acceptorum nondum oblitus beneficiorum, ſe totum, qua poterat arte, pietatis imagine quadam, Reginæ obſequiis dedicarat, hanc ſuis dirigebat conſiliis. *Tu*, inquit, *hujus regni moderaris habenas, tu Regina Hungarorum, proceres tuos, de te curare nihil, an non conſpicis? illi Banatum, iſti comitatum aufer, ne elatione ducti, contra te calcitrent: tua his, qui tuo lateri aſſiſtunt, beneficia ſparge; obliquis in te oculis reſpiciunt, abditas eos tibi conſtare inſidias, & reginale ſpernere ſceptrum, ſuſpicor; defuncti ingentia Regis, qui recordetur merita, præter me eſt nullus*: Sexum ubi facilem & ſibi credentem, ad ſua vota perduxit, extorta licentia, ad libitum reginale exercet ſceptrum; Regina,

Digitized by Google

ſuggeſtionis corrupta vitio, tectum defert in proceres odium, & jura patriæ labefactat. Quod dum primores regni ſenſere, paritate confuſa, crudelis diſcordia ſurgit, metus malignas barones in partes dividit, plebs ſcinditur omnis, totis regnum viribus laniant, rebellique terras Marte excolunt, & virginale dedignantur ſceptrum; utque diademate, puellare caput ſpolient, modum quæritant. Non tamen univerſis id facinus regnicolis cordi erat: pars quædam hoc ſcelere intumuerat. *Zagrabienſis Præſul*, *Paulus* & iſte *Italicus*, per Regem Lodowicum ipſa dignitate, inſignitus, tantum omnibus paratior ad nefas; *Stephanus* & *Andreas*, *filii Laczk de Debregezth*; ipſe videlicet *Stephanus*, *Waywoda Tranſilvanus*; alter *Stephanus de Symonthornya*; *Joannes de Horwathi*, Banus, & *Joannes*, *Prior Auranæ*: nullus tamen ex his erat, qui prætacti Regis Lodowici beneficia conſecutus non fuiſſet. Nam præfatum *Stephanum*, filium *Laczk*, ampla caſtrorum *Chakthornia* & *Ztrego* poſſeſſione dotaverat, præſcriptoque in regno, ſpectantioris officii titulo exaltaverat; dictum quoque *Joannem de Horwathi*, infimæ conditionis nobilem, extollens, apicem dignitatis ad altum Banatus regni Dalmatiæ elevans, ſua nominatiſſimos fecerat in aula. Et quid inter ceteros de *Priore Auranæ* dicendum eſt? quem idem Rex; tugurio in humili, popularibuſque partim in tenebris jacentem ſuſtulit; tantoque honore dignum fore arbitratus, humilem natura, quem jacere præcipiebat, virum conſtituit potentem. Hi conceptum evomuere virus, per quod quaſi tota Hungaria infecta eſt: nam cum ad tantas peragendas res, ſe haud idoneos cernunt, quærunt ſocios, & aditos crebris fatigant perſuaſionibus, deſinuntque ſuadere minime, donec inventos, ipſorum flectere faciunt votis. Inquiebant enim: *Quid mentis inopes deliramus? quid cogitamus? quouſque fœmineum, facile & pronum ad iram, feremus imperium? noſtra ei ſervitia ſordent, torvo nos aſpectu intuetur. Noſtri, quem quondam pii Regis in ſervitiis ſanguinem fudimus; quantaque diſcrimina, quantoſve labores, dum Rex Lodowicus, nationes conterebat noſtro gladio peregrinas, pertulimus oblita: de noſtris, quibus quondam eramus ſublimati, honoribus, nos alienos facere ſatagit Regina; quæ prius patebat nobis, noſtrum ad introitum, januam recludere facit, præterque Palatinum Garenſem, placet ei nemo; & ut noſtrum, furore repens ſexus, cruorem ſimul & animam non effundat, graviterque cruentis acquiſitas opes ſudoribus, in ſpolia vertat, remedium adhibendum eſt.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Electione Regis Caroli, cognomento Parvi, & de Nuntio ad illum missо.

CUm igitur se cohortem ad non modicam adunatos conspiciunt, propositas animosius res aggrediuntur; & crebris vicibus convenientes, pro Rege *Carolo*, cognomine *Parvo*, in Apuliam mittere deliberant. Iste Carolus, & nata Lodowici Regis, Maria, unius erant sanguinis. Nam ipsum Carolum, quondam Dominus Andreas Siciliæ Rex, frater quondam Domini Lodowici Regis carnalis, genuerat; & hunc quidem Carolum, velut alta Regum Hungariæ de prosapia ortum, cuncti, quibus hæc res placebat, ipsorum regimine dignum judicabant. Pari tandem voto, Præsulem Zagrabiensem, ut Siciliam Regemque Carolum pariter adiret, rogatum effecerunt. Non multis precibus pulsatus flectitur, non longæ sarcina viæ tædiatus, cui hoc nefas præ ceteris cordi erat, annuit, seque, tanti sceleris, plus quam dici potest hilarem factorem, obtulit. Ne autem nondum peractarum notaretur series rerum, reprehensique sceleris auctores, Reginarum debita præventi provisione, suis frustrarentur votis: palliatis procedunt in tinnitibus, & cæco omnia velamine contegunt, præfatumque Episcopum, limina sanctorum Apostolorum, simul & curiam Romanam voto captum, visitare dimulgant. Nec adhuc *Rex fœmineus*, paterno in solio, duos per annos federat, cum Præsul ipse, viæ necessariis præparatis, terra ac mari pergit: secundaque comitatus fortuna, ubi tunc ipse Rex demorabatur, incolumis, Neapolitanam ad urbem venit; & hospitio capto, mora adhibita nulla, nec lassis tantum post laborem membris quieti datis, placebat enim ipsi, præterquam rem inceptam ad finem deducere; nihil, solis suis suorumque ornatibus vestium rectificatis, concitus properat ad Regem. Quem cum adiit, depressa eum, ut est moris Italicorum, genuum veneratur curvatione: deinde, *magna*, inquit, *salus sacræ sit Regiæ Majestati: quam prælati, barones, procereſque regni Hungariæ universi, post ipsorum fidelitatumque eorum humilem recommendationem, vestræ Serenitati me dicere mandarunt;* simul & litteras, multis munitas sigillis, offert. Repentina de novitate, Rex stupet; paululumque oculis in pavimentum defixis, insperatum quæ sors attulerit sibi nuntium, mirabundus cogitat. Rursusque luminibus in Præsulem elevatis, cum illum hilari vultu sibi adstantem respicit, nil eundem mali portasse arbitratur: mox, quam oblatam in salutantes salutem reddidit, & ut solus, testibus remotis, portatarum experiatur seriem rerum, præter nuntium, omnes de aula exire jubet, lit-

Digitized by Google

literaſque aperit. Dum in illis, ſolum Epiſcopum, in legatione confiſum, utque ei in dictis fides adhibeatur, ſe rogatum comperit: utriſque, ſeſſione penes ſeſe recepta, ut nuntius utatur nuntiatis, Rex expetit. Antiſtes igitur ante dictus, ad Regem Carolum, ita verba fecit: *Magnanime Princeps, tuorum grata reminiſcentia progenitorum, apud nos nondum ingratam abolita per oblivionem, noſtros ad te dirigere recurſus, nos animavit. Te alto Regum Hungariæ de ſanguine ducere originem, & præter te, noſtri ſceptra regni, competere ſcimus nemini. Et noſtrorum virilis divorum propago Regum, effrenam gentem, fœmineum nequit regere imperium; levis ſexus, quas ſuſcitavit guerras, componere neſcit: illa, quam quondam grata ubertate pollentem vidiſti Hungariam, ſævo ſtat Marte lacerata. Atris concuſſæ flammis ædes, nigras redactæ in faces, flebilia veſtigia monſtrant; Dominorum cædes, agros ſteriles cruentat; plebs malignas ſanctiſſima in partes, totis regni in viſcera viribus ſævit, ſeque omnes, inteſtina rabie, regnicolæ rodunt. Quid inquam? ignipedes veluti fœtantis equi ſpreta levitate vectoris, per devia ſparſi, orbem quondam impleverant favillis: ſic gravibus regnum peſtibus undique implevere. Fractum igitur ut componeres regnum, diſcordes untres duces, regnicolaſque humiles, tranquilla pacis amœnitate gaudere faceres, noſtroſque ſubires, quos dirigere nequimus labores, & Rex Dominusque noſter effici non recuſares: te vocamus; tibi jure debetur regnum; tibi nos, æternalis jugo fidelitatis, bona fide ſubjicimus, ut illos, qui quos amavere parentes, & tu amato. Tua itaque Serenitas veniat; nos quoque illud, quod viatici, & ad res componendas neceſſarium erit, fideliter efficiemus. Si enim præjudicium ſororis, quam, ut noſtri, ſolio venerati ſumus paterno, tuæ Majeſtatis morderet conſcientiam: præter ſolitum & illam ſublimavimus; nec dato oneri fœminea ſufficit ſagacitas; maturi etiam ætas viri, tanto ſub pondere ſudat, Hungariæ populus, antiquo expoſcente flagitio, undique medios inter hoſtes poſitus eſt. Odiis præterea intrinſecis, potentis ad inſtar pelagi fluctuat; & ut peregrinis ab inſultibus tueatur, marem expoſtulat. Quodque tanti habenas regni virgo temperet, ardua res eſt; rebus in talibus, magnanimi manus viri interdum nutare videntur. Quid amplius differam? tibi & illi, moderamine adhibito, ſufficiet: latum enim eſt regnum Hungariæ.* Recepta hac oratione, Carolus ſubticuit, & meditabundus relationem diſtulit, remiſſoque ad hoſpitium Epiſcopo, intra ſe novæ rei eventum vertit. Cum igitur diutius cogitatione vacat, dira culminis Hungarici ambitione capitur, & mente acre duellum premit, ratioque ſuperatur; in regni cupidine victa, cadit. Nec differt: Reginam in penetralibus manentem, aggreditur, & ei ſui morbum animi, in hæc verba pandit: *I ſperata mihi novitas oblata eſt; Hungariæ vocor ad regimen. Chariſſima conjux! ire, communemque natum ducere, & diſpoſitis rebus, ei diadema dare, ac regimen ce-*

dere,

Digitized by Google

dere, & rurſus Italiam petere, decrevi. Duros hac tempeſtate labores pertulimus, nedum ut ex illis reſpiraſſemus: verum, graviora minantur. Severina domus, nobis inimica eſt; & gravis ſummi Pontificis in nos ira fulminat; Gallorumque populus, livore tumidus, ut vitam pariter nobis & agri auferat poſſeſſionem, armatam aptat manum; & illam, quæ intrinſecus nos angit pauperiem, ipſe taceo. Noſtros ſi ſuperi ad vota eventus perduxerint, & regni Hungariæ habenas attigero, Hungaricis defectum viribus ſupplebimus: at tui ſententiam animi, quantum tibi ipſa res placeat, mihi dicito. In verbis mariti, triſtis Regina, æquoris ſimilitudine palluit, turbataque, ac ſi illius mens malorum præſaga illam ſtimularet, non tenuit lachrymas. Mœſta, ſuſpiriis intermixta voce, ad Regem ſic locuta eſt: *Diſcordem dolis, odiiſque profanis gravidam, Rex piiſſime, dimitte Hungariam; inſidias, & ut vocantium te pars tibi inimica ſit, ſuſpicor: perfidiam gentis huius novimus. Heu! populo pollicita adulteranti, precor, ne te ſubmittas. Res nobis contrarias, omnipotens ille ab alto, Ottonem Bavariæ, qui principem multo milite fidentem, & Auſoniam armis virisque calcantem, ac populis & opibus ſuperbum, te regno & anima ſpoliare volentem, ſine Marte ſtravit; varioſque innumeris noſtros cladibus hoſtes diſperſit: ultro miſerebitur, viamque dabit, unde, duros vincendo labores, tolerabimus.* Reginæ precibus, Rex haud motus; quem æſtuans medullatim inteſtina ambitio ſuccenderat: contendenſque in ſemetipſum, *fœmineis*, inquit, *diſſuaſionibus, alteram, quæ mihi ſponte venit, fortunam non ſpernam; nec Hungarico natum culmine deſtituam. Regum enim fama, latum per orbem volat: & me, ultro quam fata offerebant ſortem, querulæ conjugis lachrymis, liquiſſe decet.* Accerſito igitur Epiſcopo, ſe vocantium offert votis; utque ad Reginam, regia non deferatur voluntas, vehementer obſervare præcepit.

CAPUT III.

De Fletibus & Querelis Conſortis Caroli Regis in Hungar iam venientis

Tempus erat, quod redolentium variis florum depictos coloribus, quos ſæva aboleverat pruina, ceſpites terra novos germinaverat, ruptoque diræ hyemis ſilentio, philomela, inſomnem ducens noctem, & venturam, dulci modulamine æſtatem, propinquare nuntians, ceteras, in rubenti aurora, cum dormientium oculi ſuavitate capiuntur ſomni, ut ſibi rigidi roris de auſteritate evaſiſſe congratularentur, ſonoroſa voce, aviculas excitabat. Quo etiam ver, po-

Digitized by Google

posteros suorum graduum propinquat ad limites; & impetuosis Boræ flatibus interdictis, fluctuantes æquoris undas, pace tranquilla adunaverat, ac tutum remigantibus salubreque iter pollicebatur. Cum Rex Carolus, res ad viam necessarias disponere, pariterque & naves onerari jussit, & simul vestigia ad urbem flectit. Hunc Regina filiumque secum dum transire videt, lachrymas, quas usque suderat, vertit in iram; precibusque relictis, amens Tymbreæ virginis ad instar, altis virum clamoribus insequitur, & in amaritudine suæ animæ, supplices manus jungens, in eum his verbis usa est: *Omnium sævissime patrum, cur tecum manifestam ad necem natum trahis? si illam, quam cuncti formidant, non pertimescis mortem solus, & si tui non misereris, mei saltem miserere, desolatæque hunc parenti solatia linque: ipsa, crinibus sparsis, genas sævis lacerabo unguibus: mediam in urbem ruens, gemebunda fletibus altis, populi auxilium vociferans implorabo, ut meum, velut e faucibus barathri ereptum, a te mihi filium, restituant.* Tantis Rex clamoribus perturbatus, Reginam, ut taceret, levi jurgio increpabat. Quæ dum non parcit voci, ille totus excandescens in iram, repentis sexus non moderatur impetum; quin illam manibus pulsat, & ab urbe arceri jubet, salsasque maris in aquas, nisi taceret, eam demergere minatur. Illa velut mente capta, exinde nimio incenditur furore, totoque corpore præceps, truculentis ad instar apri, alta clausi indagine, frugiferos conantis evadere in lucos, æstuans, oculisque savillans, & labia concutiens, ad egressum instat: & sui cordis conceptas dum nemini habet exprobrare querelas, dolore torquetur nimio. Rex tandem Carolus, conjugali justo stimulatus amore, Reginæ tum fletus, tum jurgia, visceribus totis recepit; menteque attonitus, longo tempore, arcano in pectore, verba conjugis vertit, & inter spem & medius fluctuat. Cor enim ejus, quod tanto insaniebat furore, futuri esse præscium mali, cogitabat: sed truci captus ambitione, nullis valuit dissuasionibus a proposito avelli. Nihilominus tamen, Reginæ succumbens amori, considerat, quantos genitrici absentia nati dolores pariat; & hunc quidem, dulci promittit linquere parenti, Regina, licet tantis lucretur, & eripiat filium lugubraminibus: erga sortem tamen vicemque mariti, angitur, & mœrore præ nimio, dietim, assidua lachrymarum flumina fundit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Adventu Regis Caroli in Zagrabiam.

Inter hæc Rex Carolus, cunctis moderata discretione fuæ domus & viatici rebus paratis; noſtram in penetralibus lugentem Reginam adiit: & nedum illam, ut, optabat, conſolaretur; verum dum verba illius in præſentia diſſeminat mitia, illi veteres renovat dolores, fletuſque fletibus, crebris intermixtos ſingultibus, addit. Maritali tandem pectore motus, conjugis pro parte placatis doloribus; natum matri commendat, ultimoque vale, non parvis Reginæ & ſuis cum lachrymis dicto, properat ad naves: jam carbaſa ventis expoſita tendebantur. Cum Rex Carolus, Reginaque ſimul, marinum ad littus venerunt, & antequam ab invicem ſepararentur, Regina ad Regem ita dixit: *hominem irrevocabilem, ſurdumque ad preces aure, ſponte ad interitum ruentem, præter te magis vidi neminem. En, tranſibis! ipſa, habitum reginalis amictus, quo te præſente gloriabar, deponam, & veſtes nigras, viduanda parabo; ſemper hominem novum expectabo, qui mortem tuam annuntians, pavidas gravi novitate meas aures vulneret, & tuas mœſtis urbes rumoribus impleat.* Simul & his dictis, longa ſuſpiria, imo de pectore eduxit. Rex quoque, conſcenſis navibus, Italicis ſui regni primis eum comitantibus, velis inflatis, aquis ſe credidit: & optatis ventis ſpirantibus, alta maria ſulcat; ubique fortuna obſecundante, quouſque Segnienſe applicuit ad littus. Eſt enim *Segnia*, maritima civitas, in partibus Dalmatiæ ſituata; in qua ipſe Rex Carolus, condecenti hoſpitio acceptus eſt. Segnienſes enim cives, Italico de principe lætabantur: nam ipſi Italica potius, quam veteri patriæ lingua garriunt uſque in hunc diem. Idem Rex Carolus, ſe vocantibus ſceleris auctoribus, qui illum in multa ſortique militum manu expectabant, conjunctus eſt in eadem civitate; ut artus maris navigatione laſſati, recreamine potirentur, parva mora adhibita. Optatæ enim rei, ut citius culmen adipiſceretur, avidus princeps, feſtinabat. Ab illic igitur ſuorum movens agmina, alpium conſcenſus aſperitate minime tardatus, ad *civitatem Zagrabienſem*; ubi illum ejuſdem civitatis Epiſcopus, in multarum affluentia rerum, grata hoſpitalitate receptum fovit. Placuit igitur Regi Carolo, interim, donec ſui, Hungariam per omnem, fama diffunderetur, civitate in eadem exſpectare; ſuas ſuorumque præterea aures, quantum plebi ejus placeat adventus, ut audiret, undique laxat, & ambages, ut ſuaſionibus Regem fœmineum, erga populum

Digitized by Google

ſpretum redderent, cunctas regni ad partes mittit. Alios inſuper, quod perſuaſio corrumpere nequibat, regnicolas, auro & muneribus ſubordinatos, corruptionis vitio inficiebat. Alios polliticis, velut quondam Orpheus, vocis qui dulcedine, animalia ſimul & arbores moviſſe fertur: paucis fidelibus, ſimulata fronte, fide in priſtina, erga partem Reginæ remanentibus, oneratos ad ſe trahebat. Humiles quoque, quid facerent, niſi ut ſaverent, nobiles, colla quorum regi Carolo adhærentes, Domini gravi mole premebant.

CAPUT V.

De Nuptiis Marchionis Sigismundi, & de introitu Caroli in Budenſem civitatem.

Cum hæc erga Carolum Regem aguntur; Cæſareus natus, rumoribus novitatum propulſatus fide pariter & thoro, prius condictas nuptias firmavit. Hic enim, Rege Lodowico ſuperſtite, ut in futurum regnaturus, Hungarico informaretur idiomate, ſimulque & mores hominum acciperet; per parentes, domo imperiali, Reginæ in aulam, translatus erat. Ne igitur inſidiis, advenientis tyranni, cennexique illi furia populi circumveniretur; deſerta conjuge, patrios ad fines fugit. Harum nuptiarum, dum fama ad Carolum delata eſt; ſpem ejus, res ſecundas aſpicientem, magna in parte minuit. Cæſarem enim, nati præjudicio excitari, & in ſuas res vim & arma inferre cogitabat. Nec Reginas, callida Caroli latebant machinamenta. Quapropter, novarum velut inſciæ rerum, nuntium ad eum mittunt; & utrum hoſpes, an hoſtis veniat, ſciſcitantur. Ille pectoreum nefas, falſa gratæ pietatis imagine, velare conatus, nuntio ita reſpondit: *illas, quas quondam ob genitoris noſtri nequiter peremti amorem, Rex Lodowicus, cujus merita, noſtris ſemper vigilant in viſceribus, in amplo cenſu, viribusque magnis, exegit pœnas, haud ingrato animo reminiſcimur. Stimulo præterea charitatis fraternæ & dilectionis intimæ, quam erga ſororem noſtram, pleno clementiæ pectore gerimus, ad id pungimur: ut regnum ejus, guerra fractum, ſicut ad nos delatum eſt, componeremus; diſcordes regni nobiles uniremus; & pacatam plebem, ſorori redderemus. Noſtri adventus cauſa hæc eſt.* Iſte Reginarum nuntius, Caroli ſpem, propter nuptias Sigismundi collapſam, reædificavit. Nam intimata arbitratus Reginas credere; & occaſione ficta, quam ſe gloriabatur adinveniſſe, motus: iter concitum, verſus *Budam* vertit, Reginæ autem, licet regia intimata non credant; vera tamen eſſe, fronte velata, teſtibus coram,

ſe

Digitized by Google

ſe credere ſimulabant, venientemque innumeris ſtipatum iniquis regnicolis hoſtem, cum vi repellere non poſſe vident, illum ad facinus optatum, ſponte, tutius admittere putant. Quadam enim Reginæ fiducia, quæ rebus in adverſis, humanas juxta ſortes, ſæpe pendere ſolet, captæ; ultricem ſibi fortunam interdum reverti cogitabant. Quare propinquanti Carolo, graves deglutientes dolores, in curru deaurato, pompaque procerum ſe comitantium ſuperba, ambæ Reginæ occurrunt: eumque accipientes ſecum, intra civitatem veniunt. Et licet per Reginas petatur; non tamen, ut eo amplius iniquitatem contegeret, caſtrum intrare voluit: ſed reprehenſionis cavens a crimine, omnino, donec aptius ad ſui voti complementum ſibi tempus præberetur, a regalibus tectis abſtinuit. Cum igitur hoſpitium ſubintraſſent, & Carolus inter Reginas medius ſederet; ſenior Regina, ad Regem Carolum, ita verba fecit: *Chariſſime fili, dulcis eſt tua humanitas, magna gratuitatis pietate referta; qui quondam Regis Lodowici, antiqua tuo defers in pectore beneficia, nec oblitus ſanguinis tui, regnum pariter Reginamque & natos linquens, Hungaricos tumultus ſedare, & noſtros levare labores, tantis de terris veniſti. Nos tantæ mercedi ac laudibus altis, ſufficimus minime: attamen omnipotens, tibi pro nobis, talia penſet.* Circa hæc, ſimul & tacita ſuſpiria ſequuntur. Ille, modeſta circumſpectione, intuitu ſubducto, ad Reginæ verba ita reſpondit: *parens veneranda, vivax quousque ſpiritus noſtros artus diriget, ingentia magnanimi Regis Lodowici merita, ſemper cordi noſtro hærebunt.* Poſt hæc Reginæ, ingrato hoſpiti valedicto; regalia, unde exierant, intraverunt ad palatia: abinceps, novas a Carolo circa ſe res geri, ſpectantes.

CAPUT VI.

De Ingreſſu Caroli Regis in caſtrum Budenſe, & de luctu Reginarum.

Rex Carolus, cum undique procerum catervis ſe late ſtipari, garrulamque gentem ſibi favere, & Reginas contumeliis palam afficere, conſpicit: calliditatis arte quadam, *gubernatoris* ſibi nomen uſurpat; & nomine ſub hoc, caſtrum regale ingreditur.

Peſtiferi autem Caroli Regis complices, humiles regnicolas, ſimul & popularis conditionis plebem, maſculei nomine Regis ludentes, ajebant: *Hoc regnum, affatim ſanguine noſtro reſperſum; ædes igne late vaſtatas vidimus: igitur, proprie non tantum publicæ rei, quantum nos movit profectus, deſiderium in hunc Ca-*

rolum, qui de Regum noſtrorum proſapia derivatus eſt, noſtrum deflectere refugium. Tantarum rerum pondus, noſtris humeris, fidem ad vos habentes, levare præſumſimus: id quod nobis placet, & vobis placere ſperantes. In quantum autem, tantæ fareinæ ſub gravitate deficeremus; illud, veſtro juvamine ſuppleretur. Scitis enim, res noſtras inteſtinis cladibus fractas; ad quas componendas, & regnum ab extrinſecis incurſibus, ille magis, quam fœmina, tueri, idoneus eſt: Hæc illi affatim dicebant. Quapropter plebs ipſa ſeducta, velut ſibi ipſi congratulans, loquebatur: *Quo dum fœmineo prememur jugo? Rex, qui fœmina dicitur, periculi eſt. Hunc Carolum, omnipotens; ab alto nobis dedit; hunc marem volumus eſſe Regem.* His proterva gens latratibus, alta urbis palatia pulſabat; nec minus talibus, Reginarum aures, ingratis rumoribus inficiebat. Quare Reginæ, formidine non modica attonitæ, contremiſcentes, regno pariter & vita ſpoliari, timebant. Igitur Regina ſenior, eductis imo de pectore ſuſpiriis, in hanc vocem prorupit: *Ha, quoniam ingrata reminiſcentia erga nos ducitur Hungaria, oblita ingentia quondam Regis Lodowici merita; ejus in natam, impia retributione utitur.* Simulque, tum has, tum alias multas poſt querelas, prodeuntibus e luminibus lachrymis, pallida ora rigat. Rex vero Carolus, vulgi favore ſuperbus, Hungaricas habenas avidus invadit: & velut pacem facturus, ſub aſtu colloquium edicens, nobiles univerſos, ad caſtrum convocat; portaſque caſtri, latino præſidio firmat. Nec abeſt facundæ ſuggeſtioni in plebe locus; cum fautoribus Regis ſuadentibus, præter paucos fideles, totus vulgus corruptus, Hungarica illi ſceptra tradere, ſpopondit, & ipſi fideles aſſenſere metu. Quamobrem Reginas, tanto fervente diſcrimine, acer nuntius, impia juſſa deferens, aggreſſus eſt his verbis: *De principatu, in quo hucuſque, Deo & nobis volentibus, gloriabamini, contentæ eſtote: amplius, pacato animo, coronæ pariter & regimini, cedite. Nolumus abhinc, ut fœmina nobis imperet. Nec jure debetur vobis regnum; fœminæ eſtis, quas nunquam Hungaria, præter vos, nomine regio venerata eſt. Neque veſtra ſagacitas, ut tanti regni dirigat habenas, ſufficit. Hæc res virum decet. Etenim, hac tempeſtate, in gerendis rebus regni arduis, quantum ſenſus ſimul & manus ſexus fragilis valeant, tentaſtis. Hæc, quæ dixi, omnium voluntas eſt. Utile eſt igitur, communitatis cedere voluntati: potiſſime illi, quæ in aliud converti nequit.* Reginæ, ad hæc verba levitate muliebri motæ, ſenſu pariter & viribus deficiunt; & lethali fauciæ formidine, ut non cadant, vix ſe continent. Matre quoque ſubticente, filia lachrymas, ſimul & hæc verba fundit: *Diadema paternum, mihi jure datum, refutare nolo; attamen, veſtræ voluntatis quod eſt, eadem, qua incepiſtis, via, agite: contradicere enim tantæ cohorti, non fœmineæ eſt poteſtatis; nec aliud, niſi ut me, ge-*

ni-

Digitized by Google

nitricemque meam, ob merita quondam genitoris mei, si quæ memoria sunt apud vos digna, servetis a morte; neque, ut Hungariam linquens, ad expulsum vadam maritum, dimittite, quidquam rogo.

Mater vero, de filiæ relatione minime contenta, nuntio ita dixit: *Fili charissime, gravi in nos novitate uteris. Quod tibi ita cito, ut velles, responderemus, defectus muliebris rationis non exigit. Vade, & dicito illis, qui te ad nos destinarunt: quoniam, quæ tibi commissa fuere, executus es. Carolum enim Regem, de cujus rebus agitur; & nos, eadem servant palatia: ad quem, ea, quæ dicturæ sumus, personaliter deferemus.* Recedente nuntio, Reginæ in gemitus, quos eo præsente vix tenebant, dissolvuntur; mutuoque ruentes in amplexus: in multarum effusione lachrymarum, fletibus insistunt. Utque vicissim loquantur, aut novas recentis doloris exprobrent querelas, singultibus pectora suffocantibus, non admittuntur. Nec minus domicellæ, quas reginale claudebat atrium, tum gemitibus, tum lachrymis, insudabant. Tandem, multos post mœrores, Regina senior, subticente filia, ita verba fecit: *O viduarum orphanorumque tutor omnipotens! cur tuæ oblivisceris justitiæ? quare ab alto, ingratum vindictam differs in prædonem? qui miserandas sui sanguinis feminas, ut matrem & sororem, culmine sacro venerandas, soliis ab altis depellere, & sceptro jure dato, spoliare festinat pariter.* Et his dictis nondum, tersas fluentes e luminibus lachrymas duplicat. Et rursus, post multarum genas inundantium flumina lachrymarum, muliebris furoris sedato impetu; natam, assiduis vacantem fletibus, alloquitur ita: *Grata mihi*, inquit, *filia! jam tuum, perfidus iste prædo, totis viribus, regnum tenet: & prospero eventu tumescens, palam diadema poscit; nostrumque innoxium minatur fundere cruorem. Ne igitur vulgus, novo lasus principe, repenti concitus ira, semel ad regalia tecta ruat; & nos, alterno madefactæ sanguine, simul regno vitaque spoliemur: res metu plenas linquentes, venientibus potius cedamus malis. Hungarici enim furor vulgi, spumantis apri rabiem, ac potentem pelagi sævitiam, interdum transcendere solet: nec honor, neque sexus; Majestatisque vel meritorum respectus, nobis veniam præstabunt. Gens enim ista, humili cervicis sub imagine, superbum defert caput; eapropter, tanto in discrimine, nostras qualitercunque tribulatas animas, servare sufficit. Ad perdita Regna, alta objecundante fortuna, si vita fuerit comes, redire potest: justitia enim Dei, inultum non prætermittit quemquam.* Ad hæc filia, rauca pariter & confusa voce, ita respondit: *Heu mihi, chara parens, regali genita de gremio, fastigiis jam venerata paternis, jamque ætatem agens adultam; quam aliena cognoscere tecta, & quam sceptro vita magis peropto privari.* Tunc iterum Regina senior, geminata emittens suspiria, ad filiam ait: *Regina! potestates & opes non veniunt cuiquam ad luctum; hæc ar-*

arridens fortuna miniſtrat. Exilium, vincula, paupertas, luctus, & mortis innumeræ ſpecies, humanæ ſortis ſunt dotes. Sors igitur omnipotens, quæ nobis præſtat, æquo toleremus animo interim, donec ad nos, eadem, a qua non deſpero, alta fortuna, reuertatur. Et his dictis, veſte ſimul lachrymantia lumina ſiccans, Carolum Regem petit, ad eumque jucundo ſermone orſa: *Hungariam*, inquit, *ſuperbam, & gentem effrenam, fœminea nequit regere manus; tuorum regna cape progenitorum, in te ſceptra cadunt, tuis rebus, ea, qua duceris libidine, utere.* Recens Reginæ ad Carolum facta relatio, extemplo in civitatem delata eſt; & quod nata Lodowici Regis, ſponte ceſſiſſet coronæ, falſa, plateas per omnes, fama reſonabat.

CAPUT VII.

De Coronatione Regis Caroli.

Carolus, in Reginæ admodum delectatus relatione, amplius non differt; ſed, ut fraude raptam citius adipiſceretur coronam, cœtu proceſtum, & turbis popularibus comitatus, *Albam regalem* properat. Eſt enim hæc civitas, humili in planitie ſituata. Hanc natura præter muros, neſcio per quem conditos, limoſis vapis, ſtagnis circumjacentibus, ſimulque calamis & paluſtribus, tuetur. Nec minus illam, altum de lapide templum, in medio decorat. Eſt templo in hoc, quondam Regis noſtri Stephani, primitias Regum Hungariæ, qui tulit, quique ſacræ fidei ad limina, veterum extinguens ſimulacra Deorum, gentem Hungaricam convertit, venerabile corpus. Semper, templo in ipſo, primus honor & pompa noviſſima, Reges Hungariæ, extollere ſolet. Hoc templum Carolus, non, ut veteres Hungariæ Reges, auro micantes, togiſque pacificis amicti, intrabant; ſed horrendis munitus armorum præfidiis, ſubiit. Adſunt & Reginæ, dura ad ſpectacula vocatæ. Hæ, ſancta prius altaria circuunt; poſt hæc, ſepulchralem Lodowici Regis capellam intrant. Dum marmoream, pii Regis, conſpiciunt figuram; corde ſcinduntur, gelidoque diu adhærentes ſaxo, triſtem deoſculantur imaginem, & rubentem, imbribus lachrymarum, lapidem inundant. Pectore tandem ſufficienti mœrore depaſto; iras ſimul & gemitus, viſceribus in intimis claudunt, madidaſque lachrymis genas ſiccantes, ſimul & altos diſſimulantes, ficta fronte, dolores, ſublime fanum petunt. Ubi Carolus, ſacrata circumdatus veſte, medius procerum ſtabat; nec minus clero, myſtica Dei verba cantante: ſummus Strigonienſis Præſul, regale tenens præ

ma-

Digitized by Google

manibus diadema, voce ter levata, de more plebem interrogat: *Si Carolus placet in Regem?* Aliis, fautorum ſuggeſtu; aliis metu, placere acclamantibus: illum in Regem ungit; & laudibus celebri Sacerdotum gutture reſonantibus, ſacrum illi diadema imponit. Sed o mira res! Quæ prius omnibus placere noſcebatur; cum finem cepit optatum, nemini placere viſa eſt. Nam mox vulgus, ſpoliatis Reginis miſeretur; primoreſque ſceleris, qui erant auctores, compuncti intrinſeca conſcientia, rodi videbantur. Quare non læti ſtrepitus, nec glorioſa, regalis quæ quondam coronationis pompas comitabantur gaudia, ſequuntur: & ipſi Reginarum fideles, ingratum jugulare tyrannum; ſanctumque Dei templum, illius cruore fœdare; ac ultrices animas, Regis madefactas in ſanguine, per vulnera mille efflare, ardebant. Nec deſunt oſtenta, Regi inimicantia. Nam, dum de conſuetudine, ſacræ poſt miſſæ ſolennia, regali in faſtu, procerum caterva ſtipatus, templum egreditur, equum auro radiantem aſcenſurus; inſigne ſancti Regis Stephani vexillum, quo prima dies regni dudum freta fuit, totque per annos, pia religione, futuris Regibus ſervatum, illum præcedens, teſtudine valvæ tactum, in partes frangitur, & Regem, ſceptra fraude rapientem, dedignatur. Cum vero ſecurus, caſtro in Budenſi manens, nova gloriaretur de dignitate; illum Deus, atris ab alto portentis, territat. Diebus enim autumni mediis, nimbus oriente de ſubſole terribilis, qualem exacta per ſecula, ſenes Hungariæ meminere nulli, volumine magno emergens, denſiſſimos diſſolutus in imbres, turres altas, elataſque domos, impetuoſis flatibus concutiens, ſtridore & mugitu ingenti, tremulari fecit; altaque tectorum cacumina evertens, medias vertit per auras. Tremendum dictu! Cum tam denſi aquarum vapores, & validi ventorum flatus, triduana ſæviſſent ira; in chaos æternum, amplius putabant rediturum orbem. Et rurſus, ſuæ regalis circa occaſum pompæ, inopinatamque ejus vitæ prope ante ruinam, innumera corvorum multitudo adventans, humana quæ vi aut arte nulla depelli potuit, regalibus tectis inſedit; & turmatim volitando, caſtri ferebatur per partes, horrendoque crocitamine, ſidera ſimul & aures attonabat humanas. Nihilominus roſtris in vim & vulnera verſis, mutuos artus deplumabant, nigraſque pennas; pariter & regalis culmen cubilis, purpureo cruentabant ſanguine. Movebant hæc prodigia Carolum; & ſentiens minitantia fata, ipſum gravibus territari oſtentis: ſpe tamen futura deluſus, ſe minime ſentire diſſimulabat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Nece & interitu Caroli Regis Parvi.

Inter hæc Regina Eliſabeth, tanto de vertice faſtus dejecta, gravi amaritudine torquetur: Majeſtatisque noviter abactæ dulcedine capta, ultrici ardens furore, rem, cæca fraude ablatam, tectis revocare inſidiis parabat. Nec Palatini Garenſis ſuggeſtio deeſt; Reginis enim, alto ſpoliatis honore, magis compatiebatur nemo. Movebat hunc tum ſuarum pietas Reginarum; tum illi, quædam Regis Lodowici merita, cordi erant. Iſte, quantum in tam grandi facinore committendo, fœminea deficiebat magnanimitas: Reginam, Caroli ad necem impulit; ſeque hominem, qui Regem audax ferro aggrederetur, habere ajebat. Erat enim erga hunc Palatinum, homo conditione nobilis, viribus & animo fortis, *Blaſius Forgach* denominatus; de cujus proſapia, dominos caſtri *Gymes*, eodem cognomine inſignitos, noſtra ætas, derivatos non dubitat. Hunc Regina ſimul & Palatinus, in mortem Caroli, convenerunt; &, ut quidam dicunt, quod caſtrum *Gymes* prædictum, eidem Blaſio Forgach, tantæ præſumtionis pretium fuiſſet. Poſtquam autem de Rege aggrediendo, inter Reginam & Palatinum, clam conventum eſt; viam quærebant, qua ſecurius tanta res perfici poſſet. Quare Palatinus, calliditatis arte quadam, ad natæ ſuæ in proximis celebranda connubia ſe pergere debere, divulgans: novo honore ſimulato, novis ſe militibus ſtipat; lateribus etiam extrinſecis, fideles, quos ſuarum mordebat præjudicium Dominarum, de Rege, novas res, paratis armis, ſpectare docuerat. Et cum ſe tantum ad nefas aptos viderunt, Palatinus Reginam inſtruit, ut Regem, ſua ad penetralia ficta occaſione adinventa, vocaret. Erant enim tunc rigidi menſis Februarii dies, feſto Virginis ſacratæ, cui Chriſtus roſas cum pomis, ſuo miſiſſe de roſario recolitur, propinquantes; *Dominicæque Incarnationis mille trecentos octoginta poſt annos quintus*, novo volumine currebat, cum Regina Eliſabeth, illius diei circa occaſum, a Marchione Sigismundo, genero ſuo, novas ſibi allatas literas, Regi Carolo intimavit; rogans ipſum, ut ſuam deſcenderet in domum, & diſſolutionem ſimul & ſecreta literarum intueretur, ac occulta, quæ ſecum haberet, conferre audiret. Infelix Carolus, tetra peccati caligine obſeſſus, cubili ab alto deſcendens, Italicis comitatus aulicis, reginale adiit hoſpitium. Eadem & Palatinus Garenſis hora, ſic enim conventum erat, plurimam ſecum tra-

Digitized by Google

trahens cohortem, caſtrum regale intravit; ſuisque catervatim, prout illis commiſerat, in portis caſtri remanentibus, ipſe ad palatium, quod Regem ac Reginam ſimul tenebat, ſequenti luce, ad filiæ nuptias ſe tranſiturum diſſimulans, ut domino dominæque ſuis valediceret, conjuratum ſub veſte enſem accinctum ſecum deferens, intravit. Regina igitur & Palatino, Regis ad latera ſedentibus, & variis tractatibus incumbentibus; Italici, ſponte conſilio cedunt, domoque egreſſi bini & bini, ut eorum moris eſt, per caſtrum ferun-tur. Dum ergo Palatinus, congeſtum ad facinus, optatum tempus ſe exhibere vidit; *Blaſium Forgach*, tantam rem audax qui ſuſceperat, aſtantem, obliquo lumine intuitus eſt. Ille, accepto ſigno, deſub chlamyde, mox rutilantem educens gladium, illum in Regem in tantum fulminat; & in ſuorum virtute brachiorum, ipſum gravi ictu aggrediens, verticem ſimul & ſupercilium, lumenque ejus medium, miſerabili vulnere ſcindit; & ſcelere commiſſo, aulam egrediens, Italicis, ingenti undique clamore & concurſu invaleſcentibus, enſe cruentato, palatinales uſque ad turmas, ſibi viam aperit. Rex vero Carolus, tanti vulneris acritate ſuſcepta, minime cecidit: ſed infelici ſurgens in quo ſedebat de loco, lento nutantique greſſu procedens, per pavimentum cruore longa veſtigia ſignabat; & cubile, a quo ſanus deſcenderat, æger adiit. Regina autem Eliſabeth, inſuetæ rei viſu attonita, ſuæ domus amens corruit in medio. Palatinus vero, conceptum nefas ſe peperiſſe lætatus, munimina caſtri, intrepidus aggreditur; portaſque ſimul & arces, Hungaricis reparat armis. Italici autem, ſine principe, ſine armis, medios ſe volvi inter hoſtes, ac Regem ſanguinem fundere, dum conſpiciunt, fugæ præſidium ipſis tutius eſſe putant, & ut reſumtis armis, viroque potentes, in vindictam Regis redirent, caſtrum egreſſi, totam percurrunt civitatem. Sed cum nullum Regia moveri ultione, arcesque captas, & hoſtili ſatellite, ſe ab ingreſſu caſtri prohiberi advertunt; primæ noctis ſub tenebris, regalibus comitati fautoribus, fugientes, Italicas tendebant verſus oras. Ejuſdem tandem noctis ſub conticinio, reginales & Palatini complices, non ſine feritate, regale irruentes ad cubile, ſublatiſque poſtibus, Regem ſaucium extrahunt, & captum, altæ turri ſervandum tradunt. Heu, de genere humano, quantis fortuna ludibriis triumphat! proh dolor, Regem, turris iniqua, excubias vigilantes nuper in qua ſolebat habere, carcerat. *Cedente enim Deo, ſua quemque crimina, vaſto pondere præcipitant. Quisquis es, ſecundarum primam rerum frontem, cur inſpicis? cur gaudes de illis? cum incerta rerum ſint momenta, & ſæpe eaſdem, fata, adverſo cardine claudant.* Nec minus noctis ejuſdem obſcura ſub profunditate, finitimas Reginarum gentes ad

Digitized by Google

id ſervatas, tantique avidas ſpectaculi, in civitatem introducentes, vix indubii adventum diei expectabant. Et cum titaneus axis, rubentem advexit auroram, & ſplendor illo ſolis aureus, humentes depulit tenebras; cumulatis viribus, plateas civitatis vagantur per omnes, & *Regem* regnare *Mariam* clamitant, ac ultrices per manus de Caroli fautoribus gravem talionem exigunt, Irrumpenteſque domos Italorum, congeſtas illorum gazas, voraci prædæ exponunt; nocentium undique ſanguinem, in multa rabie fundentes. Et niſi ille *Joannes Orwathii*, Banus, in forti ſuorum Croacorum manu, portam ſabbati, cruento certamine ſibi vindicaſſet: ibidem, graves ſui demeriti pœnas luiſſet. Rex poſtea Carolus tollitur, & celſam ad arcem Wiſſegradi, ſervandus mittitur; ubi vulneri, ut quidam ajunt, venenata medela adhibita, faucibus eliſis, & reſpiramine clauſo, mœſtam conſummavit vitam. Nunc, quid opes, quid regna, quid proſuit, altas Reginas, potentibus ſpoliare ſceptris? dum fortuna illa omnipotens, urbibus ex tantis, ultimam ſepulchri pompam, cunctis mortalibus unam, tibi negavit. In *clauſtro* enim *Sancti Andreæ*, infra arcem Wiſſegradienſem prædictam conſtructo, non paucos per annos, tabidum in cadaver redactus, intumulatus jacens; ærumnæ humanæ, ingens ſpectaculum, Regibuſque futuris, documentum & exemplum ſatis grande præbuiſti. Enimvero, Rex iſte, ante hæc, Romanam contra Eccleſiam præſumens, Siciliæ de regno, debitum annualis homagii fiſcum illi negat, propter quod ſummus Pontifex, eum, ſuæ calamitatis hunc paulo ante diem, anathematis vinculo innodaverat. Et hæc fuit cauſa, Regis membra iſtius, ſacratam quæ humum attingere vetuit.

Finit tertia pars Chronicæ Hungarorum.

PARS

Digitized by Google

PARS QUARTA
CHRONICÆ HUNGARORUM,

QUÆ

EST PRÆCIPUE DE SIGISMUNDO REGE, ET IMPERATORE, SIMUL CUM CETERIS EJUSDEM GESTIS.

INCIPIT PRÆFATIO
IN QUARTAM PARTEM
CHRONICÆ HUNGARORUM.

Innovare omissa hominum acta, ne negligentia emergente subripiantur, tuis votis, rationabili occurrente causa, imo vetusta nondum labefacta amicitia cogente; amplius, quam me rogatum effecisti, parere duxi. Potissime, ne impulsu tuo, temere incepto operi meo, finis desit; & tempora quondam nostri principis, Regis Sigismundi & Romani Cæsaris, quem superius Brandenburgensem nominavi Marchionem, quæ meo jam exacto labori quodammodo, ne stylo aliquali intacta, humanis labantur expræcordiis, majora meis viribus, ut dementium moris est, ag-

Digitized by Google

gredi præſumens: ea, quæ a præfati Regis Caroli triſti exitu, Regni Hungariæ intra viſcera, infra præclarum moderni principis noſtri regimen, geſta fuere; maxime, quæ immortalitatis honore ſunt digna; prout rebus de eiſdem, per magnificum dominum Michaelem Orzaag, Palatinum, quem præfatus Cæſar, non claro ſine merito, humilis nobilitatis de tugurio, alta ſublimavit Baronatus ad atria, tum vero per quoddam regiſtrum ejuſdem Cæſaris, diebus præſcriptorum temporum ſuorum pro obſervatione conſcriptum, edoctus; ſtylo prius excuſato, & carmine parviloquo, perſtringere, ac tibi, qui me, tantillum languidæ latinitatis hominem, hujus operis ad primitias, tuis arctare ſcriptis non erubuiſti, dedicare curavi. Vale.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

De vindicta per Joannem Horwathii, Banum, a Reginis & Palatino exacta.

Rege Carolo nequiter peremto, & Regni habenis rursus per Reginas arreptis: Regis Caroli qui erant auxiliarii, metu concutiuntur non modico; & partes sibi tutas quæritantes, non minus Regem extinctum vindicare ardebant. Reginæ autem & Palatinus, omnia eis contraria, ipso Rege interfecto, complanasse & deviciſſe arbitrantes: illa parte anni instante, cum sol fervidus, leonis ingrediens signum, fervido messores quassabat æstu; infelices Reginæ, simul & Palatinus, dementia ductrice, aulicorum tantum comitati catervis, Budam egrediuntur, & partes Regni lustrant inferiores. Et cum celeberrimo die festi Beati Jacobi Apostoli, versus oppidum *Diako*, nulla insidiarum suspicione pulsati, medium graderentur per campum; *Joannes de Horwath*, *Banus*, ingenti hostilitatis manu collecta, ultrici æstuans animo, furibundus, in agmina aulicorum irruit; grave certamen committitur, hostes inter utrosque. Et cum Reginales palatinalesve gentes, imparitate hostium se excedi viderent; illi, qui nondum ceciderant, terga dantes, præcipiti fugæ se commiserunt. *Blasius* vero *Forgach*, ut erat audax, primitias excipiens congressus, ex impulsu hostilis lanceæ, medios inter bellantes, dejectus ab equo, capitur; & intuentibus Reginis, decollatur. *Garensis* autem *Palatinus*, dum tanti discriminis præsidium solam esse mortem considerat; descendens ab equo, & Reginarum junctus currui, in hostes gladio utitur, seque ac Reginas, viribus defendit totis. Sed quid prosuit solitariæ manus defensio? cum undique inimicum insistens brachium, eum lethalibus sagittarum ictibus sauciabat; quas ille suo infixas corpori, ne sibi feriens præpediretur manus, arundinum ad instar confringebat; & interim tantæ cohorti obstitit, donec per quendam militem, reginali desub curru, unde non timebat; per pedes arreptus, in terram dejicitur, ac Reginis & earum pediſſequis, futuræ mortis metu, stridenti clamore invalescentibus, ibidem capite truncatur. Quo peremto, & Reginalibus aulicis aliis deletis, aliis fugatis, feritas illa Croacorum, honoris ignara, reginales currus invadit pariter & evertit; ac Reginas simul, & domicellas earum, sine venia sexus, & absque reginalis reverentia dignitatis, curribus de eisdem extrahendo, & multis afficiendo contumeliis, captivas, sui Bani adducunt in præsentiam. Quibus, dum ille Regis Caroli necem, multis op-

Digitized by Google

probriosis exprobrat dictis: Regina senior, mox genibus in humo defixis, supplices manus elevat; *Parce*, inquit, *mi Bane, parce; & illud, quod quondam a Rege nostro Lodowico, beneficium tulisti, reminiscere, ac in natam ejus innoxiam, sævire noli. Ipsa perpetrati sceleris sum auctrix; alter nostrum, ejusdem rei opifex, qui & me ad hunc perduxit finem, pœnas dedit: sexui igitur fragili, tui honoris gratia, miserere; quoniam non absque causa deliqui.* Et cum Regina ampliori vellet uti sermone, illius e conspectu, ipse abiit. Dum autem nox superveniens, illius diei fugata luce, undique suas diffudisset tenebras; Regina *Elisabeth* tollitur, & frenatis saucibus, annis *Bozwtha*, altas demergitur in aquas. Reginalis vero atrii virgines, tum nobilitate, tumque pulchritudine insignes, nocte eadem, dedecoris lecto tractatæ fuisse, quod apud me vel habet fidem, perhibentur. Tandem diluculo, propinqui ortum solis, diem qui efficit clariorem, nuntiante, sine morâ consurgentes, Croatiam versus, suorum flectentes habenas equorum, non sine festinatione transierunt, juniorem Reginam, secum captivam ducentes. Proh dolor! humana conditio, quam variis fortunæ volvitur eventibus. Arridentem enim pridem Reginis sortem, tam cito in adversas commutari, quis putasset? ut recens exactam post vindictam, inopinatam sui demeriti redderet, tam parvo in tempore talionem. Reginæ enim & Palatinus, de nece Caroli has pœnas dedere. Nam ille, qui cuncta creavit, cuncta & respicit, & suo intactum judicio, omittit præterire nihil.

CAPUT II.

De Reditu Sigismundi Marchionis ad Budam, & de Liberatione Reginæ.

Eadem tempestate, qua Rex Carolus, sanguinem simul & animam fudit; Regina Elisabeth, patratarum seriem rerum, ad Marchionem Sigismundum, novi gratia gaudii, conscribi faciens, & ut festinanter veniret, illum, suos per nuntios, rogatum effecerat. Quare ipse Sigismundus Marchio, enormis casus Reginarum fama nondum audita; cum Bohemorum armata manu plurima, multis etiam illum, partium regni Hungariæ superiorum proceribus, comitantibus, intardus ad Budam descendit, sponteque ad arcem immittitur. Eisdem autem diebus, Regina junior, in castro *Crupa* denominato, in partibus Croatiæ situato, tenebatur. Postquam Joannes Horwathii, Banus, Marchionem Budæ existere, & proceres illi favere audivit; mente & animo debilitatus,

Digitized by Google

tus, graves incidit in curas. Quare Reginam adiens, illi ita locutus est: *De omnibus erga te, & tuam genitricem, quamvis satis digne gestis, pœnitentia ducor: licet te eidem fini, cui & genitricem tuam, exponere, in proposito habuerim. Cum manifeste sciam, si tibi vita servabitur; eadem quandocunque mihi demetur. Sed ne manus meæ, sanguine benefactoris mei, polluantur, te dimittere deliberavi: ita tamen, ut mihi fidele juramentum præstes, me nunquam tuæ liberationis pœnitere. Sin autem, incepta non minus perficiam: & omnia simul, una & eadem, si oportuerit, solvam talione.* Et his dictis, domum exivit. Superba vox tyranni, intima Reginæ pectoris scindit. Quare abundantes ejus e luminibus oriuntur lachrymæ, pallidas per genas undique defluentes. Sufficientem tandem post mœrorem, siccatis oculis, illum ad se vocari petit. Qui dum affuit, Regina metu concussa, non tantum juramentum illi præstare; verum etiam, quia vitam illius servaverat, illum ut patrem erga se semper esse venerandum, promittebat. Sanctæ igitur afferuntur reliquiæ; & omnia, quæ ipse Banus exigebat, per Reginam, Sacramento reali roborantur. Quapropter Reginæ currus coaptantur; & ipsa Regina, velut e flumine erepta, Budensem optatam deducitur ad civitatem.

CAPUT III.

De Coronatione Regis Sigismundi.

Hæc omnia, triennio, vel paulo amplioris spatio temporis, post Regis Lodowici obitum, crudeli impetu, in multa sanguinis effusione, multarumque direptione rerum, transiere. Tandem Nobiles Regni, quam gravibus torqueri guerris, potius pacis grata amœnitate gaudere præeligentes, *anno Domini MCCCLXXXVI.* ea videlicet anni ipsius ætate, cum ver, suavi avicularum modulamine gratissimum, posteros sui cursus propinquans ad limites, venienti fervidæ æstati, rubentibus hospitium decoraverat rosis, geminique currum vehentes Phœbi, altiores ætheris conscendebant ad gradus, ad magnum scilicet diem Pentecosten; in Albam regalem convenerunt. Ubi *Regina Maria*, cuncto in unum convocato Nobilium cœtu, media stetit inter illos, ablutisque prius genis lachrymarum rivulis, non gravibus sine suspiriis, ad populum hanc vocem fecit: *Domini & fratres, qui mei genitoris reminiscentes merita, in me benevolenti fuistis animo, & meum, per vos mihi datum, non labefactastis im-*

pe-

Digitized by Google

perium! Deo, & vobis, gratiarum immenſas refero actiones. Noſtis, quanto guerrarum turbine, noviter elapſis diebus, noſtrum agitatum eſt Reginen; quantaſque ipſa pertulerim periculorum procellas: illa mihi veſtri in conſpectu referre, aut vobis audire, neceſſarium eſt minime. Omnia enim, vel vidiſtis, vel audiſtis. Nec veſtris de præcordiis puto eſſe lapſum, quali pacto, genitore meo gratæ recordationis nondum ſublato, veſtro ad id accedente voto, huic principi, (quem manu ibidem aſtantem oſtendit,) *matrimoniali fœdere ſim irretita. Credo enim, quod illa, quæ tunc placuere vobis, & nunc placeant. Ecce igitur, de ſponſo Regem efficio; juſque Regni, pariter & diadema illi cedo: potiſſime, cum nec fœmineum vos amare imperium, neque ad dirigendas tam impetuoſæ gentis habenas, factis teſtantibus, illud ſufficere animadvertam.* Simul & cuncto coram populo, Marchionem juxta ſe ſtatuens, ait: *Hic Dominus & maritus meus, hic Rex veſter eſt. Parcite igitur regno; & veſtras, mutua cæde, ne deleatis perſonas. Pax enim, ubique terrarum, optimum bonum eſt: & concordiam populi, vicinum regnum metuit.* Reginæ oratio, adſtantibus placuit univerſis. Igitur celeberrimo die ſcripti feſti Pentecoſtes inſtante, ipſe *Sigismundus Marchio*, ætatis ſuæ anno vigeſimo, ceterorum Hungariæ Regum ad inſtar, magno cum tripudio, in Regem ſolenniter inunctus extitit, pariter & coronatus.

CAPUT IV.

De Pœnis, a Joanne de Horwath, Bano, exactis.

Rege Sigiſmundo, Regni Hungariæ ſceptro feliciter potito; *Regina Maria*, dudum conceptam ſuſceptæ calamitatis æſtuans in vindictam, Regem Sigiſmundum, ut in offendentes, manus ingereret ultrices, ſæpius alloquitur, & crebris illum, non ſine fletu, ſuggeſtionibus fatigat, ſuſceptæque per ipſam ærumnæ, mille ſpecies illi exprobrat. Eiſdem diebus, *Joannes de Horwathio*, Banus, caſtrum regale *Poſegawar* appellatum, ſui capitis præ tutela ſubintraverat. Rex igitur Sigiſmundus, aſſiduis conjugis motus querelis, copias aptat, & illas, tranſdanubiales ad partes, Bulgariam verſus, mittere diſſimulans; caſtri prædicti in obſidionem convertit. Obſeſſo igitur caſtro prædicto; dum idem, machinis bellicis acrius oppugnaretur, ſpeſque, de cita ejus obtentione, erga oppugnantes indubia eſſet: una noctium, dum tenebræ ubique terrarum diffuſæ, rebus furtim gerendis, tempus præbent habile, *Joannes Horwathii*, *Banus*, ipſo

de

Digitized by Google

de caſtro, ea parte, unde *Stephanus*, *filius Laczk*, Wayvoda, alter, *Stephanus de Simothorna*, Regiæ doloſa ſub fidelitate immixti expeditione, excubias tenebant, proſiliens, fugiendi libertate potitus eſt; trans fluviumque *Zawe*, eadem nocte, neſcitur ſi navali officio, vel arte natatoria vectus, in caſtrum *Dobor* denominatum, in Boznæ partibus, quæ *Uzora* vocitantur, ſituatum, invaſit. Ubi *Præſulem Zagrabienſem Paulum*, pluresque ſui facinoris complices, invenit. Eiſdem temporibus, *Boznenſes Dalmatini*, ſimul & *Croaci*, ejuſdem Joannis Bani, & ſuæ cohortis magnatum, ſuaſione vitiati, a fidelitate, quam ſceptro debebant Hungarico, defecerant, Regnique in oras, non parvas in igne & ferro vaſtitates edebant.

Quare Rex Sigiſmundus, copias copiis cumulando, ut ipſa regna ſuo flecteret principatui; illud quoque caſtrum, ſuos quod tutabatur infideles, expugnaret: magna vi armorum undique cinctus, prætactum flumen Zawe tranſivit, & Boznenſe regnum, potenter intravit. Joannes vero Banus, regalis expeditionis territus magnitudine; in illa, quæ ſibi prius arriſerat fuga, magis quam in dicti caſtri confiſus munitione, antequam obſidione clauderetur, de ipſo caſtro, cum pluribus eadem peſte infectis ſuis complicibus, exivit, & fugitivus, per colles & montium abrupta, ferebatur. Sed hæc fuga profuit ei minime: nam per Regem ipſi ordinatas incidit in inſidias, captuſque eſt. Rex autem Sigiſmundus, præfato caſtro Dobor expugnato; Regeque Boznenſi, ſimul & regnis Dalmatiæ & Croatiæ, jugo fidelitatis annexis, repatriavit: & Joannem Banum, in civitate Quinque-Eccleſienſi, genere exterminii horrendo, prout reginalis expoſcebat furor, necari juſſit. Primitus enim, equi ligatus ad poſtera, civitatis per plateas circumlatus eſt; tandem ignitis vexatus forcipibus, ex poſt quadripartitus, & civitatis portis, particulatim, futurorum erudimento pro terribili, appenſus, illam, quam in alios exercuit ſeveritatem, conſecutus extitit. Epiſcopus vero Zagrabienſis, quamvis multis aliis necatis, non ſit interfectus: nunquam tamen, ejuſdem Epiſcopatus in ſedem, quamdiu vixit, reſtitui valuit.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Exercitu Regis Sigiſmundi in Moldaviam.

Hanc etiam ante tempeſtatem, dum res Hungaricæ, fœmina duce, gravi fluctuabant guerra; *Moldaviani* pariter & *partes tranſalpinæ*, reginali dedignato ſceptro, necdum reſipiſcentes, Regi Sigiſmundo favebant. Ille igitur, quarto, poſtquam coronatus eſt, anno, renovatis armis, illos domandi gratia aggreſſus eſt. Eiſdem temporibus, quidam *Stephanus Wayvoda* Moldavianus moderabatur habenas. Hic, ut Regis præcluderet ingreſſum, omnem ſuæ gentis vim commovit; alpeſque & aſpera viarum anfracta, Rex unde ingredi habebat, tum indaginibus, tum ſagittariorum munivit præſidio. Et cum Rex, inſidiarum inſcius, alpes condeſcendiſſet, ingenti mox ſagittariorum manu aggreditur; tela, nec minus homines equoſque feriunt, & pene omnis, denſarum imbribus ſagittarum, regalis expeditio gravatur. Regii autem milites, vitam in forti brachio redimere conati, de equis deſcendunt; in magnaque virtute bellandi irruentes in Volachos, multis ex eis interfectis, illos retrocedere cogunt; fugienteſque alpium per abrupta, gravi mortalitate afficiuntur. Quare redemta ſibi gladio via, Rex, præfati Stephani Wayvodæ uſque ad habitacula penetravit. Ipſe autem Wayvoda, dum præterquam veniam petere, ſibi prodeſſe advertit nihil; ad Regem venit, & ſui gravis demeriti debitas ut non daret pœnas, Rege coram, ſui Dominii Volachis cum potioribus, in terram procidens, Regem his verbis deprecatus eſt: *Glorioſiſſime princeps! tua nobis, veniam petentibus, regalis clementia ignoſcat; & illud, noſtra quod protervitas, contrarium fidelitati, quam debemus, temere præſumſit, grata expietur benignitate: proſtratis enim parcere, quam duritiem conterere inobedientiæ, regali dignitati non minus gloriæ affert. Enimvero, tuarum ſumus pulvis plantarum. Tu Rex & Dominus noſter es. Illam igitur, quam noſtra non expoſtulant facinora, gratiam, veſtra nobis regalis pietas largiatur.* Et his dictis, univerſi ſimul humiles flectentes cervices, regiam expectabant benevolentiam. Ad hæc Rex Sigiſmundus ita reſpondit: *Noſtræ regalis celſitudinis offenſa, quamvis digna ultione penſanda eſſet: ne tamen crimine auſteritatis, noſtræ gloria famæ vitietur, parcimus vobis pariter, & ignoſcimus; & vos in noſtram recipimus gratiam, in ante non delinquentes.* Provoluti ergo regiis pedibus, Stephanus Wayvoda & ſui, regii oras amictus deoſculantur: ſincera poſt hæc fidelitas, & an-

Digitized by Google

nualis cenſus ſolutio, promittuntur; omniaque fideli juramento roborantur. Quapropter Rex Sigiſmundus rediens, milites ſimul & arma, unius anni recreavit quiete.

CAPUT VI.

De Exercitu Regis Sigiſmundi, in partes Tranſalpinas, & de Morte Mariæ Reginæ.

Poſt hæc Rex *Sigiſmundus*, ſexto ſui regiminis anno, gentibus tranſalpinis arma intulit. Hæc gens, ſuis non contenta potentiis, ut ſe defenderet, validam *Turcorum* conduxerat manum. Dum igitur regales copiæ, Alpibus tranſitis, illius terræ ad plana deſcenderunt, aciebuſque ordinatis, ac ſignis bellicis collatis, uterque hoſtis manu uti vellent: mox Turci pariter & Volachi, radiantium armorum, quibus regalis tegebatur expeditio, fulgore territi, tutrici ſe fugæ commiſerunt. Regius vero exercitus, quodum potuit, illos perſecutus eſt. Cadebant Turci & Volachi, ad dextram & ad ſiniſtram; & cadentibus multo plures additi fuiſſent, niſi regalium militum equi, vaſto pondere armorum ipſis inſidentium depreſſi, fugientibus, pares in curſu fieri valuiſſent, & nox ſuperveniens, illis tutiorem Danubii tranſitum non præbuiſſet. Rex igitur Sigiſmundus, contrariis fugatis copiis, caſtrum minus *Nikapol*, ardua cinxit obſidione. Tutabantur tunc illud Turci ſimul & Volachi, crebriuſque de muris erumpentes, regio in exercitu, tumultus non modicos edebant. Rex autem, bellicis machinis adjunctis, caſtrum idem, in magna ſui parte, præcipiti dedit ruinæ, & expugnavit; & ejuſdem defenſoribus, aliis interfectis, aliis captivatis, illud Hungarico commendavit præſidio. Tandem genti partium earundem, jugo obedientiæ impoſito, cum triumpho, felix venit in Hungariam. Nondum tamen redierat, cum Regina Maria, gravi præventa ægritudine, regnum pariter & vitam liquit (1). Nec illius obitus, Regi Sigiſmundo, parum curæ peperit. Nam Rex Polonorum Ladislaus, defunctæ Reginæ ſororem uterinam, Advigam denominatam, matrimonialis fœderis grato in contubernio habebat. Ipſam igitur conjugem ſuam, ſceptro mortuæ ſororis potiri ratus; contra Regem

(1) Chr. Bud. tradit, *illam in Eccleſia Varadinenſi ſepultam fuiſſe.*

Digitized by Google

Sigiſmundum, exercitum copioſum movit. Et niſi Pater Reverendiſſimus, Dominus *Joannes de Canyſa*, Archiepiſcopus Strigonienſis, multo armatorum cœtu, Regni confinia muniviſſet; ambitioſus princeps, abſente Rege Sigiſmundo, regimen ejus non minus turbare potuiſſet.

CAPUT VII.

De Decollatione triginta duorum militum.

Felices rerum eventus, nedum Reges, verum & humiles exigui cenſus homines, quos conditio ſilere mandat, extra ſolitum rapiunt, & moribus mutant, variaſque per illecebras ducunt. Dum enim humanæ ſortes, proſpero tramite diriguntur, animum elevant proſperantis; nec minus illum, arduis ingeri rebus, cogunt. Rex Sigiſmundus, quouſque ſecunda comitatus fortuna, ſolito magis animo tumidus, quoſdam ſuis de regnicolis nobilitate inſignes, ante hæc, dum ſcilicet Reginarum gubernamen calle ſiniſtro vehebatur, in ſe & Reginas graviter delinquentes, aut grata ſub fidelitate ſibi jungere, aut illos morte afficere ſatagebat: illi quidem, dementi ducebantur protervitatis obſtinacia, & mori potius, quam ingrato ſub Principe vivere, præoptarant. Hi erant nobiles illi, noſtra quos ætas *duorum & triginta militum* nomine vocat. Inter quos erat miles ille tam glorioſus, Hungaros inter omnes, magno laudis præconio inſignitus, *Stephanus Konth* donominatus, dominorum *de Hederwara* alto de ſanguine ortus: quem noſtrum ævum, viribus & virtute non minus præclarum, nedum loquitur, verum & reſonanti lyra canit. Iſti milites, dum vagabundi regni per climata ſpatiantur; Regique Sigiſmundo, id opprobrii non modicum generaret: novas illos res aggredi ſuſpicatus, ſtatuit eos eſſe circumveniendos, virumque, non minus arte deceptoria, quam armis potentem *Georgium Waydafii*, ſibi fidum, illos ut vi aut fraude ad ſe duceret, conſtituit. Dum igitur milites hi, ſecus fluenta Zawi, hoſtilitatis ſuſpicione ſine omni, campeſtrali hoſpicio dediti, præter *Joannem de Korpad*, quem ſopor rubentis auroræ nunquam detinuiſſe fertur, advenientis diluculi dulci eſſent occupati ſomno: ipſe Georgius Waydafii, dormientes irruit ſuper illos. Ipſi vero mox conſurgentes, arma capiunt. Inſtat ille pollicitationibus, & Regem illis placatum reddere promittit: nihilominus, armis militeque potentior, terrori illis erat. Ipſi vero, dum in hoſtem viribus uti, impar eſſe cernunt, cedunt promiſſis. Cum autem in oppidum;

Digitized by Google

dum, *Karum* denominatum, ventum eſt; diris creduntur vinculis; & Budenſem ad civitatem, in curribus delati ſunt. Contulerant nobiles hi intra ſe, dum ducebantur, etſi Regis venirent in præſentiam, non tamen illum aliquo ſalutationis oraculo deberent venerari; quod & factum eſt. Nam cum Rex Sigiſmundus, ſuorum cinctus corona regnicolarum, medius ſederet; & ipſi nobiles, illius conſpectui præſentarentur: nullus ex ipſis, in ſalutationem illius, os ſuum aperuit; nec capitis aut genuum curvatione, illi aliquam exhibuerunt honeſtatem. Hæc ignominia, Regem Sigiſmundum, in majorem concitavit iram. Quapropter, ſui furoris ductus vehementia, illos, in ipſa civitate Budenſi, in platea S. Georgii martyris, fecit decollari. Ajunt quidam, quod dum *Stephanus Konth*, ipſa decollationis pœna plecti debuiſſet; reſupinus vultu, ferientis ictum verſus, decumbere præelegiſſet: ſeque plurimas imminentes ſibi mortes, intrepidis oculis conſpexiſſe, & hanc quidem non formidare, tum vero intueri velle, dixiſſet. Hos etiam nobiles, nonnulli unum & triginta fuiſſe tradunt. Cum autem exterminatis illis, ſpatharius Stephani Konth, *Chowka* vocatus, irrevocabiles diſſolutus in lachrymas, fletibus vacaret aſſiduis; & Rex illo conſpecto dixiſſet: *Compeſce fili lachrymas, & flere deſiſte; en ipſe Dominus tuus, qui tibi plura donare potens ſum, quam ille, qui decollatus eſt.* Ad hæc puerum reſpondiſſe ferunt: *Ego tibi, velut ſcrophæ Bohemicali, ſerviturus ero nunquam.* Qui tandem juſſu Regis, eandem, quam Dominus ejus, ſententiam ſubiiſſet, & numerum adimpleviſſet prædictum. Poſtquam autem ſanguinem animaſque hi milites ſimul fudere; ſacratam, capellæ noſtri viatici, in ſuburbio dictæ civitatis, habitæ, cœmeterii tellurem, habitatione pro perpetua, donec Angelus tuba canet, compreſſere. Horum mors militum, illas, quæ poſtea inter Regem Sigiſmundum & Hungaros, flammis arſerunt ingentibus, ſcintillas, miro cinerum ſub tegmine; & nunquam illi, ſuum ultimum infra diem, tutum propterea regimen, præbuit.

CAPUT VIII.

De Bello Regis Sigiſmundi ſub caſtro majoris Nicapolis infeliciter geſto.

Regnante feliciter quodam Rege Lodowico, inter Græcos, ingens exorta diſſenſio, inteſtinis graviter fluctuabat diſcordiis. Duo enim erant Græcorum Domini, etſi non eiſdem parentibus orti, uterque tamen, ſe imperiali

Digitized by Google

de parentela natum esse, & ex hoc, jus dominii ad se pertinere, asserebat. Nec minus ceteri Græci, hos quisque suo pro libitu amabant, pariter & sequebantur: pro incertoque Imperatoris nomine, civili bello, pugnaciter dimicabant. Et cum alter horum, suam partem deficere vidit; ulciscendi libidine captus, *Amratem* primum, Turcorum Cæsarem, postquam regnare ceperunt, tertium ad suas partes adjuvandas, pretio pariter & promissis, ex Asia in Græciam accersivit. Neque enim magnæ fuit difficultatis, Cæsari id persuadere; qui ad hæc antea accensus, totis viribus instabat. Hunc itaque & ejus copias, per mare Hellesponti, cum ea conditione, in Thraciam, navali officio traduxit; ut confecto bello, rursus navigio remitteretur. Hoc pacto, *Turcorum gens*, ex Asia in Europam migravit. Hæc transversa Græcorum opera, rogum inextinguibilem, Europæas per partes assidue flagrantem, succendit; nostrarumque miseriarum frutices, nostris in agris affatim pullulantes, germinavit. Nam ipse Amrates, non id quod promisit; sed quod sibi prodesse posse sperabat, animo volvebat. Semper enim bellum conferendum, per occasionem, in dies protrahebat: ut Græcos mutua cæde fractos, ille integer adoriretur; ac facilius superaret, pariter & opprimeret. Nec illum sua fefellit opinio. Ubi enim diuturno bello, Græcos deficere, domesticisque opibus evacuatos, sibi ipsis parvo juvamine esse sensit: mox occasione adinventa, in illos arma convertit; occupatoque peropportune Gallipoli oppido, ad fretum Hellesponti situato, cetera Græca oppida, obsidione petere, agrosque vastare, & cuncta passim invadere, non destitit, quousque magnam partem suæ ditioni subjecit. Ex hinc rebus Turcorum in dies augescentibus, Rege Lodowico vita functo, habenisque Hungaricis in Sigismundum Regem devolutis; *Pasaythes*, & ipse Cæsar Turcorum, patre Amrate, peracri ingenio non minus idoneus, & in tentandis rebus arduis, magis audax brevi spatio temporis, *Thraciam* universam, *Thessaliamque* ac *Macedoniam*, *Bœotiam* & *Atticam*, tum vi, tum deditione capiens, sui dominii fecit. *Mysos* quoque, quos nos *Bulgaros* vocamus, Regis Sigismundi sub ditione constitutos, armis infestis aggressus est. Ad hunc Pasaythem, Rex suos caduceatores misisse; utque ab invadendo regno, sibi juris vigore attinente, desisteret, eidem intimasse: illum vero per occasionem, interim, donec tota Bulgariæ terra potitus est, relationem distulisse; tandem diversitatem armorum, framearum puta ac clypeorum, nec non pharetrarum, quibus Turci in hostes utuntur, singulos per parietes unius domus, appendi feciſſe, introductisque Regiis caduceatoribus, ad illos dixisse fertur: *Revertimini ad Regem vestrum, & dicite illi, quoniam & ego terram ad*

hanc,

Digitized by Google

hanc, ut videtis, jus habeo ſufficiens; pariterque & illis, in parietibus pendentia manu oſtendit arma. Hæc res, Sigiſmundi Regis animum, non parum ulciſcendi in timorem excitavit. Quapropter, ſui Regni decimo, *Dominicæ* autem *Incarnationis MCCCXCVI.* Anno, commota univerſa ſui principatus armorum virtute, ingentem conflavit exercitum. In quam quidem regiam expeditionem tam grandem, Dux Burgundiæ inter alias nationes, ac Francorum ſive Gallorum populus, arma non pauca fortiaque virorum bellatorum agmina, advexerant. Quorum nobilitatis armorum inſignia, Budæ, in clauſtro Sancti Nicolai confeſſoris, erga Fratres Prædicatorum, tabulis arte pictoria inſcripta, ac parietibus affixa, meos uſque ad annos, pro memoria ſtetere. Mota igitur Rex Sigiſmundus, tam grandi ſui exercitus congregratione, Danubium tranſivit; & nedum Turcorum timeret Cæſarem, verum quidam ipſum dixiſſe ferunt: *Quid metuendus eſt nobis homo? vaſtum ſi cœlorum ſuper nos pondus rueret, ipſi illud noſtris, quas gerimus haſtis, ne læderemur, ſuſtentare poſſemus.* Regno tandem Raſciæ, crudeli furore, in magna rerum direptione, horribilitatiſque ſtrepitu nimio, pertranſito; Bulgariæ venit ad oras. Inde, oppidis *Oriſzo* & *Bidinio*, aliiſque partium earundem munitionibus nonnullis, Turcorum quas tutabatur bellicoſa manus, non ſine ſui & ſuorum multa ſanguinis effuſione, expugnatis; ad ultimum, ea ipſius anni ætate, cum vites ſuis fructus dulciores cultoribus reddebant, circa feſtum videlicet Sancti Michaelis Archangeli, in campo caſtri majoris *Nicapolis*, ſua caſtra fixit. Turci vero, crebrius de caſtro erumpentes, regium exercitum in ſe provocabant; nonnulloſque vulnerantes ſæpius vulnerati redibant. Cæſar autem Turcorum, quem noſtri ſeniores Paſaythem ſupradictum nominavere, Nicolaus autem, Secundini de familia & origine Turcorum, ad Aeneam Senarum Epiſcopum ſcribens, eundem Chalapinum fuiſſe poſuit; dum Regem, grandi bellico cum apparatu, ſua in dominia penetraſſe audivit non minus omne gentis ſuæ robur, in arma concitavit, & in forti ſuorum manu, Regiæ obſiſtere expeditioni conatus, appropinquabat. Galli vero ſive Franci, advenientis hoſtis fama pulſati, Regem adeuntes, & eum belli primitias, quæ majori fervere ſolent atrocitate, illis in ſe excipere, ut annueret, rogatum effecere. Dum igitur Cæſar ipſe, frementibus undique ſuis agminibus, magnam vim paganorum ſecum trahens, regiis opponi caſtris viſus eſt; mox Franci, præcipiendæ pugnæ inſolenti cupiditate capti, priuſquam univerſæ regales copiæ, inſtructis ex ordine aciebus, ſignis collatis, prœlium inirent, e caſtris proſilientes, & præcipites ab equis, ut eorum moris eſt, pedites certaturi, deſcendentes, contrarias

Digitized by Google

rias irruerunt in turmas. Diro itaque bello, hoſtes inter utroſque vigente; cum Hungari, ſellatos Francorum equos, curſu tranſverſo, Regia petere caſtra conſpiciunt, nondum enim illorum bellandi uſus ipſis notus erat: illos omnino, hoſtilem per manum extinctos fore credentes, graves diſſoluti in tumultus, caſtra pariter & bellica relinquentes ingenia, campo undique fuſi, hoſtibus acriter inſiſtentibus, in fugam convertuntur. Strages fit maxima; multi cecidere de Hungaris, & multi captivitate affecti. Et niſi ipſe Rex, navis miniſterio, ſibi adinveniſſet ſalutem; non cælo, velut elatus Princeps dixiſſe fertur, ſed hoſtis armis, ibidem obrutus fuiſſet.

CAPUT IX.

De Inimicitiis in Regem Sigiſmundum conflatis, & Captivitate ejuſdem.

Proh dolor! res humanæ, noverca ductrice fortuna, in optatos per calles dum diriguntur, quam varias excitant inimicitias, quantumve pariunt odium? cum gratis etiam ex amicis, maxime Hungaricæ generationis in proſapia, interdum hoſtes efficiant. Rex Sigiſmundus, hucuſque genti ſuæ amabilis, poſt tam gravem ſui populi cladem, odio fuit. Enimvero timebat, ne illis, quos male duxerat, ut quondam Rex Perſarum Xerxes, poſt infelicem belli in Græcia geſti finem, ſuæ improviſionis pœnas daret. Quapropter fugitivo ſimilis, altas Danubii & æquoris per aquas, remorum officio, Conſtantinopolitanam ad urbem, inde ad Rhodum, poſt hæc regnorum Dalmatiæ & Croatiæ ad oras, navigavit. Comitabantur illum viri in regno potentes, Dominus *Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis*, & *Stephanus de Kanyſa*, frater ejuſdem; nec minus per internuntios, Regi quod eſſet optimum, apud primores regni operabantur. Inter hæc autem, ſuperius nominati, *Stephanus filius Laczk*, Wayvoda; & alter *Stephanus de Simonthornia*, antiquo ſcelere tumidi, non ipſorum facinoris pluribus ſine ſociis, quorum cordi erat, amplius Regem Sigiſmundum non regnare, ad illuſtrem juvenem Ladislaum, natum Regis Caroli, ejuſdem tempeſtatis non multos ante annos, ut ſuperius dictum eſt, interfecti tunc Apuliæ in regno, vices patris in regimine gerentem, ſuos mittentes nuntios, ſceptra regni Hungarici, illi quam leviter tradere, promittebant. Ille vero, miſeram ſui genitoris ſortem, qua Hungarico in regimine comitatus erat, præ oculis, præ cordeque ferens; quamvis illi Regem Sigiſmundum

Digitized by Google

dum eliminare & regimen tranquillum ei dare promitterent : ad capeſſendas res Hungaricas, patre tardior fuit. Cum igitur illum graviter moveri animadverterunt, non ergo ab inceptis deſtiterunt : ſed ad ipſorum voluntatis finem facilius concludendum, ipſi uterque Stephanus, ab eodem Rege Ladislao, per internuntios, juramentum pariter & literas receperant ; ut, quid illi vice ejuſdem in regno operarentur, id ſibi, dum ſceptro potiretur, gratum fieret. Magnam partem nobilium, hæc conditio infidelitatis, per devia traxit ; multi fuere hac ſceleris nota obfuſcati : quorum propago, etiam hac noſtra ætate, perpetuam exinde aſſecutam deflet ruſticitatem. Hæc res clam dirigebatur ; non tamen Regem latebat. Dies conſueto volumine tranſierunt, ſub hac tempeſtate, quamplures ; & ipſe Rex Sigiſmundus, unum & medium per annos, maritimis in partibus demoratus, quorundam magnatum ope, maxime Archiepiſcopi Strigonienſis, ac Dominorum de Kanyſa, & Joannis de Moroth, Bani, regale reſtitutus extitit in ſolium. Et licet dictos utrumque Stephanum, adverſas ſibi res machinari & componere ſentiat : non tamen ſibi, coadunatam illis propter cohortem, in illos vindicta uti, par erat. Tranſiere rurſus poſt reditum Regis, tres & medius anni ; & ſemper inter hæc, in contrarias ejus res, conjuratorum creſcebat numerus : & quaſi totus Hungariæ vulgus, ſuggeſtione vitiatus, ſiniſtro illum lumine intuebatur. Concitaverat maxime Hungaros contra illum in odium, tum duorum & tringinta mors militum, cum vero calamitoſus Nicopolitanæ expeditionis exitus ; nec minus ipſe Rex, ſoluto thoro carnis, diſſolutus in laſciviam, virginum violentæ deditus corruptioni, Hungaris opprobrio erat. Valebat etiam præter hæc in populo, præſatorum utriuſque Stephani, crebra perſuaſio. Contulere igitur univerſi, quorum id animi erat, ut Regem ipſum, dum ſe illis tempus ad id præberet idoneum, captivitati darent. Igitur milleſimo quadringenteſimo primo Dominicæ Incarnationis anno, ea ſcilicet parte anni ejuſdem, cum ver illud fœcundiſſimum, tauro duce, medios tepido ſub æſtu miniſtrabat dies, arboreſque, rigida hyemis auſteritate, virentibus ſpoliatas foliis, floridis veſtierat frondibus, videlicet die, qua mater Eccleſia, certaminis Sancti Vitalis, glorioſum decantat triumphum ; barones regni, dolo indutæ collocutionis gratia, regia adeuntes palatia, ipſum Regem medium eſſe voluerunt. Qui cum affuit illi, objectis prius ipſi univerſis facinorum cauſis, quas in illum excogitaverant ; magno cum fremitu, manus eorum in ipſum injecerunt : & niſi iſtorum, qui amabant eum, ſibi iniſſet diſſuaſio ; ibidem, Julii Cæſaris ad inſtar, multis vulneribus conſoſſus, ſanguinem ſimul & animam ſudiſſet. Erant diebus in eiſdem, Garenſi in domo, duo

Digitized by Google

gratæ indolis juvenes, auctore quondam Nicolao de Gara, Palatino, qui quondam Reginarum ad latus interfectus eſt, geniti: quorum alter, eſt paternum nomen ſortitus; alter, Joannes vocabatur. Hos juvenes, captores Regis, in illum gravem, paternam propter necem, cum maxime propter illum pœnas dediſſet, animum habere rati; ipſum Regem, juvenibus eiſdem, in caſtro eorum *Soklos* vocato, ſervandum aſſignarunt.

CAPUT X.

De Liberatione Regis Sigiſmundi.

Rege Sigiſmundo captivitatis ærumna affecto; illi, qui in eundem amaro erant corde, abdite ante hæc in illum conflatas inſidias, in lucem deduxerunt. Jamque, nullo obice, ſe votis ſuis potiri, cogitabant. Magna igitur in agmina palam convoluti, ſuperba cervice gradientes; elevato ipſius Regis Ladislai vexillo, regni per climata ferebantur. Et cum civitatem ad quamcunque, ipſo vexillo comite, veniebant; ſacratus Cleri ordo, illis proceſſionali cum veneratione obviam ire, compellebatur. Inter hæc, ipſi Regi Ladislao, ſe omnia ad vota illius complanaſſe, utque acceleraret, intimavere. Dum autem ipſe Rex Ladislaus; Sigiſmundum captum, ſuamque partem invaleſcere audivit, quaſi promtas res adepturus, vocantium flectitur votis, & celeri apparatu ſumto, Hungariam verſus iter continuavit. Rex vero Sigiſmundus, moleſta captivitatis ſub cuſtodia, caſtro in prædicto, lugubres ducebat dies; regalibuſque e luminibus, crebro obortæ lachrymæ, pallidas illius inundabant maxillas. Hujus Regis continuam cordis amaritudinem, aſſiduoſque lachrymarum decurſus, jam dictorum juvenum genitrix, cuſtodia ipſius Regis, quorum curæ erat, cum ſæpius intuita fuiſſet; compaſſionis erga illum viſceribus mota, liquido ea pectore, prout muliebris exigit natura, corde toto recipiens, filios adiit, illoſque ita affata eſt: *Grati mihi filii! an vobis in hoc homine, majoris, quam ceteris regnicolis, offenſæ cauſa eſt: quod alii, cura cuſtodiæ ejuſdem ſoluti, vos ſoli, illius tutam ad conſervationem invigilare debeatis. Maxime de quondam genitoris veſtri recordor me coram dictis. Ajebat enim, Regem legitime coronatum, ſi etiam jumento compararetur, non eſſe deſerendum. Rebus in his, quidquid fecerint alii, vos expertes habere vellem. Nam ſi illum, prout in vobis ejus ſperant adverſarii, interfeceritis; nota effuſſionis regalis ſanguinis, veſtræ perpetuæ adſcribetur hæ-*

hæreditati. Et licet ceteri, in adducendo novo Rege, novis ſemper ſperent gaudere munificentiis; vos apud illum exoſi eritis. Quid ſceleris putatis, Regum fundere ſanguinem? Quæ dignitas, ſi hoc nefando crimine, veſtras pollueritis manus, vobis aut veſtris ſucceſſoribus, quandocunque in regno merebitur? Iſte coronatus, tantos per annos pro Rege habitus: ille pro cujus rebus agitur, non quod Rex noſter eſſet, verum nondum regnum novit. Deſiſtite igitur mei filii, ſi quid in necem hujus hominis conſpiraſtis; & tam altam veſtræ domus dignitatem, hoc enormi facinore contaminare caveatis. Rege pro iſto, genitor veſter, ſcitis quam mortem ſubiit: nec vos ignorare dubito, iſtum qui dicitur Regis interfecti natus eſſe. Qui ſi regni Hungariæ ſceptra capiet, an putatis, illum de paterna nece, maxime veſtrum per genitorem procurata, non recordari? ſi vero captivus iſte, ulteriori regimine potietur; ſique vos id feceritis, quæ ipſa perſuadeo, veſtris in rebus, ſemper finis bonus ſperabitur; & apud illum, pro quo genitor veſter animam fudit, bene meriti eritis ſemper. Audiere hæc juvenes ipſi, & ſtupidi, longa hora ſtetere diſſoluti: tandem, materno de colloquio, magnas inciderunt in curas. Illis igitur, variis cogitationibus inde vacantibus; mulier illa ſagax, Regem adiens Sigiſmundum, ita allocuta eſt: *Rex Sigiſmunde, ſcito, tuos adverſarios, novo de Rege, deque tua exterminatione, curare. Moverunt me lachrymæ tuæ, indeſinenter tua per ora decurrentes; & fletus tuos continuos, toto recepi corde, tuæque juvenili ætati, tanta in amaritudine fluctuanti, compatior. Ipſa ſum mulier, quæ ſola tua pro libertate laboro: ſed res quædam, de hoc me cogitantem territat, & ſæpius retrahit. Timeo enim, ſi te liberavero, duos quos noſti, natos meos amittere. Si tamen fideliter promiſeris, cum de novo, ſceptro potitus fueris, meo de beneficio reminiſci, ac illos & me non deſerere, quam accuratiſſime tua curabo de libertate.* Ad hæc Rex Sigiſmundus, mox humo ad pedes illius provolutus, expanſiſque brachiis, ipſius ruit pedum in amplexus; tremebundaque ac flebili voce, *age*, inquit, *Domina & mater mea: enimvero, ſi regnum mihi redibit, ſi mihi vita comes erit, ſique tibi aut filiis tuis quandocunque obliviſcar, majore calamitate, quam præſens eſt, manciper; nec Deus, quandocunque per amplius mihi libertatem præſtet. Ecce, te in matrem, illos in fratres, hac die adopto, fidelique ſub jurumento, hæc tibi & illis ſervare promitto.* Vicit poſt hæc mulier iſta, crebris perſuaſionibus, filios, & Regem ipſum, emitti facientes, avido ſuorum adverſariorum a ſpectaculo liberavit, clandeſtinaque illum ſub conditione, marchionatus Moraviæ fecit deducere ad oras.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Reditu Regis Sigiſmundi in Hungariam.

Rumor regiæ liberationis, ejuſdem adverſariis, non parvo terrori fuit: nec modicum, erga ſecundas ejuſdem res valuit. Nam hi, ejus captio quorum tædio erat, principe libertate potito, quaſi gravi de ſomno excitati, de ejuſdem offenſoribus vindictam exigere, & Regem ipſum, altum reducere regni Hungariæ in ſolium, totis viribus conati; vicos pariter & agros illorum, qui aliter ſentiebant, ingenti deprædatione vaſtabant. Inter quos erat vir ille inclemens, magno auſteritatis rigore tumidus, *Joannes de Mixoth*, Banus, cujus vaſtitatis editionem, noſtræ ætatis ſenectus, nondum oblita eſt. E contra pars altera, tum in ſui protectionem, tum hoſtilem in offenſam, vires experiebatur. Ferventibus igitur undique guerris, & rerum direptionibus, magna in rabie invaleſcentibus: Rex Sigiſmundus, tum armigeræ natalis ſoli gentis, tumque partium ſuperiorum regni Hungariæ procerum, fortibus comitatus agminibus, nondum enim partes ſuperiores ipſius Regni Hungariæ, illius declinaverant a fidelitate, potenter adjutus, rurſus venit in Hungariam. Non enim multæ difficultatis erat, Regem de novo ſceptro potiri; cum caſtrum Budenſe, & quaſi cuncta regni munimina, ſuorum fidelium præ manibus habebantur. Eiſdem diebus, Rex Apuliæ, vocantium crebris ſeductus pollicitationibus, ut rebus potiretur promiſſis, veniebat; jamque Dalmatici regni venerat ad limites, cum Regem Sigiſmundum, ſoſpitem Budæ morari, & rebus ad vota gaudere Hungaricis, audivit. Quare extemplo incepto deſinens, ab itinere terga vertit, & parentis petens Regnum; tum paterna, tumque ſua motus injuria, ad Regem Sigiſmundum literas ſcripſiſſe, & ipſum per eaſdem, ut illis, qui ipſo ſuperſtite, de novo ſemper ſoliti ſunt gaudere Rege, condignæ retributionis munere compenſaret, rogatum effeciſſe ferunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Pœnis per Sigiſmundum a Stephano Wayvoda, & ceteris infidelibus, exactis.

Tanta calamitatis mole, Rex toties gravatus; non ſtatim ſuum poſt reditum, delinquentium in perſonas, gravitatis vindicta uſus eſt. Solum enim illorum auferebat prædia, & ſuis collocabat fidelibus: non tamen in ipſos, ſibi ſæpius occurrentes, ſæviebat; nec gratiam petentibus, regiæ benignitatis clementiam ſubtrahebat. Enimvero hamum dulcedine ſimulatæ benevolentiæ tinctum, humilibus tendebat regnicolis; ut altos, ſuæ ærumnæ vitio maculatos, eo facilius comprehendere poſſet. Diſſimulabat ſagax Rex, graves animi dolores; & inter hæc, dietim, numerus ejus fidelium, grande patiebatur augmentum. Quare Rex ipſe, poſt hæc animo audacior, fidelibus ſuis, dietam univerſalem, in oppido *Rewrewſudwarhel* denominato, in partibus Sclavoniæ habito, celebrandam indixit. Illaque, conſtitutis diebus, in magna nobilium tumultuoſitate fervente; *Stephanus filius Laczk*, Wayvoda, duce pacato, aut regia in clementia, aut in agminibus armatorum, quæ ſecum non minus quam Rex advexerat, fidens, illuc venit. Una igitur dierum, cum Rex primoreſque regni, & ipſe Wayvoda ſimul eadem conſtituti in domo eſſent; ipſe Stephanus Wayvoda, ibidem, medios conſilii inter tractatus, captus pariter & decollatus eſt. Et cum fama mortis ejus, ad ſuos delata extitit; mox vindicta tumidi, ruunt in arma. Et fuiſſet ibidem procul dubio ſanguinis effuſio haud modica: niſi cadaver illius, alta de domo præcipitatum, ſuis grave ſpectaculum oſtendiſſet; & niſi etiam quidam, ad illos, tanto diſcrimini ſe ſubjicientes, exclamaſſet: *Deſinite* inquiens *miſeri, deſinite perituri: en, videtis extinctum, gratia cujus arma capere deberetis.* Quo facto, rigor furoris illorum tepuit; & unuſquiſque eorum, tutas ſibi partes, fugibundus quæritavit. Hunc Stephanum Wayvodam, præter cetera infanda ſua facinora, in læſam regiæ dignitatis majeſtatem perpetrata; eadem tempeſtate, cum Rex Sigiſmundus, poſt cladem ſub Nicapoli receptam, maritimis demorabatur in partibus, tale ſcelus commiſiſſe accuſabant. Etenim, illum ad Cæſarem Turcorum Paſaythem, nuntios miſiſſe; filiamque illius, Regi Ladislao, quem inducere conabatur, ea conditione, ut illi contra Regem Sigiſmundum adjumento fieret, jugo matrimoniali ducere ſpopondiſſe, & in hujus documentum, ingentia Turcorum agmina, Hungaricas in partes, inter flu-

Digitized by Google

mina *Zawe* & *Trawe* ſituatas, induxiſſe, graveſque ibidem, per eoſdem, depopulationes edidiſſe, dicebant. Ante hæc, Turci, nondum Hungaricas luſtraverant terras. Iſte fuit ingreſſus Turcorum in Hungariam primus: eo tunc illi, ingentes, quas cernimus in civitatibus Sirimienſibus, edidere vaſtitates, quas civitates, etiam nunc, loca illarum ſuis orbata ædificiis, non parvas fuiſſe teſtantur.

CAPUT XIII.

De Electione Regis Sigiſmundi in Regem Romanorum; & de obſidione caſtri Galambocz infeliciter terminata.

Poſtquam ipſe Stephanus Wayvoda, ſui reatus noviſſimas dedit pœnas, ſuique ſodales, alii morte, alii exilio fuerant damnati: univerſæ in Regem paratæ inſidiæ, undique tacuere; ipſe quoque Rex, ab illic, quieto potitus ſceptro, infra vitæ ſuæ limites, ſuo in regimine, inteſtino tumultu turbatus eſt nunquam. Igitur, cum tantis calamitatibus juvenis princeps ſæpius agitatus, moribus & vita melioratus eſſet: immobilique ſui regni dominio, etiam nationibus ab extraneis, ſungi proſpiceretur, & jam tres & viginti in Hungaria regnaſſet annos: in Regem Romanorum electus eſt. Quamobrem Rex, tanti principatus magnanimitate motus, vi non modica armorum conflata, rurſus vires Turcorum tentare aggreſſus eſt; arcemque *Galambocz* vocas tam, alta in rupe, ſupra decurſu Danubii, Raſciano in agro ſituatam, tempeſtate eadem illis ſubditam, multo milite cinxit. Dimicabant utrique hoſteſimul, & ſemper Sigiſmundanæ copiæ ſuperiores erant: donec ille Cæſar Turcorum Chalapinus, oppreſſione ſuorum propulſatus, bellico apparatu cum ingenti veniens, Rege hoſtis potentior viſus eſt. Quapropter Rex ipſe, poſt non modicam ſuorum undique decertantium ſtragem; campum deſerens, Danubium tranſiit, & hoſtilem evaſit manum. In hoc prælio, licet multi occubuerint; vir tamen ille nominatiſſimus, *Zaniſſa niger* appellatus, virtute & armorum directione inſignis, ibidem cecidiſſe, noſtrum ævum, noſtri non ſine turbatione animi, memoratur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Origine Huziſtarum.

Nedum res mortalium in heterocliſim collabuntur; verum etiam divini cultus diſpoſitio, cedente Deo, interdum eclypſim patitur. Supradictorum enim ipſius Regis Sigiſmundi temporum circa decurſum, ingens Chriſtiana in religione orta eſt diſſenſio; & tabes illa hæreticæ pravitatis peſtifera, humanas inficiens mentes, auctoribus *Joanne Wykleff* in Anglia, & altero *Joanne Huss* in Bohemia, ſenſim diffuſa, crevit. Sectæ cujus imitatores, maxime in *Bohemia* & ejus partibus, cum nobis ſint propinquiores, *Huziſtas* vocamus. Hanc præter Catholicæ fidei æmulam enormitatem, diebus in eiſdem, quidam infandus *ordo*, ſi ordinis nomen uſurpare queat, *Adamitarum* vocatus, neſcio quo auctore inſtitutus, emerſerat; ſuaque polluta ad facinora, utriuſque ſexus homines, ſenes ſimul & juvenes, trahere, non parvæ facultatis fuiſſe dicitur: maxime, ut arbitror, ex eo, quod carneæ voluptatis libidine illis uti fas erat. Hunc enim ordinem, ſui imitatores, ſummum Creatorem, rerum circa originem inſtituiſſe, omniaque communia fieri, & ut creſcerent, & multiplicarentur, præcepiſſe, ajebant. Incedebant nudi, & ſpeluncarum latebras inhabitabant. Poſtque ſacra, ſi ſacra dicere fas eſt, quæ peragebant, extinctis lucernis, tenebris ſe credebant; & ſeniorem ſuum, Bohemico idiomate *othecz*, id eſt *ſuum patrem*, vocabant. Illud verbum *creſcite & multiplicamini* dicebatur, abſque diſcretione ætatis, mutuos in amplexus, pariterque ad explendum carnalis voluptatis deſiderium, ruebant. In dilationem etiam & augmentum ſuorum retium, diabolus quæ exhinc humano tetenderat generi, huic ſuperſtitioſæ adinnuentioni, tanto auxilio fuiſſe perhibetur; ut, dum hujus cohortis ſenior, inter cetera prodigia, quæ faciebat, avibus altum ſulcantibus aera, vel feris atris in nemoribus latitantibus, ut venirent, imperabat, mox aderant, inclinataque cervice illum venerabantur. Volebat enim milleartifex, illos, quos ſui cultus voluptas non capiebat, ſaltem prodigiorum irretire oſtentis; quod & factum eſt. Nam hæc pernicioſa ſacræ religionis ſubverſio, paucis in diebus, tantum ceperat incrementum, ut poſtmodum per dictos Huziſtas, magna vi, armorumque illatione non modica, vix devicta abolitaque ſit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

De Bellis Sigiſmundi Regis contra Huziſtas actis, & combuſtione Joannis Huſs.

Rex vero Sigiſmundus, qui ex ſuſcepti Romani regiminis officio, fidem Catholicam tutari tenebatur; maxime autem, quia natalem ejuſdem terram, dicti Huziſtæ, magnam in vim conglomerati, vaſtabant, contra ſuæ ſectæ alienos, igne & gladio atrociter dimicantes: contra eoſdem, armatum, tum Hungaricæ, tum vero Germanicæ gentis, non ſemel ſufitavit robur; ſoloque & populo hæreditario non parcens, magnas in regno Bohemiæ edebat vaſtitates. Non ergo illi flectebantur: ſed ſemper, quaſi in nomine ſanguinis Chriſti certaturi, pro armorum inſigniis, in vexillis & ſcutis ac clypeis, aliiſque bellicis utenſilibus, imaginem calicis, arte pictoria ſcribi facientes, duce quodam *Syska*, homine robuſto & monoculo, turmatim procedebant, & in ſe ſævientes acrius ſæviebant, & tum in religione, tum vero rebus in humanis, confuſio regno in eodem erat ingens. Pugnatum eſt ea de cauſa, partes inter utraſque, cum magno diſcrimine perſonarum ſæpius; maxime autem, cum una dierum, uterque hoſtis, in campo non remote ad civitatem Urburarum, *Kothumbanya* vocatam, conveniſſent, pars non ceſſit ſine ingenti ſtrage parti. Diu igitur, populo in utroque, ancipiti bello ſervente, & multis ex utraque parte cadentibus ultimatim Syska ſuperiore; Rex campum deſerens, terga vertit, & ſimul cum ſuis, qui ſuperſtites erant, fugiens, hoſti, tum res, tum animi ferocitatem, reddidit. Cum igitur Rex Sigiſmundus, hujus rabiem perfidiæ, vi ſe compeſcere minime poſſe arbitratus eſt: univerſalis dogmate concilii, tantam ſuffocare peſtem ſatagens, illam Conſtantienſem celeberrimam univerſalis Chriſtianæ religionis Synodum, celebrari procuravit. Ubi præfatus *Joannes Huſs*, & *Hieronymus*, diſcipulus ejuſdem, hæreſiarchæ videlicet prædicti, concilio in eodem, ſimul cum dogmatibus reprobati, damnati, & ignis incendii ſupplicio, exterminati fuere. Non ergo, regno Bohemiæ in prædicto, per ipſos ſeminatæ peſtis ſomes, ceſſavit, hanc noſtram uſque ad ætatem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De Exercitu Hungarorum in partibus Boznæ debellato.

Multa & varia bella, hujus Regis in diebus, non ſemper fine optato clauſa, ſtrepuere. Sed quis tanti principis, tot per annos regnantis, ævum, ſtylo queat perſtringere? Inter cetera enim bella, Dominicæ Incarnationis, cum *quindecimus poſt mille quadringentos* inſtaret *annus;* magna vis armorum gentis Hungaricæ, adverſus ducem *Spalethi*, *Herwoya* denominatum, mota eſt. Dux enim iſte, ante hæc Regi fidelis; eiſdem in diebus, proterviæ ſtimulo ductus, lapſus in perfidiam, regno Hungariæ vim inferre conatus, ad ſuas partes roborandas, ingentia Turcorum agmina conduxit, & partibus regni Boznenſis, Regi ſubjectis, ingens prædo fuit. Animaverat hunc hominem, longæva Regis abſentia. Rex enim ipſe, eiſdem ſub annis, in dicto Conſtantienſi concilio, contra hæreſim jam dictam, proque ſacrarum Romani regiminis coronarum adeptione, agebat. Viri igitur in regno potentes, quibus regia de commiſſione id curæ erat, novarum rerum ſtrepitu pulſati, *Joannem de Gara*, alterum *Joannem de Maroth*, *Paulum Chupor de Monozlo*, Banos, ceteros etiam quamplures viros præſtantiores, duces ſui exercitus efficientes, robur Hungaricum ſatis grande, in regnum Boznenſe, contra illum miſere. Ille vero ex adverſo, tum ſua, tumque conducta gente munitus, illis campo ſe oppoſuit. Collatis igitur ſignis bellicis, & tubarum vocibus, utraque ex parte, magno clangoris in ſonitu taratantarizantibus; uterque hoſtis, mutuam in ruinam ſitibundus, bellum ingreditur, & in magna virtute lacertorum, viribus præliatur totis. Clamor ingens exuberat, franguntur lanceæ, & in earum fractione, multi dejiciuntur ab equis, cadunt hinc inde cadavera mortuorum, parte ex utraque. Sed quis Boznenſium aſtutiæ ſe præferre valet? Cum Hungarorum vires, illorum potentiæ, eo in certamine, multo ſuperiores cernerentur; mox illi, montium per culmina, qui ex eis ad id conſtituti erant, ſtantes, ita docti, Hungaros fugere proclamabant. Hæc vox, magnam Hungaris edidit confuſionem. Nam cum prælio viriliter inſiſterent, hoc rumore audito, partem ipſorum fugæ datam arbitrati, campum deſerentes, terga verterunt; propter quod & magnam ſtragem, & hoſtibus prædam, ibidem dedere. Nec duces ipſi, tanti periculi expertes fuerunt: qui alii ibidem capti, alii peremti. *Joannes* enim *de Gara* captus, & dire vinculatus, poſt multos ſuæ captivitatis dies, liberate

Digitized by Google

te potitus; pondus ferramentorum ingens, quibus vinctus erat, in *monaſterio de Batha*, ad gloriam pretioſiſſimi ſanguinis Domini Redemtoris noſtri, pro illius, quod ibidem voverat, redemtione voti, futuram ad memoriam reliquit. *Joannes* vero *de Maroth*, pro ſui libertate, inimico magnam auri ſummam fudit. Et quid de *Paulo Chwpor*, Bano, dicendum eſt? qui bovinam crudam in pellem inſutus, ulteriorem duce ab ipſo vitam non meruit. Nam cum perfidiam ante hanc, dux ipſe Herwoya, Regi Sigiſmundo obedientiæ junctus officio, ejuſdem curiam frequentaret; & tum vita, tumque regimine morum, brutalis cerneretur: ipſe Paulus Banus, illum ludibrio habens, dum illi obvius fiebat, diſſolutus in deriſum mugitu bovino, pro ſalutationis veneratione, dignitatem illius deturbabat. Sic & ipſe dux Herwoya, cum idem Paulus Banus, ab ipſo, veſtimento dictæ pellis bovinæ honoratus fuiſſet, ajebat: *Qui in forma humana, voce bovis inſtar utebaris; utere jam & forma & voce ejuſdem.*

CAPUT XVII.

De Bello per Stephanum Banum de Loſoncz, in partibus Tranſalpinis commiſſo.

Eſt etiam pugnatum hujus Regis in diebus, Tranſalpinis in partibus, pluries, ſemper illius gentis requirente rebellione. Maxime tamen prælium illud, quod duce viro magnifico *Stephano de Loſoncz*, Bano, partibus in eiſdem commiſſum eſt, quamvis triſtem habuerit finem, vivaci tamen memoria dignum. Erant enim diebus in illis, terra in hac, duo principes, alter *Daan*, alter *Merche*, ambo eodem ſanguine nati; qui paritate confuſa, ſingulari uti Dominio laborabant. Et cum *Daan* ſuas partes debilitari agnovit, principis Turcorum quæſivit ſubſidium, & illo potitus, partem alteram coegit in fugam. *Merche* vero, cum vires ſuas, ad arcendum extraneum hoſtem, debiles ſenſit, Regis Sigiſmundi petivit auxilium.

In hujus igitur ſuccurſum, *Stephanus de Loſoncz*, Banus, multis armatorum cum agminibus, per Regem miſſus extitit. Qui tandem cruento commiſſo bello, dum hoſti impar eſſet, poſt multam partis utriuſque ſtragem, capitis ſui damno, vitæ pariter & bello, ibidem finem dedit. Nam poſt caſum ducis dicti, in fugam verſi, magnam inimicis, rerum & perſonarum prædam dedere. Hujus belli exitum, ingens ſubſecutum eſt miraculum. Enimvero,

cum

Digitized by Google

cum poſt hanc cladem, duo vel citra præteriſſent anni, & quidam, viſendorum oſſium interfectorum gratia, in hujus campum certaminis acceſſiſſent, dumque mirabundi, innumeras, hominum pariter & jumentorum ibidem occiſorum, admirarentur coſtas: e veſtigio, vocem quaſi humanam, tenuem pariter & difficilem, audierunt. Attoniti igitur, huc atque illuc reſpiciunt, neminem tamen vident: quare ſe phantaſmate ludi arbitrantur, nec minus pavore perculſi, diu ſtetere. Et cum vocem illam continuari, interque rumores, quos audiebant, nomen cœleſte Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, & ejus Genitricis glorioſiſſimæ *Mariæ*, crebrius recitari adverterunt; in animum reverſi, inquirentes, quidnam hoc miraculi eſſet, ulterius proceſſerunt. Tandem, humana tabe ſpoliata oſſa, natis circumquaque virentibus herbis intorta, ſolum caput integrum, invenerunt. *O cœli Regina glorioſiſſima! tuum, quo laudum præconio, ſanctum magnificemus nomen? quas tibi gratiarum referamus actiones? qua te veneremur gloria? dum cunctæ, tuas in laudes, humanæ ſufficiant vires minime. Ille tuis ceſſet a laudibus, tuo ſancto qui nomine invocato, tuam non ſenſit benevolentiam: tua enim petens ſuffragia, & ad tua ſancta confugiens præſidia, a te derelictus eſt nemo. Magno nobis exemplo eſt, Virgo ſacrata! hoc ingens, quod homine in hoc nobis oſtendiſti, miraculum. Nam cum totum corpus exanimatum tabidumque, ſolum caput vivere, & linguam loqui, conſpexerunt; ſtupidi, ingenti capiuntur admiratione, tantos quod per dies, æſtatis fervidus ardor, hyemiſque auſterus rigor, ac inedia & ſitis, totius corporis conſumta carne, ſolum caput reſervavere.* Admirantibus igitur illis: *quid admiramini*, inquit, *creatura Dei & Chriſtianus ſum, qui, ſi Chriſtiani eſtis, illius pro nomine, propter vos in cruce qui mortuus eſt, quærite mihi ſacerdotem, ut confitear.* Interrogatus tandem, quomodo namque illos uſque ad dies vixiſſet; reſpondit: *Glorioſiſſima Virgo Maria me fovit; pariterque, ut ſine perceptione Eccleſiaſticorum Sacramentorum non decederem, me veſtrum uſque adventum conſervavit: & niſi confitear, mori nequeo.* Interrogatus rurſus: *Qua te ratione, ipſa Virgo glorioſa, tanto proſequitur beneficio?* reſpondit: *Vigilias ſeptem feſtivitatum illius, ſemper in pane & aqua jejunavi, & illius feſtivitates, ſumma cum devotione celebravi, vitæque & mortis, omnis ſpes, ipſa mihi fuit.* Accerſito tandem Sacerdote, & Confeſſione, ceteriſque quæ ſubſequi debebant peractis, diſſolutus, quievit in pace.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De Bellis Nicolai Petherſii, bina vice geſtis.

Multoties ævo eodem, gens Turcorum, quietis impatiens, & continuæ ſitibunda rapinæ, partes ciſdanubiales, & terram, noſtro vocabulo *Themesköz* appellatam, violentis irruptionibus triſtavit. Quos vir ſtrenuus, magna aggredi audax, *Nicolaus*, filius *Petri de Macedonia*, amicorum auxilio, & milite aggregario adjutus, binis profligavit vicibus, ſpolia tulit, & hoſtem in fugam, pariterque & in prædam convertit. Cum enim eadem tempeſtate, *Mahumetes* primus, Cæſar autem Turcorum quintus, defunctis fratribus, una ſecum, ex quondam ſupradicto Paſaythe, alias ſimiliter Cæſare Turcorum, generatis, regnum adeptus; illud terra marique adauxiſſet, & quandam partem Mœſiæ, quam nos ſuperiorem Boznam, vel vulgari vocabulo *Werhbozanyam* vocamus, ſuo ſubdidiſſet Dominio: placuit illi, ut novum terra in hac Regem crearet. Igitur quendam, tum parvi cenſus, tum humilis ortus pariter & famæ hominem, *Ikach* vocatum, Regem Boznenſem denominavit. Iſte, novi gloria nominis ſeductus, vim, quam potuit, ſibi commiſſæ gentis, omnem movit, & partes prædictas, prædabundus invaſit. Fumantibus igitur undique prædiis; & præ timore, cunctis terræ illius hominibus, evadendi facultas quorum erat, fugientibus: *Nicolaus*, filius Petri ſupradictus, non æqualis milite ad hoſtem, militari ductus temeritate, illi hoſtis fuit. Commiſſo enim prælio, cum anceps certamen ferveret; & illi medios inter bellantes, *Rex Ikach* obvius fuiſſet: ille, eo cognito, mox equi ſui in illum vertit habenas, & illum lancea ſua tam viriliter aggreſſus eſt; ut Rex Ikach, ex impulſu lanceæ ejuſdem, non obſtantibus fidelibus armis ſuis, graviter vulneratus, præceps corruerit ab equo. Non pepercit iratus miles, homini proſtrato: ſed deſcendens de equo, pectori illius, armatum impegit pedem; & victi non curatis precibus, illum enſe nudo jugulavit. Quo viſo, cohors, quam ipſe Ikach conduxerat, univerſa, in fugam converſa eſt.

Ipſe vero Nicolaus, filius Petri, ſimul cum ſuis, præda locuples rediit, & Regi Sigiſmundo, in ſignum victoriæ, banderia ſive vexilla hoſtis, hoſtemque captum haud modicum, miſit. Pugnavit & altera vice cum Turcis, confinia in prædicta irrumpentibus, miles iſte. Et cum ad conterendum hoſtem, viro pariter & armis, illi impar eſſet, noctem ſibi auxiliari arbitratus, militem,

quem

Digitized by Google

quem potuit, congregavit. Addidit insuper homo sagax militiæ, equorum ceterorumque in agro depascentium jumentorum vagabundos greges; unicuique gregi, tum tympanistas, tum fistulatores, & præterea homines, qui clamores ederent, præponendo. Tali adjutus præsidio, in hostem, hospitio campestrali, nocturnæque quieti datum, irruit, turbavitque & afflixit, ac fugæ præcipiti dedit: victoriaque pariter & solenni potitus præda, suæ conditionis inter nobiles, nostras usque ad dies memorabilis, nomen optimum nactus est in ævum. Dixere quidam, quod hoc in certamine, miles prænotatus, suæ gentis pro cognitione, ne nocturnis obumbrati tenebris, sui milites alter feriret alterum; vocabula, *Isten*, *Szent Myhál*, belli fervente atrocitate, præcepisset clamanda. Cumque pugna, ejusdem noctis sub obscuritate, ferveret, & hostis hostem minus agnosceret: Turci, hoc vocabulum, vel apud Deum, vel erga hostes, sibi ipsis non minus auxilio esse cogitantes; cum acriter ab hoste persequerentur, ingenti cum clamore, omisso vocabulo *Isten*, solum *Myhál* clamitassent.

CAPUT XIX.

De Coronatione Regis Sigismundi in Regem Bohemiæ.

Rex *Sigismundus*, quatuor & triginta annos, regni Hungariæ principatus gloria fretus, *MCCCCXX. Dominicæ Incarnationis anno*, regni *Bohemiæ* in *Regem* coronatus est. Hos enim ante annos, post sublationem Wenceslai, fratris sui; ipse Rex Sigismundus, regno in eodem, non regio, sed Gubernatoris nomine fungebatur. Iste Rex, non solum humilis domus nobiles; verum etiam plebejæ conditionis homines, altæ dignitatis ad culmen, quam plures sublimavit, suoque in regno potentes fecit. Domus enim Dominorum *de Palocz*, & *de Rozgon*, ac quondam Domini *Michaelis Orzaagh*, Palatini, de quo superius mentionem me feciſſe recordor, ipso Rege auctore, amplam devenere agrorum ad possessionem, superstites quorum, nunc in regno, alto magnificentiæ titulo gaudent. Comes vero *Pipo de Ozora*, nullo sui sanguinis hærede superstite defunctus, & *Mathko*, *Banus*, cum suis fratribus, *Frankone*, *Petkone*, & *Zowano*, posteri quorum, paternis in rebus nunc haud magnam habent portionem, *Ragusiani* fuerunt. Qui, licet urbani status fuerint, magnam tamen hujus Regis benevolentiam habuerunt, aurique & agri possessione opulenti, quodum vixerunt, potentes in regno fuere. Mediæ autem eminentiæ nobiles,

Digitized by Google

quos Rex iſte, aut ex rure, aut obſcuro nobilitatis ex tugurio, ſuſtulit, mihi connumerare haud promtum eſt; legentibus quoque, tædii faſtidium, cum ad has res nullius ſint importantiæ, generari arbitror.

CAPUT XX.

De his, qui Regis Sigiſmundi frequentaverunt curiam; & quomodo Dezpotus, Caſtrum Nándoralbenſe eidem ceſſerit.

Curia principis hujus, magna nobilium claritate, illam frequentantium, refulſit; ingentique advenarum inundatione, ſemper glorioſa fuit.; multi Germaniæ & Italiæ proceres, hanc frequentavere. Nec minus Regis Portugalliæ natus, multo ſui regni nobile cinctus, occiduis terræ de finibus, pro tanti veneratione principis veniens; curiæ Regis hujus honori fuit. Eum, tum quod inſtante hyemis diro rigore, Danubium congelatum vidiſſet, admiratum extitiſſe, & genitori ſuo, majori pro miraculo, quod unquam, peregrinarum partium in luſtratione, vidiſſet, nuntiaſſe ferunt. Sigiſmundo Regi, illuſtris princeps *Georgius*, *Raſciæ Dezpotus*, ſumma obedientia fuit; *caſtrumque Nándoralbenſe*, inter concurſus potentium amnium, *Danubii* & *Zavi*, ſituatum, quod abolito ævo *Taurinum*; noſtros autem per ſeniores, *Alba Bulgarica* vocatum extitiſſe perhibetur, ſuos per prædeceſſores & ipſum, illa uſque ad tempora inhabitatum, *Domini MCCCCXXV.* circa *annum*, meræ fidelitatis pro obſide, eidem ceſſit. Hoc caſtrum poſtea, rebus Turcorum invaleſcentibus, agro Hungarico, ut infra ſtylo tangetur brevi, haud parvæ utilitatis fuit. Rex vero Sigiſmundus, illi propter hoc, non minoris munificentiam largitatis exhibuit. Nam in regno ſuo Hungariæ, caſtra *Zalamkemen*, *Kewlpen*, *Bechey*, *Wyldgoſwár*, *Thokay*, *Munkách*, *Thálya*, *Regeg*, ac oppida *Zathmar*, *Bezermen*, *Debreczen*, *Thur*, *Warſan*, & alia nonnulla, in civitateque Budenſi, domum egregiam, illius dignitati ſufficientem, pro deſcenſu & hoſpitio, eidem donavit. Is etiam regalem frequentabat curiam; & apud Regem, apudque Hungaricos, gratus habebatur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De Vaſtitatibus per Blaſconem editis.

Rex *Sigiſmundus*, ſanctam matrem Eccleſiam, tum armis triſtatam, tum vero ingentibus ſchiſmatis & hæreſis procellis, & turbinibus agitatam, crebris vicibus conſolatus eſt, ruentemque erexit; & pro illa, ſuos ſæpius theſauros, ſuorumque ſanguinem ſimul & animam ſudit. Tandem, cum ætas ſua, longas ſibi moras promittere videretur minime; ne morte præventus, imperialis nominis honore fruſtraretur; illa in toto orbe terrarum nominatiſſima Romani regni diademata, imperialiſque dignitatis infulas, ſuſcipere ſatagens: diſpoſitis in regno, ex viris præſtantioribus, pro ejuſdem tutela, cuſtodibus, verſus urbem Romanam, ſuorum flexit habenas equorum. Sed hi cuſtodes, Regnum Hungariæ, ſui præſentia principis orbatum, haud bene protexere. Nam *MCCCCXXXI. ſalutis anno*, ipſo Rege, peregrinis in regnis, res ſuas dirigente: quidam *Blasko*, exigui tum cenſus, tum nominis, ex collectivo milite, Hungarico videlicet & Bohemico, quorum præda animi erat, ingenti manu conflata, primum oppidum *Ternaviæ*, turribus altis, muro coctili junctis, cinctum, civibus ejuſdem nocturna quiete ſoporantibus, vi clandeſtina ſubintravit; potituſque munitione, arma auxit, & quaſi turbo vehementiſſimus, in partes regni ſuperiores, quas nos *terram Matthiæ* vocamus, ſe ingerens, rebus etiam divinis, aut ſexui vel ætati parcens minime, uſque ad Danubium, igne & gladio omnia vaſtavit, rapacique expoſuit prædæ. Et altius feciſſet, niſi cuſtodes prædicti, univerſa regni Hungariæ congregata nobilium multitudine, illius voracem appetitum compeſcuiſſent; & illum, ſuis in rebus, quas aggreſſus erat, quoddam ſilentium, pacis ſub imagine, tenere coegiſſent.

CAPUT XXII.

De ruſticis Regibus in regno ſubortis.

Hos ante annos, in regno Hungariæ, duo ruſticana bella, autoribus quibuſdam ruſticis, altero *Antonio*, altero vero *Martino* vocatis, non tamen uno eodemque tempore, ſtrepuere. Horum unus, puta *Antonius*, in *Tranſil-*

va-

Digitized by Google

vanis regni *partibus*, alter autem videlicet *Martinus*, in terra *Nyr* & *Zamoskös*, magna ruſticorum vi collecta, & nomine regio ſibi uſurpato, ac vexillis elevatis; ingentibus, velut inundatio quædam, erumpentes viribus, & regnum ipſis ſubjicere ſatagentes, huc & illuc ferebantur, nobileſque univerſos ſibi occurrentes, interficiebant: ad villas vero & oppida, ut illis adhærerent, nuntios cum ſanguinolentis gladiis mittebant; nolentes vero inclinari, prædæ pariter & morti exponebant. Et in tantum ruſticana hæc potentia creverat, quod & armati illos aggredi pavitabant. Tandem, multa procerum expeditione, contriti & debellati ſunt, pœnaſque condignas dedere. Nam Regibus ipſis morte mulctatis, ceterorum, qui evadere nequibant, alios oculis, alios naſo & labiis, alios vero manibus, damnificavere.

CAPUT XXIII.

Quomodo Rex Sigismundus, primum in Regem, tandem in Imperatorem Romanorum, feliciter extiterit coronatus.

Inter hæc *Rex Sigiſmundus*, partibus Tuſciæ & Lombardiæ perluſtratis, in *civitate Mediolanenſi*, ſecunda Romani regiminis corona, cum primam ante hæc in Aquiſgrano ſuſcepiſſet, per principes & electores ejuſdem dignitatis, extitit coronatus. Deinde continuato itinere, Romanam venit ad urbem; ubi ſacrarum imperialis faſtus inſularum honore, veneranda tanti principis canities, per ſanctiſſimum in Chriſto patrem, Dominum Eugenium papam IV, ingenti cum ſolennitate, laudabiliter extitit adornata. Propter quod ipſe Rex Sigiſmundus, jam non ſolum Rex, aut Imperator; ſed *Rex & Imperator* a ſuis voeari dignatus eſt. Reverſus poſt hæc per Italiam & Germaniam, & rebus tam Romanæ Eccleſiæ, quam ſuis ſibi occurrentibus, diſcretionis moderamine, ad votum compoſitis, venit in Hungariam; quæ ſuam propter abſentiam, multis injuriis undique laceſſita, & in ſuæ quietis ſtatu, gravibus affecta erat procerum diſcordiis. Figens igitur in civitate Poſonienſi reſidentiam; & ad illum, regni ſui Hungariæ principibus & proceribus, quaſi totum regnum repræſentantibus, pro viſenda nova Domini ipſorum dignitate, confluentibus: omnem impetum & turbinem diſcordiarum, quibus regnum ſuum, ſua regali abſentia viduatum, & interim agitatum extitit, ſagaciter complanavit; & inſuper, pro evellendis radicitus amplioribus regnicolarum diſcordiis, proque pace illorum ſtabi-

Digitized by Google

bilienda, novas in regno conſtitutiones, novaſque leges, ſui privilegii, patrocinio mediante, perpetuo ſervandas, ſtatuit & roboravit.

CAPUT XXIV.

De Obitu Imperatoris Sigiſmundi.

Quia regnum Bohemiæ, principe remoto, non minoribus guerrarum ardebat incendiis; maxime, quia Huziſtæ, Chriſtiano rebelles Regi, catholicam fidem ſubvertere ſatagentes, res pariter & ſanguinem ſecum diſſentientium ſitiebant; & cum illis, vis ſimul & habilitas conveniebant, non tantam Chriſtianus in paganum, quantam ipſi Huziſtæ in Chriſtianos, ſævitiam exercebant. Movit igitur Chriſtianum Principem, natalis regni diſcordia; nec illum ſuæ ætatis gravitas detinuit, quoniam arrepto verſus Bohemiam itinere, ut illis pacem conderet, diſceptantemque populi fidem uniret; *Pragenſem urbem* intravit. Dum igitur ſenex princeps, ætate, curiſque pariter & paralyſis infirmitate laboraret; magna infirmitatis gravitate occupatur, ſuamque ſenilem ætatem, extremos ſuæ vitæ ad limites appropinquare, ſui corporis ex debilitate agnoſcens: Hungarorum potioribus, qui illum comitabantur, clam ad ſe vocatis, illos ita affatus eſt: *Chari mihi filii! ſummum rerum Conditorem, meæ vitæ de diebus, ut ipſe mei corporis ſentio ex debilitate, contentaſſe arbitror: ſique hic morte præventus fuero, timeo, ne Bohemi, qui me & vos ſemper odio habuere, in vos irruant, vosque & veſtras res, rapaci prædæ exponant. Sed qui hucuſque vos dilexi, ut & nunc me vos intime diligere ſciatis; maximam propter vos incidi in curam, ita, ut & languoribus, quibus perurgeor, & ceteris rebus omiſſis, ſolum veſtra de libertate, die noctuque curem. Quandam igitur veſtræ ſalutis viam inveni, per quam vos, veſtris laribus, incolumes me reddere poſſe cogito. Cras enim, barba & crinibus meis coadunatis, canitiem capitis mei, crinali adornate; locantesque me imperiali in ſede, ſimulque in feretro me ponite, & mediam per civitatem una mecum tranſeuntes, me & vos, e medio illorum, qui veſtrum ſitiunt ſanguinem, educite*: pariterque poſt verba, imperialibus e luminibus, madidæ obortæ lachrymæ, ſuas defluxere uſque ad maxillas. Placuit Hungaris, imperialis benevola perſuaſio. Quamobrem, ſubſequentis noctis tenebris, quæ ſtellas reddit clariores, per ſolis ortum fugatis, altiſque palatiorum cacuminibus, Titaneo radianti perfuſis lumine, Hungari, univerſis ad viam neceſſariis præparatis, omnia juxta imperatoris conſilium fecerunt. Et cum ſenex prin-

Digitized by Google

ceps, veneranda canitie, tumque florido adornatus crinali, mediam per civitatem ferebatur: undique ſexus utriuſque juvenum ſenumque fit concurſus, & lachrymantibus intuentes eum luminibus, quaſi illum amplius non viſuri, genuum curvatione, pariterque & jocundo ſalutationis oraculo, eum venerabantur. Ille, circumquaque oculis intuitu depaſtis, eiſdem, imperialis tantummodo capitis inclinatione, reſpondebat. Egreſſus igitur Pragenſi de civitate, optatam venire ad patriam nequivit: ſed in *Znoymam*, civitatem Moraviæ, delatus, *Domini MCCCCXXXVII. anno*, in feſto Conceptionis glorioſiſſimæ, ætatis ſuæ ſeptuageſimo (1). Regnorum autem ſuorum, Hungariæ quinquageſimo primo, Romanorum ſeptimo & vigeſimo, Bohemiæ decimo ſeptimo, Imperii vero anno quinto, diem obiit. Qui poſtmodum, ſuorum non ſine uberrimo fletu, in Hungariam portatus, & in Eccleſia Waradienſi, honorifice ſuorum prædeceſſorum ad inſtar, traditus eſt ſepulturæ. Fuit Imperator Sigismundus, homo in ſui vultus qualitate, & perſonæ quantitate, ſatis idoneus; pulchra facie, crinibus criſpis & glaucis, ac ſereno intuitu, a ſummo rerum conditore adornatus. Hic, in favorem Hungarorum, quondam longas barbas deferentium, prolixam barbam deferebat.

CAPUT XXV.

De Coronatione Alberti Regis, & præda in civitate Budenſi facta.

Liquerat *Imperator Sigiſmundus*, regni pro hærede, unicam tantum natam, *Elizabeth* denominatam; quam ex illuſtri Regina *Barbara*, nata quondam ſpectabilis *Hermanni comitis Ciliæ*, ſecunda ſcilicet conſorte ſua, genuerat. Hanc ipſe Imperator, *Alberto duci Auſtriæ*, adhuc in humanis agens, hac ſub conditione, ut ſibi gener pariter & filia in regno ſuccederent, ritu Chriſtiano, legitima pro conſorte locaverat. Et cum hæc diſpoſitio, populo Hungarico diſpliceret minime; Imperatore tumulato, ipſe *dux Albertus* mox introductus eſt: primaque novi tunc ſubſequentis die anni, Dominicæ ſcilicet circumciſionis celebri in feſto, *Domini autem MCCCCXXXVIII.* anno, eadem, qua primi Reges Hungariæ, gloriæ cum pompa, feliciter extitit coronatus. Hujus Regis primo anno,

(1) Chr. Bud. *ſeptuageſimo primo.*

Digitized by Google

anno, Budenſi in civitate, ingens exortum fuit diſturbium. Cum enim ipſa civitas, ex bino populo, Hungarico ſcilicet & Teutonico, habeat incolatum: Teutoni, ſui idiomatis principe tumidi, Hungaros, omnino ſuæ ditioni ſubdere, & illam conſuetudinem, civitate in eadem ab olim obſervatam, quod videlicet altero annorum Hungarus, altero vero Teutonus, in judicem præficeretur, abolere ſatagentes; interdum, cum illis tempus idoneum præſtabatur, Hungaros, tum opprobrio, tum vero vi afficiebant. Hungari vero, qui ab antiquis, in ſui vindictam tarde moveri; ſed aliquando, tarditatem vindictæ, poteſtatis turbinis ad inſtar, ſatisfactionis gravitatem, in ſui offenſores, exercere ſolent: omnia, velut quodam gravi ſomno occupati, diſſimulabant; quidnam inſulſa Teutonorum pareret præſumtio, expectantes. Erat tunc civitate in eadem, Hungarus quidam, *Joannes Ewthwews* denominatus; homo præſtantiæ non parvæ, nec ultimus in civitate; qui ſolus, totius Hungaricæ plebis opprobrium, præter omnes graviter ferebat, & quantum in illo erat, Hungarorum civium honorem, voce & vi tutabatur. Cum igitur in oculis Teutonicorum, admodum gravis haberetur: Teutoni, opportunitate potiti, illum furtim captivarunt; & captum, domus eorum in penetralibus, diverſis tormentorum generibus affecerunt; tandem, nimiam tormentorum per torturam mortuum, alligato illius collo ingentis lapidis mole, in Danubium illum demerſerunt. Tacuit hoc enorme ſcelus, octavum infra diem; donec ſcilicet cadaver illius, pondere ſolutum lapidis, aqua ſuis expoſuit ripis. Inventum igitur corpus exanimatum, & multum ſuæ calamitatis exhibens cicatrices, credibile de ſuis teſtimonium præbuit interfectoribus. Eadem tempeſtate, curia Regis, multo fervebat Nobile. Quapropter Hungari, hoc enormi ſcelere viſo, frementes, unanimiter, ingenti clamore concrepuerunt; magnoque furoris cum impetu, in ſui vindictam, in civitatem irruentes; dum interfectores illius reperire nequeunt, illorum ingerunt ſe in palatia, & teſtudinum ferrata confringentes oſtia, theſauros Teutonum, rapaci exponebant prædæ. Erat diebus in eiſdem, Budenſi in civitate, *Frater* quidam, nomine *Jacobus*, homo devotus, & religionis perfectæ, natione *Italicus*, *ordinis Sancti Franciſci;* quem Hungari, prædicationis in doctrina, haud parum ſequebantur. Hic ingentibus excitatus clamoribus, cum eidem facti innotuit ſeries; arrepta divina crucifixi imagine, medius, nudus pedibus, inter Hungaros curſitabat, & Chriſti imaginem illis oſtendens, ac illos, ut ab inceptis, pro illo, qui pro eis ita crucifixus eſſet, deſiſterent, voce queruloſa pariter & lamentabili, rogabat. Illi eo magis clamoribus invaleſcentes, dicebant: *Deus etium nobiſcum eſt*; direptionique rerum dediti, de illius

Digitized by Google

precibus curabant minime. Et cum Frater ille nil proficere; ſed magis tumultum ſe facere agnovit: in *clauſtrum Sancti Joannis Evangeliſtæ*, unde exierat, reintravit. Hungari vero, tali a Teutonis, ſcelerati illorum facinoris, exacta talione; cum amplius res eorum invenire non valuerunt, a direptione earundem ceſſaverunt.

CAPUT XXVI.

De exercituali Expeditione Regis Alberti contra Huziſtas.

Rex *Albertus*, Imperatore vita functo, illi, non ſolum in regimine ſucceſſit Hungarico; verum etiam, poſt impoſitam in *Hungaria* ſibi coronam, mox in Regem *Romanorum & Bohemiæ* electus eſt. Cum igitur poſt Imperatoris ſublationem, in regno Bohemiæ, Huziſtas eo acrius in Catholicos ſævire audivit: ingentem, Hungari & Alemani populi, contra illos movit expeditionem. Illi autem, licet & Polonicales manus habuerint in auxilium: tamen, cum campeſtrem Regis expeditionem, ipſorum vires, paritate potentiaque eminere, adverterent; intra mœnia civitatis *Thabor* denominatæ, ſe receperunt. Eſt enim civitas hæc in Bohemia, caput & nutrix Huziſtarum; per ipſos; dudum, novella adhuc illorum creſcente ſuperſtitione campeſtralibus eorum ex caſtris, nova murorum ædificatione, in loco naturaliter forti, condita; juxta quam Rex, ſua campeſtralia fixit caſtra. Illi autem, ſæpius de civitate; regius vero exercitus, de caſtris, erumpentes, viciſſim gravi morte laborabant. Complevit hæc dimicatio menſes tres. Interim autem, utraque de parte, tum mutuo in conflictu; tum vero excuſſione machinarum, necati fuere plurimi. Et cum Rex Albertus, ſolam famem hoſti inimicam advertit; tanto populo eſcam demere, & vias opem victualium ferentes, illis ſe recludere non poſſe, arbitratus: diſſolutis caſtris, hoſti ceſſit; nobiliſque illa expeditio illuſtrium ducum, comitum, aliorumque potentum nobilium, in evertendam Huziſtarum vim & pravitatem conflata, viroque & armis admodum potens, diſſoluta, ipſis Huziſtis locum ceſſit, animumque & ſpem majorem, quam prius erat, dedit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De Expeditione Regis Alberti in Tydewrew conſummata, & Obitu ejuſdem.

Poſt hæc anno Regis Alberti ſecundo, ingens exuberavit fama, quod *Amrates* Turcorum Cæſar, magnam ſuæ gentis vim moviſſet, regnumque Hungariæ invadere conaretur: propter quod Rex Albertus, ſui regni procerum celebrata congregatione, una cum eiſdem concluſit, hoſtem non debere ſpectare regni ad penetralia; ſed eſſe illi in forti brachio obviandum. Commota igitur totius regni Hungariæ militari virtute, magnum congregavit exercitum; & in loco, vulgari appellatione *Tydewrew* vocato, ſua tentoria locavit. Cæſar vero Turcorum, Regem in regni defenſionem, ſufficientibus militum armorumque præſidiis gaudere audiens: expugnato caſtro *Zendrew*, & omni pene *Raſciæ* agro, ſuæ potentiæ ſubjecto, Dezpotoque, regni ejuſdem Domino, in Hungariam profugato: frameam, & omne ſuum robur, in Græcos convertit, ac illam ampliſſimam *Theſſalonicenſem*, egregiam Græciæ *civitatem*, antiquitate, opibus, ac populi celebritate, & præſtantia dignitateque civium, inſignem & nominatiſſimam, vi cepit, & expugnatam penitus diripuit. Deinde *Epirum* & *Ætoliam*, provincias non obſcuras, aggreſſus eſt, eaſque in deditionem recepit, & reliquo regno addidit. Hungari vero ex longa campeſtralis hoſpicii mora, tædio affecti; maxime cum multi ex illis, ſanguinis fluxu gravarentur: *Luppo*, juxta antiquam ipſorum conſuetudinem, proclamato, invito Rege, ſparſim & confuſe, relictis regiis caſtris, recedentes, abierunt. Rex autem Albertus, veniens ad Budam, infirmitate præventus eſt. Et cum in animo Viennam intrare haberet; ſuæ minime parcens debilitati, verſus Auſtriam continuabat iter. Tandem, cum in villam *Neſmel*, in feſto Beatorum Simonis & Judæ Apoſtolorum, deſcendiſſet; invaleſcente ægritudine, poſtquam annum unum & menſes novem dieſque octo & viginti, in Hungaria regnaſſet, *MCCCCXXXIX. Domini anno*, ibidem, villa in eadem, vita functus (1), in Eccleſia *Albæ regalis*, ſuorum prædeceſſorum ad inſtar, ultimo ſepulchri honore, regali in pompa, extitit tumulatus. Erat Rex Albertus, homo competentis proceritatis; faciei, plus ad nigredinem, quam albedinem, tendentis; mitium morum, & petitioni ſuorum flexibilis.

(1) Chr. Bud. *illum in vigilia Simonis & Judæ obiiſſe memorat.*

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

De Introductione Regis Uladislai, & rebus inter ipsum & Reginam Elizabeth actis.

Defuncto Rege Alberto, *Regina Elizabeth*, prægnanti utero ab illo relicta, de se, deque, regno cogitans, ut viduarum moris est, mœstos ducebat dies. Abundabat tunc in regno magnatum copia, humanitate præclara, virtuteque, tum consilii, tum militiæ, præfulgida. Ad hos Regina, de futuro Rege sollicitos, ita verba fecit: *Domini & fratres! de rebus regni, vobis non minus, quam mihi, cogitare incumbit. Ipsa sum, ut nostis, hæres Regni; non ergo ad dirigendas regni habenas, meam sufficere arbitror virtutem. Si ad prolem ex me nascendam expectatis; fœminea in quantum experiri valet natura, filiam magis quam filium me parturire, arbitror. Quærite igitur vobis principem, qui ad portandas tanti regni curas, fœmina magis idoneus sit: nec minus mei genitoris beneficia, præ corde præque oculis ferentes, me in regno illius, e quo genita sum, expertem ne faciatis.* Et his dictis, post emissa suspiria, lachrymantia simul lumina tersit. Hæc Reginæ oratio, ingentem, multos per annos, in Hungaria, ardentem facem peperit. Nam magnates ipsi, ex his Reginæ verbis, quadam levitaté consilii ducti, de novo Rege introducendo, unanimi voto contulerunt. Erat tunc in regno Poloniæ, princeps quidam juvenis, nomine *Uladislaus*, magnus dux Lithuaniæ, frater Regis Kazymerii. Hujus morum peroptime virtutes, dum in Hungaria commendantur; placuit ille cœtui magnatum universo. Conventum est igitur de illo, ut introduceretur, & regnaret. Quapropter viri in regno potentes, famaque honesti, *Episcopus Tinienſis*, ac *Mathko*, Dalmatiæ, Croatiæ, & totius Sclavoniæ Banus. *Emericus*, filius *Wayvodæ de Marchali*, & *Ladislaus de Palocz*, pro deferendo ad illum communitatis voto, proque illo introducendo, electi pariter & destinati fuere.

Hi nondum, ducem ad prædictum, ipsorum legationis detulerant officium; cum reginales per nuntios, Reginam filium peperisse nuntiantes, præventi, pariterque, ne erga ducem suscepta uterentur legatione, prohibiti sunt. Illi autem, quia Cracovienſis civitatis erant intra muros, Regique Kazymirio, & fratri illius duci Uladislao, pro cujus rebus agebatur, illorum manifesta erat itineratio; absque executione ipsis comissi negotii reverti, haud audebant. Postquam autem ad eundem ducem, ipsorum usi sunt officio; mox juvenis princeps,

Digitized by Google

ceps, ambitione regnandi captus est; nec differt, quin statim præparatis viæ necessariis, adunataque sibi Polonicalis militiæ decenti comitiva, venit in Hungariam. Cui primores regni Hungariæ, quorum de novo principe gaudere cordi erat, multis regnicolarum cum agminibus, obviam venere. Eisdem in in diebus, *Laurentius de Hederwara*, Palatinus, antiqua regni de consuetudine, Budense castrum conservabat; qui, venienti novo principi, non minus obviam exivit, portisque castri ejusdem ultro patefactis, illum regalia alta ad atria velut Regem Hungariæ, introduxit.

CAPUT XXIX.

De Nativitate & coronatione Pueri Ladislai, & de asportatione Coronæ.

Volvebatur *MCCCCXL. Dominicæ Incarnationis annus*, & celebre festum Pentecostes instabat, cum *Rex Uladislaus*, Budensem ad arcem introductus est. Non ergo *Regina Elizabeth*, quæ his currentibus filium genuerat, ea, quæ suam ad partem pertinebant, dirigere negligebat. Multi enim magnatum, quorum in pectoribus, Imperatoris Sigismundi, nondum tepuerant beneficiorum recordia, Reginam sequebantur; & res novi Regis, displicebant illis omnino. Quapropter Regina Elizabeth, sua baronum cum parte, Albam regalem petiit; filiolumque suum, nomine Ladislaum, qui nondum quatuor suæ ætatis menses compleverat, multis tonantem vagitibus, in Regem fecit inungi pariter & coronari. Cantabat clerus consuetas laudes; & Regina assiduas fundebat lachrymas; nec minus baronum cœtus illi assistens, reginales fletus visceribus compassionis recipiens, lachrymabatur. Interfuit hujus infantuli intemporaneæ coronationi, vir præclarus, dominus *Dionysius de Zeech*, *Cardinalis*, & *Archiepiscopus Strigonienſis*; qui & puerulum ipsum, suæ dignitatis officio exigente, inunxit, ac illi sacrum diadema imposuit. Erant etiam ibidem *Matthias Wesprimienſis*; & *Benedictus Jaurienſis* Ecclesiarum Episcopi. *Ulricus comes Ciliæ*, & idem proximus Reginæ affuit; qui pro puero coronato, ad instar aliorum Regum Hungariæ, tempore coronationis, pro observanda suæ plebis libertate sacramentum præstantium, reale præstitit juramentum. Nec non & *Nicolaus de Vilak*, & *Ladislaus de Gara*, *Bani Machowienſes*, *Andreas Bothos de eadem Gara*, *Ladislaus* & *Henricus*, filii quondam Joannis Wayvodæ *de Thamasy*, ac *Thomas de Zeech*, aliis cum pluribus regni

no-

Digitized by Google

nobilibus, tanti ſpectaculi pro videnda gloria, proque obſervanda Reginæ & infantulo Regi fidelitate, affuere. Poſtquam igitur talis coronationis peracta eſt ſolennitas, Regina Elizabeth, arcem ad *Wyſſegradam*, claves & conſervatio cujus, tunc dicto *Ladislao de Gara*, Bano, credita erant, pro reponenda, ſuo in loco, regali corona, iter ſuum direxit. Eſt enim caſtrum hoc, natura loci tutum, altoque in monte, ſecus decurſum Danubii, delectabilique aſpectu, digna murorum arte, erectum; ſuperioribus mœnibus, liquidum aerem, errantesque ſub cælo nubes, infima vero munitione, decurſus dicti fluminis, tangens. Eapropter, veteres quondam Hungariæ Reges, hanc arcem, coronæ tuta pro conſervatione, elegere. Ad hanc arcem, poſtquam Regina intravit, in repoſitione ipſius coronæ, barones ſibi circumſtantes, fefellit. Simulavit enim, ſe illam ſuum in locum reponere, fæminea tamen quadam aſtutia eandem furripiens, erga ſe occultavit, & per barones ipſos, antiqua tanti theſauri conſervatoria, ſuis vacua conſervare ſolitis rebus, ſigillare fecit. Divertit tandem Regina ab hinc, ſimul cum filio & corona, ad *Fridericum Romanorum Regem, & Styriæ ducem;* frater enim puero erat: & utrumque, tum filium pro educatione, tum coronam pro conſervatione, illi dedit.

CAPUT XXX.

De Dominis quibuſdam novo Regi adhærentibus, & curia, pro parte ejuſdem, Budæ celebrata.

His habitis, *Regina Elizabeth*, a Rege Romanorum rediens, ſuorum ſanctorum ſub cuſtodia, per civitates & caſtra, quæ ad illam recto erant corde, ferebatur: multam tamen, non tantum a Rege, alienigena & ſua gente; quantum a ſuis terrigenis, perſecutionem patiebatur. Favebant *Regi Uladislao* magnates multi, & res illius præferre conabantur. Inter quos *Simon de Rozgon*, *Epiſcopus Agrienſis*, primus omnium, ſimul ſuis cum fratribus, & pene omnibus partis ſuperioris regni Hungariæ baronibus nobilibuſque, pro novi Regis parte laborabat. Et cum *Nicolaus de Uylak*, Banus, Uladislai Regis ſaventium agmina creſcere, ac reginalem partem parvi pendi vidit; infantemque Regem, aut prodeſſe aut obeſſe ad tunc non poſſe cogitavit: a Regina defecit, & novo Regi adhærens, extollendam ejuſdem in partem, ceteris acrior fuit. Erat tunc in regno miles magnanimus, nobili & claro Tranſalpinæ

Digitized by Google

pinæ gentis de gremio natus, *Joannes de Hunyad*, homo bellicosus, & ad flectendum arma, dirigendasque res bellicas natus; & sicut piscibus aqua, cervisque umbrosas lustrare silvas, sic illi, armorum bellique expeditio, vita erat. Hunc hominem, ut dici præsumitur, futura regni pro tutela, rebus per ipsum gestis testantibus, fata ab alto elegerant, peregrinisque de partibus, regni Hungariæ deduxerant intra oras. Fertur enim, quod Rex Sigismundus, virtutis nomine genitoris militis hujus pulsatus, illum partibus de Transalpinis, suum traduxisset in dominium; suique regni illum incolam effeciset; & nihilominus, digna perpetuaque eundem, munitionis *Hunyad* possessione, ubi nunc castrum nobile aspectuque delectabile erectum est, dotasset. Præfatus igitur Joannes de Hunyad, semper sui superioris lateri adhærendo, cum jam de virtute in virtutem crevisset, a minoribusque regni officialatibus, quorum usque ad tunc fretus fuisset honore, successivo incremento in tantum claruisset, quod ad Wayvodatum partium regni Transilvanarum, suum extulisset titulum: vir in regno non parum potens, & ipse Regi Uladislao adhæsit. Fit igitur pro parte Regis Uladislai, cunctorum regni procerum convocatio: & Budensis civitas, multorum adventu nobilium fervet; plebsque, semper novo de principe gaudere solita, civitatis per plateas, læta fronte ferebatur. Venerant etiam ad hanc congregationem, salvi conductus sub prærogativa, Dominus *Dionysius, Cardinalis* supradictus, & *Ladislaus de Gara, Banus*, pluresque magnates; quos reginalis magis, quam novi Regis, dilectio trahebat. Hi ceteris cum regnicolis castrum regale cum adissent; mox portæ, quæ illos susceperant, eosdem remittere negarunt, tamdiu, quousque novo Regi fidelitatem servandam, proprio sub juramento, promiserunt. Quibus peractis, Ladislaus de Gara, interim dimissus est minime; donec arcem Wissegradiensem, quam, ut præmissum est, tenebat, compulsus, Regi Uladislao restituit.

CAPUT XXXI.

De Coronatione Regis Uladislai, & de Guerris subsecutis.

Postquam autem *Rex Uladislaus*, castro Wissegradiensi potitus est; mox sacræ tentata sunt conservatoria coronæ. In quibus res quæsita dum non invenitur, magna in Regis Uladislai parte turbatio orta est. Non ergo Regem ipsum, absque corona, fieri voluerunt. Commotus enim est omnis cœtus re-

Digitized by Google

gnicolarum, quos benevolentiæ animus Regi junxerat; & simul cum ipso Rege venerunt *in Albam:* ibique ordine sacerdotali, laudum in concionem, altis vocibus dissoluto: Regem eundem, corona, pro ornamento reliquiarum capitis sancti Regis Stephani, olim miro operis artificio præparata, magno cum tripudio coronarunt. Tota inter hæc plebs Hungarica scinditur; omnisque dilectio dissoluta, mutuum ruit in damnum: & velut magno olim Alexandro Macedonum vita functo, duces illius, unitate, (qua ipso vivente, non minus quam armis, vastum subegerant orbem,) animi spreta, illius latum dilaniaverunt imperium; sic duces dominive Pannonici agri, regnum, Regibus sub divis, tranquillitatis amœnitate tutatum, magnarumque rerum, (quæ concordia crescere solent,) ubertate undique refertum, diro marte lacerarunt. Hi, qui colunt, quique meditantur astra, regnum Hungariæ, signo subjacere sagittarii, non vacue posuere. Nam incolæ illius, ut hoc veterum produnt præconia, semper tristibus insudaverunt armis; & cum extraneis rebus, sanguinique parcunt peregrino, alternum fundunt cruorem, & in se ipsos mutuo sævientes, perparentes, perque se congestas gazas, rapacem in prædam convertunt. Huic, tum antiquæ, tum nostri ævi gestæ res, sufficienti testimonio sunt; nec minus ætas, regiminis dicti Regis Uladislai, his rebus credibile edidit documentum. Nulla enim spiritualis secularisque dignitas supersedit ab armis; omnisque ætas, nocere promta, ætati non parcebat: at discordia ductrice, cuncti divisi regnicolæ, pro incerto Regis nomine, pugnabant. Hi Regem sequebantur Uladislaum; illi, Reginam Elisabeth, illiusque filium præferre conabantur. Et quibus in hostem frui, domestica non sufficiebat manus, hostem extraneo de populo conducebant. Quæ postmodum res, in regno flammas non modicas succendit.

CAPUT XXXII.

De Conflictu Baronum circa monasterium de Czykador.

Cunctisque igitur, dominis servisque, dictarum partium sequacibus, pro sua parte, se alternatim sinistro oculo respicientibus, & sæva mente considerantibus: viri in regno potentes, *Ladislaus de Gara Banus*, *Joannes Phylpes de Korog*, *Andreas Bothos de Harapk*, *Henricus* filius Wayvodæ *de Thamasy*, omne robur suum in arma concitantes; injurias Reginæ filiique illius propulsaturi,

Digitized by Google

ri, ſecus *monaſterium de Czykador*, quem locum vulgus *Zek* appellare ſolet, caſtra metati ſunt. Contra quos præfati, dominus *Joannes de Hunyad*, Wayvoda, & *Nicolaus de Vylak*, tunc Banus Machovienſis, compoſitis agminibus, veliſque extenſis venientes, in magna virtute bellandi, illorum irruerunt ſuper caſtra. Quapropter ingens clamor exuberat hoſte in utroque; nec minus tympana tubæque, reſonant partibus ex ambabus. Sed cum Regis Uladislai pars, animo pugnat ferventiori; mox caſtra partis alterius perturbata ſunt, diſſolutaque per devia ferebantur: ac cuncti eorundem præſidio caſtrorum nudati, ſparſim fugiebant, denſarumque ſe ſilvarum latebris commendabant. Perſequebantur eoſdem, Wayvodæ ac Bani milites; & non minus, ac ſi hoſtem reperiſſent ultra maritimum, gravi illos clade afficiebant: ubi & *Andreas Bothos*, homo ſeverus, ſevera morte interiit. *Henricus* quoque filius Wayvodæ, captus eſt. *Ladislaus* autem *de Gara*, Banus, & *Joannes Phylpes de Korog*, quamvis aliis graviori corpore fuerint, in hoſte tamen fuga vincendo, ceteris non fuere graviores: elapſi enim per fugam, nunquam amplius, campeſtrali certamine hoſtibus ſe ſuis offerre, præſumſerunt. Dominus ergo *Joannes de Hunyad* Wayvoda, & *Nicolaus de Vylak*, Banus, direptis hoſtibus, caſtris ſuis ſimul cum agminibus locupletati: deinde amoto exercitu, caſtra *Symonthornya* & *Soklos* aggreſſi, obſidione gravare tentarunt. Quæ cum expugnare nequiviſſent; diſcedentes ab illis, per regnum ferebantur, & quoſque regnicolas, Regis Uladislai jugo obedire cogebant.

CAPUT XXXIII.

De Inſultibus ex caſtro Strigonienſi factis, & Obſidione caſtri ejuſdem.

Eadem tempeſtate, vir dignus viri nomine, formaque & corporis diſpoſitione, inter ceteros regni Hungariæ primores, non ultimus, *Thomas de Zeech*, frater domini Dionyſii, Strigonienſis Archiepiſcopi, caſtrum *Comaron* conſervabat. Homo iſte, Reginæ obſequiis præ ceteris magis deditus, ex caſtro Strigonienſi, in forti manu ſæpius progrediens; in vicis regnicolarum, a Regina & illius filio diſſidentium, in ferro & igne, vaſtitates non modicas edebat: veniensque, oppidum *Thermarum*, Hungarico idiomate *Felhewyz*, vocatum, Budenſi civitati annexum, Regis in conſpectu ſuccendit, altaſque in flammas, & obſcurum redegit in fumum. Rex vero Uladislaus, cum ſuam par-

Digitized by Google

partem, omni conamine, pro se decertare animadvertit, baronesque regni sibi contrarios, debellatos fore audivit: coadunatis armatorum copiis, audax prosiliit in campum; primitusque *castrum Strigoniense* expugnare satagens, illud circumquaque obsidione cinxit, ac in *monte Sancti Thomæ* munitione præparata, obsidentes & obsessi, sæpius ludo martis concurrentes, mutuisque se confodientes vulneribus, animas simul & sanguinem fundebant. Quod cum dominus Dionysius Archiepiscopus vidit; homo enim erat innatæ compassionis, naturaque & moribus ac vita nobilis: mox in suspiria & lachrymas dissolutus, Dei judicio se puniendum arbitratus est, nisi tantæ cladis compesceret fluctus. Quapropter mox ad Regem interlocutores misit, laboravitque pro pace & treuga, quam & obtinuit. Rex igitur Uladislaus, amoto exercitu, venit in *comitatum Zaladiensem*, duasque ibi expugnavit munitiones, quas tunc Teutonum proterva detinebat manus, quarum altera *Paka*, altera *Kygyos*, vocitabatur. Quibus expugnatis, felix rediit ad Budam.

CAPUT XXXIV.

De his, quæ per nationes extraneas in regno acta fuere.

Contulerat Regina Elizabeth, Alberti Regis post mortem, *castrum Zoliense*, & ceteras illi annexas munitiones cuidam *Joanni Izkræ*, denominato *de Brandis*, homini Bohemo, & arma flectere docto, rapinæque avido; & illum cunctis montanis civitatibus, *Cassoviæ* scilicet & ceteris, nondum a Reginæ & filii ejus fidelitate discrepantibus, in tutorem præfecerat. Iste *Joannes Izkra*, cum barones in se ipsos alternatim sævire vidit; mox prædabundus, omnem *terram Matthiæ*, & provincias comitatusve, Cassovienſi civitati vicinas, & pene totam partem regni Hungariæ superiorem, prædabundus invasit. Nocebat, quibus poterat, cunctis; his quoque maxime, quos ad Reginam, & ejus filium, siniſtro sciebat esse corde. Conducto igitur extraneo milite multo, in forti manu, palam gradiens, agrum lustrabat Hungaricum, castra metabaturque, ac omnia sibi occurrentia, gravi rerum direptione, incendioque vastabat. Hinc & *Pancratius*, Lyptovienſis comitatus incola, homo plus quam extraneus hostis, atrox, ac *Petrus Komorowzky*: nec non *Akzamyth*, *Thalafwz*, *Rybald*, *Kerczky*, *Wryk* 1) & *Zlowachko*, aliique nonnulli Bohemi, Poloni, & Sclavi, quos

(1) Edit. Brun. *Wrzyk*

Digitized by Google

quos præda delectabat, aggregario milite muniti, omnem vim ipsorum, regni in prædationem converterunt, paratisque multis munitionibus & castris ligneis, cunctæ ipsis vicinæ regionis parti, terrori erant. Quapropter res, intestinis quæ nequibant consumi guerris; has peregrina manus, multa cum rapacitate diripiebat. Popularis conditio, gravi premebatur censu; nec eidem, crebra homagiorum solutio, pacem redimebat: sed sola capitum pro tutela, deserti, antra ceteraque nemorum latibula, inhabitare cogebatur. Ardebant civitates & villæ, vicibus iteratis succensæ, altumque eructantes fumum, vicinum aerem confundebant. Sævi, cunctam per Hungariam, ferreæ ætatis anni volvebantur; ac steriles agros, dominorum servorumve cruentabat cædes. Innocentes quot personæ fuderunt cruorem animamve simul? quot destitutæ suis fuere rebus? quot mulieres suis fuerunt viduatæ maritis? quot puellæ, virginali florentes decore, suis in vitæ cadentibus fuerunt spoliatæ liliis, temporibus in prædictis: cum solum personas, rebus nudatas omnibus, futura ad tempora, tanto in discrimine, unicuique præservare sufficiebat? Quid autem *comes Ciliæ Ulricus*, Reginæ avunculus, diebus in eisdem, in illius vindictam operatus sit, senes regni Sclavoniæ memorant usque modo; & illa, gravibus non sine suspiriis, ipsorum narrant filiis. Nec fuit regno, intrinsecis laboranti guerris, vicinus quispiam, qui se illi hostem non exhibuisset. Hæc fuerunt disturbia, regni intra climata, magnis fluctuantia procellis; quæ plus quam octo & viginti per annos, sævis morsibus Pannoniam lacerarunt. Neque tantos guerrarum turbines, multi, pluries conati, comprimere valuerunt. Sique eosdem, modernus princeps noster, inclytus Rex Matthias, circa millesimum quadringentesimum sexagesimum secundum Domini annum, in forti brachio, tanto a servore cessare non coegisset; dici posset, quod in multa rabie, bullirent eadem disturbia, usque hunc diem.

CAPUT XXXV.

De Obsidione castri Nandoralbensis.

Multa & varia, una & eadem tempestate aguntur; non tamen simul & semel queunt enarrari. Nam eisdem annis, quibus præfatus quondam dominus Rex Albertus, vita functus est, Cæsar Turcorum *Amrates* omne *Serviæ regnum*, quod communi vocabulo *Rasciam* vocant, suo dominio subdiderat; ac

Digitized by Google

caſtra & cunctas munitiones illius detinebat. Hic cum audivit, omnem regnicolarum regni Hungariæ cœtum, ſe inteſtinis guerrarum rodere morſibus; diviſam plebem, in ſui defenſionem, arbitratus eſt valere nihil. Quapropter regnum Hungariæ invadere, & primitus *caſtrum Nandoralbenſe* obſidione tentare, cogitavit. Commoto igitur omni ſui principatus armorum robore, cunctiſque bellicis apparatibus, machinis, & tormentis eductis, veniens, caſtrum prædictum, expugnandi gratia, aggreſſus eſt. Erat tunc caſtro in eodem Capitaneus, vir magnificus, *Joannes Prior Auranæ*, cognomento *Zowanus*, Raguſiana de natione ortus, frater *Mathkonis*, regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & totius Sclavoniæ Bani, vir ſtrenuus, & animo impavidus. Hic, cum vidit hoſtem adventantem, obviam illi ivit, & nec ſine certamine in caſtrum reverſus eſt: ſed cum hoſtilium copiarum ingens eſſet multitudo, longa decertatione, manus illi conſerere, impar erat. Rediens igitur in caſtrum, quæ ad cuſtodiam mœniorum ſpectabant, debite providebat. Cæſar vero Turcorum, circumquaque agminibus diſtributis, ac excubiis undique ordinatis, caſtro eidem gravi obſidione adhærebat. Nihilominuſque, machinis & ceteris tormentorum generibus adaptatis, altas turrium munitiones & mœnia, præcipitem diſſipabat per ruinam, humilique terræ adæquabat. Zowanus vero, & qui cum illo erant, ex tanti hoſtis viſione, tamque dura expugnatione, minime ſtupefacti; ea, quæ ipſorum curæ erant, agiliter exercebant, & diurnis Cæſaris fatigationibus, parietes caſtri proſtratos, nocturno labore muniebant, ſæpiuſque de caſtro ad inſtar veſpium erumpentes, magnum in hoſte tumultum faciebant. Cum igitur Cæſar ipſe, Zowanum, in caſtri ejuſdem tutela, fortiter ſibi obſtare animadvertit; aliud genus inſidiarum, pro obtinendo caſtro eodem, excogitavit. Eſt enim quidam colliculus, caſtro ab eodem, verſus inimicas terras, in medio miliari Hungarico, vel citra diſtans, res, quæ ex altera ſui parte geruntur, a conſpectu caſtri prædicti, occultare habilis. Hujus igitur colliculi ſub umbra, Cæſar ipſe, foſſam ſubterraneam, caſtri ejuſdem uſque ad interiora penetrantem, longam latamque, per quam agmina poſt ſeſe progredi poſſent, egerere ſtatuit. Adhibitus eſt igitur labor continuus, & tot millia hominum, terram, tum propriis in artubus, tum vero camelorum, equorum, onagrorum, & aſinorum officio, egerendo, foſſam eandem, in brevi tempore, ad ipſius caſtri muros non longe diſtantem, perduxerunt. Inter hæc, Cæſaris inſidiæ, vel divino nutu, illis, qui de ejuſdem caſtri conſervatione potiorem curam habebant, indicatæ ſunt; vel, ut quibuſdam dicere placuit, quod ſagitta, neſcitur per quem emiſſa, in caſtrum devolaſſet,

eui

Digitized by Google

cui charta quædam circumvoluta reperta extitiſſet, quæ foſſam in loco memorato egeri, caſtroque propinquam eſſe, manifeſtaſſet. Unde Zowanus, primo vel ultimo modo de Cæſaris voluntate inſtructus, aliam de ipſius caſtri corpore progredientem foſſam, conſimiliter ſubterraneam, foſſæ Cæſaris obviam, celeri cum labore effici, ac ſaletro bombardarumque pulveribus, ac aliis rebus, ardere, flammaſque repentinas ac fumum vehementem ſubito edere valentibus, impleri, orificiaque foſſæ ejuſdem intrinſeca, artificioſe fortiterque recludi, & tantummodo pro ſuccendendis rebus & pulveribus prænotatis, quoddam foramen irrecluſum dimitti, hoſtemque occultas parantem inſidias, mira ſpectatione, indeſinenter, plurimos per cuſtodes, ſubaudire fecit. Cumque hoſtilis foſſa, intra mœnia caſtri, ad foſſam percaſtrenſes egeſtam, deducta eſt; & rumor effodientium illam, per cuſtodes extitit auditus: mox ignis adhibitus, omnes prædictas res compoſitas ſuccendit; & vehementi flamma fumoque, omne vivens, homines ſcilicet & pecora, quæ intra eandem foſſam erant, ſubita morte necavit. Quapropter Cæſar ipſe, cum nec hanc viam ſibi, in obtentione caſtri ejuſdem, juvamini eſſe vidit: amiſſis, ut fertur, decem & ſeptem ſuæ gentis millibus; & ſeptem menſibus, obſidione in eadem exactis, confuſus repatriavit.

CAPUT XXXVI.

De Bello per Dominum Joannem Wayvodam circa caſtrum Nandoralbenſe commiſſo.

Cum poſt hæc, eorundem temporum ſub decurſu, dominus *Joannes de Hunyad*, Wayvodatus Tranſylvani & Banatus Sewerienſis honore clareſceret, & in comitem Themeſienſem creatus; exigenteque rerum neceſſitate, caſtro Nandoralbenſi in prædicto Capitaneus factus extitiſſet; ac partes regni Hungariæ inferiores, uſque ad flumen *Thitiæ*, totaque Sclavonia, ac cunctus ager, inter *Savæ* & *Dravæ* flumina medius, dira Turcorum rabie vaſtarentur; civitates, & villæ, ac oppida, vehementes per flammas comburerentur; res diriperentur; homines ſine diſcretione ſexus & ætatis, aut interficerentur, aut perpetuæ ſervitutis jugo mancipandi abducerentur: omnibus regnicolis, intrinſecis fluctuantibus odiis, ac partibus regni præſcriptis, manifeſto diſcrimine relictis; ſolus ipſe dominus Joannes Wayvoda, tantam Chriſtianæ re-

li-

Digitized by Google

ligionis perſecutionem, amaro corde tulit. Quapropter, poſt multos cum ipſis Turcis, in quibus ſemper victor evaſit, partiales congreſſus; dum eorundem dierum ſub volumine, Wayvoda quidam Turcorum, *Izak* nomine, qui caſtrum *Zenderew*, ceteraſque Raſciani regni arces, & pene omnem Raſciam ſive Serviam, ex dono præfati Cæſaris Turcorum, tenebat, ſuorum magna vi ſubditorum collecta, caſtro Nándoralbenſi circumjacentes vicos, diripere exurereque, ac novi Capitanei animum tentare, aggreſſus eſt: ipſe dominus Joannes Wayvoda, hoſtilem ſciens conatum, ea, quæ ad tantum hoſtem tractandum pertinebant, componere non neglexit. Congregato enim peroptimo armatorum præſidio, ac ex illo aciebus ordinatis, hoſtis ſe hoſti in campo obtulit. Fit igitur, magno cum impetu, congreſſus utriuſque hoſtis; & multi, in belli primitiis, ſternuntur ab equis; clamor exoritur ingens, moribundum inſtat certamen, innumeri, parte ex utraque, cadunt interfecti. Izak ergo Wayvoda, Hungaros aut vincere, aut mori præoptaſſe videns, mox terga vertit; & in veloci curſu ſui equi, verſus caſtrum Zenderew, ſimul cum ſuis, qui ſupererant, fugam iniit vehementem. Unde dominus Joannes Wayvoda, & omnis ſuorum militum cœtus, ſecuti ſunt illos in ore gladii, quo dum ipſius caſtri Zenderew mœnia intuiti ſunt, multos ex ipſis in cadavera redigentes. Tandem cum victoria, & captarum magna cum opulentia rerum, in caſtrum Nándoralbenſe redierunt.

CAPUT XXXVII.

De Bello & Conflictu Domini Joannis de Hunyad, Wayvodæ, in partibus Tranſilvanis commiſſo.

Poſt hanc ipſi domino Wayvodæ divinitus datam victoriam, non multo dierum intervallo prætereunte: alter Turcorum exercitus, gloria victoriarum, ante hæc, tum de Hungaria, tum aliarum ſibi vicinarum nationum de regnis reportatarum, tumidus, magna præſumens, magnoque ſuæ generationis populo, ac armorum munimine non modico ſuffultus, duce quodam *Wayvoda, Muzethbeg* vocato, homine auſtero, reſque bellicas dirigere docto, per terram Tranſalpinam, clandeſtina quadam eruptione, Alpibus tranſitis, regni Hungariæ Tranſilvanas irruit in terras. Gens crudelis, & cuncta offendere ſolita, quæque ſibi occurrebant, pietate abſque aliqua, ignis & ferri vim adhibendo, omnia

Digitized by Google

omnia vaſtabat; ætaſque aut conditio, cuipiam aliquam non miniſtrabat redemtionem. Hanc funeſtam ejuſdem exercitus Turcorum ante eruptionem, paucis diebus, dominus Joannes Wayvoda, in ipſas Tranſilvanas partes venerat: aditaque civitate Albenſi, vulgati vocabulo *Gywlafeyerwár* vocata, quid de hoſte faceret, cogitabundus præmeditabatur. Subitum enim tanti inimici propter adventum, copias adunare, & illi occurrere, ſibi omnino negabatur: quapropter maxima premebatur anxietate; ita ut ora illius, ex nimiarum cogitationum impulſu, marceſcerent, & labia ſcinderentur. Cum autem ipſi Turci, multis jam dicti Tranſilvani agri partibus percurſitatis, ingentem prædam hominum rerumque ac pecorum trahentes, dictæ civitati Albenſi propinquum ad campum venerunt; ſic, ut incendia fumum eructantia, illos non remote eſſe, teſtarentur: dominus Wayvoda Joannes, alios ſuſtinere valens, ſe ſuſtinere nequivit; quin totus excandeſcens in vindictam, tanto hoſti obviandum eſſe ſtatuit, militumque minus congrua in comitiva, conflicturus, profiliit in campum. Erat eiſdem in diebus, Epiſcopus civitatis ejuſdem, homo decentis reverentiæ, in rebus tamen rite agendis, vehemens; & hic, ipſum dominum Wayvodam comitatus eſt. Progredientes igitur, cum incauti ad campum *villæ Sancti Emerici* pervenerunt; ſubito, cunctæ circumadjacentes valles, ingentia hoſtium agmina, in abſcondito latentia, tantummodo adventum ipſius domini Wayvodæ expectantia, effuderunt. Quid ultra? ipſe dominus Wayvoda, campum deſerere, imparemque ſibi hoſtem declinare, coactus eſt. Fugiebant, qui poterant, cuncti; qui autem in fuga deficiebant, per hoſtem aut capiebantur, aut interficiebantur. Ubi & prætactus Albenſis Epiſcopus, in celeri curſu ſui gradarii, dum fugiens, ſuo gradario, trans decurſum cujuſdam rivuli ſaltante, in terram decidiſſet, decollatus eſt. Extulit hæc res cor Mezethbeg, Wayvodæ, ipſumque majora aggredi animavit. Quapropter omni ſine timore, Tranſilvanas ferebatur per partes. Gaudebat de præda, maxime de illa, quam ſibi ſors pugnæ obtulerat; hanc quidem intactam, ſuo deferre Cæſari cogitabat: ergo & vectores, & cuſtodes curruum, in idem ſervabantur. Inter hæc dominus Wayvoda Joannes, omnem ipſarum partium militem, quem tam repentini temporis in ſpatio conducere potuit, in magna celeritate congregavit: ulciſcique ardens, mox egreſſus, hoſtem ſequebatur. Cum autem hæc Mezethbeg Wayvodæ nuntiata ſunt, fertur dixiſſe: *Veniat, & nobis plus quam pridem lucri faciat.* Stabat ad tunc, cum hæc dicta ſunt, ſpeculator domini Joannis Wayvodæ, Turcorum dicto Mezethbeg Wayvodæ adſtantium, in medio ac omnia, quæ per ipſos de committendo bello collata ſunt, audiebat. Feſti;

Digitized by Google

nanter igitur ad dominum Joannem Wayvodam rediens, ſecrete dixit illi: *Tu, & omnia tuorum armorum inſignia, quibus propriæ perſonæ uteris pro defenſione, equique tui color, Mezethbeg Wayvodæ prodita: & me præſente, robuſtiſſimi milites, in armis ceteris præſtantiores, delecti ſunt; commiſſumque eſt illis, ut quamprimum te circumveniant, & quam maxime tuam feſtinent ad interemtionem.* Habebat Dominus Wayvoda Joannes, inter alios militem unum, *Simonem* nomine, ex generatione nobilium *de Kamonya* ortum, a ſe in forma corporis non multum differentem, militariſque animi virtute, ſuos inter ſocios, non minus valentem. Cum hoc igitur milite, ipſe Dominus Wayvoda, arma & equum commutavit, ac ad ejuſdem defenſionem, milites nonnullos, virium fortitudine, bellandique deſiderio perſpicuos, deputavit: & tandem, omnibus, quæ belli exigebat neceſſitas, multa diſcretione ordinatis, hoſtem priori victoria tumidum, in quodam vico partium prædictarum, ſuas ad bellum componentem acies, in magna aviditate bellandi aggreſſus eſt; & tanquam turbo quidam vehemens, irruit ſuper illum, congreſſu quoque in primo, omnia illorum agmina perturbavit, ac varias, in ſorti ſuorum brachio, diſtinxit in partes. Ferebatur hoſtis uterque per colles & valles; & ſemper tanto in certamine, gladius Hungaricus, Turcorum frameæ ſuperferebatur. Sed quid profuit, per Dominum Wayvodam, Simoni de Kamonya deſignata cuſtodia? qui mox in primitiis belli, prodentibus illum Domini ſui armorum inſigniis, loco ejuſdem Domini ſui, ipſa cuſtodia & fidelibus armis ſuis non obſtantibus, Turcis, Wayvodæ eorum præcepta, etiam cum interitu perſonarum, fideliter exequentibus, interfectus eſt: ea propter convenit exercituum ducibus, ut ſuam parte ab adverſa abſcondant agnitionem. Nam ſæpius contingit, ut cadente duce, ducti omnes cadant. Fervente igitur atrociſſimo bello, & Turcis, magis in ſui defenſionem, quam in vincendum hoſtem laborantibus: omnes captivi, quos ad villam Sancti Emerici, illis obtenta victoria dederat, liberari, & mori potius, quam illorum captivitate torqueri, parati, magna vi, in ſui defenſionem laborabant, hoſtes crudeliter perimentes. Dum igitur Wayvoda Mezethbeg, tantam ſuæ partis conſpexit cædem; cunctis ſuæ partis agminibus fuga laborantibus, & ipſe fugam iniit: nec tamen hæc fuga ſalutem ipſi præſtitit. Nam fugiens, dum evadere conatur, inter alios fugientes, quos ipſi Hungari inſequentes perimebant, ipſe & filius ejus, interfecti ſunt; captamque prædam, cum proprii capitis damno, innumerabilique ſuæ gentis ſtrage, refudit. Dominus ergo Joannes Wayvoda, omnibus captivis liberatis, prædaque ab hoſte erepta, hoſtem magnam convertens in prædam, paucis admodum Turcis, fugæ præſidio ſalvatis: felix, &

vi-

Digitized by Google

victor, Alpium usque ad juga illos persecutus est; ac errabundum captivando hostem, pluribus diebus, campum tenuit cadaveribus refertum. Cujus victoriæ ingentis gloriæ fama, hanc regno attulit utilitatem, ut Transalpinarum partium & Moldaviæ Wayvodæ, præteritis qui temporibus, a regno, Regibusque Hungariæ discissi, sacræ coronæ rebellantes, Cæsari Turcorum prædicto, omnem vim suam dedicaverant; Domini Joannes Wayvodæ, aut consilio inducti, aut metu concussi, ipsorum simul cum Dominiis, in pristinam redierint fidelitatem, obsequia consueta, Regi Uladislao exhibere, jurando promittentes.

CAPUT XXXVIII.

De Bello Domini Joannis Wayvodæ, ad locum, qui Waskapu dicitur, commisso.

Præter hæc, tam glorioſa, per ipsum Dominum Joannem Wayvodam, commissa certamina: ubicunque, Turcorum quævis turma particularis, consuetam regni in deprædationem, quovis occulto tramite, se ingerebat; ubique fors illos sinistra comitabatur. Nam semper, milites ipsius Domini Joannis Wayvodæ, regni ad custodiam deputati, illos profligabant. Omnes ergo illorum semitæ, ad invadendum Hungariæ agrum, ab eisdem ademtæ erant; nec illis, regni ejusdem intra oras, micante solis jubare, frameas eorum fulgurare, fas erat. Cum igitur Cæsar Turcorum Amrates, toties in suis actam stragem, tantamque suæ gentis mortalitatem, ac terras Moldaviæ & Transalpinam, illorumque Dominos, a se discessisse, cogitabundus intra se sæpius revolvit: animo admodum perturbatus, statuit gravem de his, qui illum offenderant, exigere ultionem. Quapropter octoginta suæ gentis millia, ex delecto sui principatus milite, virtute bellandi peroptimo, coadunavit; ac Bassam, hominem in gerendarum sui regni rerum a se secundum, illis in ducem præfecit: præcepitque illi, ut quam primum Transalpinas terras invaderet; & illas propterea, quod Wayvoda eorundem ab ipso defecerat, quam primum depopularetur. Tandem inde, in regni Hungariæ Transilvanas partes, copias traduceret: in eisdemque, de injuriis, per Dominum Joannem Wayvodam sibi illatis, pœnas, in igne & gladio, durissimas, quas posset, exigeret, & quam amarissime ulciscereturr. Hæc Cæsaris intentio, non solum plebejæ conditionis illarum partium populum, tremulare fecit; verum etiam militaris officii homines, durissimis co-

Digitized by Google

gitationibus involuit. Inter hæc Baſſa, omni ſibi commiſſa cum gente, ſecus caſtrum *Kyſnycapol*, Danubium nautarum officio trajiciens, in magno ſuorum agminum fremitu, cunctum tranſalpinum agrum pervagatus eſt; ac omne, quod ipſum per fugæ remedium declinare nequivit, aut in prædam, aut in cadaver redegit: poſt hæc, Alpes Tranſcendere, injunctamque ſibi per ſuum Cæſarem ſervitutem, exequi aggreſſus eſt. Dominus vero Joannes Wayvoda, quam ſuæ defenſioni commiſſæ plebis depopulationem videre, mori potius paratus; præcedentibus animatus victoriis, armorum præſidiis, & militari manu adunatis, invadere potius hoſtem, quam invadi ab illo præoptans, viribus & numero impar, illarum partium uſque ad extremum perſecutus eſt illum. Cum autem ad locum, qui *Waskapu* dicitur, extitit ventum; arduum magnumque & cunctis ſeculis memorabile, in multo clangore hinc inde reſonantium tubarum, cum illo bellum commiſit. Undique fit concurſus hoſtium, decertatur viriliter parte ab utraque; Baſſa, in ſuæ gentis fidens multitudine, terga vertere non cogitabat. Dominus vero Joannes Wayvoda, mori aut vincere intentus, omnino fugæ immemor erat. Fervet igitur bellum, ex utraque parte aſperrimum; cædes fit maxima, multi cadunt hoſte ex utroque, ſed multo plures ex Turcis: quapropter Baſſa & Turci, campum deſerere, & ſubitæ ſe committere fugæ ſunt coacti. Inſequebantur illos Hungari, & cunctos, ad quos pervenire poterant, moribunda in cadavera redigebant: ita, ut cunctus tanti certaminis campus, tanta ex cæde, humano equorumve cruore conſperſus, ac crebris cadaveribus refertus, poſtea incaleſcente ſolis fervore, olentem exhalans tabem, auras inficeret peregrinas, & humanum illac aditum fieri negaret. Dominus ſiquidem Joannes, fuſis tot hoſtium millibus, multiſque illorum majoribus captivatis; amplo theſauro, & omni pretioſa exercitus eorum ſupellectili in prædam converſis; vir magnificus, digno laudum præconio, omne per ævum recolendus, bello fortiter ſuſcepto, prudenter adminiſtrato, feliciſſimeque geſto & confecto, memorabilem victoriam reportarit; ſeque exhinc, non ſolum regnicolis, verum etiam nationibus extraneis, ſinceræ dilectionis affectu exhibuerit toto corde amandum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

De Obitu Reginæ Elizabeth.

Hæc, dicti Domini Uladislai Regis ſub regimine, tam felici, tamque proſpero eventu, infra duorum vel citra annorum decurſum, acta fuere. Inter hæc autem, partibus regni in ſuperioribus, non minus intrinſecus rancor graſſabatur: nec earum partium Dominos, regni protectio tantum mutua, quantum offenſa delectabat. Quapropter & curia Romana, tantorum pulſata fremitibus malorum; virum reverendum, Dominum *Julianum Cardinalem*, ad componendos dictarum ſtrepitus guerrarum, ſummi Pontificis miſerat de latere. Hic, dum pro pace laborat, Regis Uladislai, & Reginæ Elizabeth cordibus, non parum ad concordiam inclinatis; pace ipſa nondum compoſita, Regina diem obiit: mors cujus, plures ex baronibus illam ſequentibus, Regis Uladislai reſtituit in ſinum.

CAPUT XL.

De exacta a Turcis injuriarum Talione, per Dominum Wayvodam Joannem, & Bellis ejuſdem felicibus, ſex vicibus geſtis.

His rebus occurrentibus, regimen ipſius Regis Uladislai in dies corroborabatur, & in augmentum tranſibat. Cum igitur Rex ipſe, regalium atriorum altis ſub tectis, caſtro in Budenſi, quietus reſideret; Dominus Joannes Wayvoda, illum ad inferendum Turcis bellum, ad propulſandaſque, per ipſos, crebris vicibus Hungariæ illatas injurias, animavit & induxit. Quare ipſe Rex Uladislaus, tertio ſui regni anno, grandi & ſumtuoſo egregiorum militum conflato exercitu, una cum ipſo Domino Joanne Wayvoda, pluribuſque ſui regni principibus, & Georgio, Regni Raſciæ Dezpoto ſive Rege; is enim ad tunc ſui principatus de dominio ejectus erat; Danubium tranſiens, pervenit in Raſciam. Ibique Regi Uladislao, ſtativa figere caſtra; ac terras Turcorum dominio ſubjectas ad interiores, ſummum ſui exercitus Capitaneum, Dominum Joannem de Hunyad, Wayvodam, mittere placuit. Disjuncta igitur exercitus ſui omni expeditione, binas in partes; partem illam, quæ armorum geſtamine,

Digitized by Google

militarique virtute præstabat, ipsi Domino Wayvodæ assignavit. Ducebat præter hæc ipse Dominus Wayvoda, plurima suorum militum agmina; quorum bello docta manus, victricibus armis, jam pluries hostem verterat in fugam. His itaque Dominus Wayvoda comitatus, regno Rasciano sive Serviæ pertransito, cunctum Bulgariæ regnum, quod annis ab antiquis Cæsar Turcorum definet, usque ad confinia Romaniæ peragravit; omneque vivens, quod sibi & suis occurrebat, ab homine usque ad pecus, aut capiebatur, aut interficiebatur; civitates, castra, & domicilia Turcorum quælibet, expugnabantur, & præcipitem per ruinam evertebantur, flagrantisque ignis impetu consumebantur. Inter quæ, & civitas illa famosissima Thermarum, *Sophia* denominata, populo & divitiis referta, capta & direpta est, ignitasque extitit redacta in favillas. Tot ergo civitatum & oppidorum incendia, altum eructantia fumum; omni Romaniæ, & cunctis Turcorum Cæsaris dominiis, quæ marinis non confidebant in aquis, terrori erant. Occurrebant inter hæc Domino Wayvodæ, multa hostium millia, per Cæsarem Turcorum, illius in contrarium destinata. Quapropter quinque vicibus, cum hoste, semper majori in numero sibi occurrenti, ipse dominus Wayvoda, atrocissima gessit bella; & semper victor evadens, dum jam summa triumphi cum gloria redeundo, rursus Rascianum attigisset agrum, & in illo castra metatus esset, nuntiatum est illi, innumerabilem Turcorum super ipsum venire multitudinem. Cæsar enim Amrates prædictus, tanta sui Dominii depopulatione admodum exacerbatus, omne, quod erga curiam suam in armis optimum erat, totamque regni sui militiæ speciem, magno belli cum apparatu, exigendæ ultionis gratia, convenire mandarat; & hanc sui exercitus expeditionem, *Bassæ Natulienſi*, affini suo, commiserat dirigendam. Hic Dominum Joannem Wayvodam, eadem via, qua ipse Bulgaricis de oris exierat, sequebatur. Et cum aliquos de Hungaris, aut vulneribus confossos, aut infirmitate gravatos, ipsius Domini Wayvodæ, hesternorum in loco castrorum relictos, inveniebat; jubebat illos suum ad Cæsarem vinctos deferre, exprobrando nihilominus illi, *videat*, inquiens, *quam miserabiles, suum intra regnum, ipsum terrivent personæ.* Ad hæc ipse Cæsar ei ita fertur respondisse: *Redeas felix, ut opto; cum autem redieris, quæ sunt illæ personæ, quas ipse fugio, solus mihi certius dices.* Dum vero in tantum deventum est, ut uterque hostis, nocturnæ deditus quieti, illucescente aurora, mutuas tympanorum audiret resonantias; pertimuit ipse Dominus Joannes Wayvoda, ne hostis declinans ab eo, regia irrueret super castra. Mallens igitur impetus illius in se experiri, tantis belli ex laboribus fessо milite, ultro se illi obviam dedit. Cum autem ingentem paganorum multitudinem

Digitized by Google

dinem, ex adverſo ſibi opponi vidit, pavore quodam concuſſus eſt, omneſque exercitus ejus milites, timore non modico trepidabant. Non ergo ipſe Dominus Wayvoda terga vertit; ſed timore percuſſas ſui militis acies, ſeriatim hoſti exhibens, animabat illos, dicens: *Conſtantes eſtote, & prius vitam, quam conſuetum perdamus nomen victoriæ. Quid trepidatis hoſtem multitudine tumeſcentem? nonne jam ſæpius animum illius tentaſtis: & qui toties fugit, Deo nobis propitio, & nunc fugari poteſt. Si autem cuipiam, ex vobis mors crudeſcit, non curet. Nam ſi mecum, aut cum ſociis pranſus eſt, cum Chriſto cœnabit.* Et his dictis, majus agmen, quod ſuæ deputaverat ductioni, movens, irruit ſuper hoſtem. Quo viſo, cetera agmina, ducem eorum imitata ſunt. Quare bellum per utramque partem, in multo vincendi deſiderio, committitur: non tamen æqua ſorte pugnatum eſt. Nam ipſe Baſſa, & omnis ipſi commiſſa Turcorum multitudo, mox in primo impetu congreſſus, terga verterunt, & præcipiti ſe commiſerunt fugæ. Hungari vero hoc viſo, multa cum ſeveritate perſequebantur illos: & quem celer equi ſui curſus, ab inſtanti non eripiebat morte; cruentum per examen, vita excedebat. Plurima igitur ibidem millia paganorum cecidere. Nam Hungaris, captivare illos faſtidio erat; quapropter omnes, quos fugientes prævenire poterant, multis confoſſos vulneribus, interficiebant. Duravit hæc perſecutio, a veſpertina hora incipiens, mediam uſque ad noctem. Baſſa enim ipſe, certamen, ea diei in parte, propterea committere præelegerat; ut ſi bello ſuperaretur, ſaltem nocturnæ obſcuritatis per remedium, ab hoſte eriperetur. Sed hæc adinuentio, profuit ei minime. Nam lunari ſidere pleno, noctem eandem ſuis radiis illuſtrante, Baſſa ipſe captus, ac in multa tubarum voce, noctis circa medium, in caſtra Hungarica, ad tentorium Domini Wayvodæ Joannis, deductus eſt. Sicque ipſe Dominus Wayvoda, ſex bellis præcipuis, una & eadem via, felici exitu geſtis; quinti menſis, poſtquam de Hungaria exierant, revolutione tranſacta, exercitum, ingenti hominum rerumve præda onuſtum, regia ad caſtra, incolumem reduxit; in ſignumque victoriæ, multa hoſtis vexilla ſive banderia, regi obtulit. Hæc poſtmodum, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ, regni Hungariæ patronæ, oblata; in Eccleſia ejuſdem, civitate in Budenſi conſtructa, futura pro memoria, proque ejuſdem Virginis glorioſæ laude, noſtrum uſque ad ævum dependentia, tantis victoriis, ipſi Domino Wayvodæ cælitus datis, fidem perhibebant. Et niſi mollem illorum pannum, pulvis vetuſtaſve conſumſiſſet; ſuſpenſa dependerent ibidem uſque in hunc diem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLI.

De Treugis inter Regem Uladislaum & Turcorum Cæsarem firmatis, & de Restitutione Regni Rasciæ.

Ex his tot illustribus triumphis, totque præclaris victoriis, id accessit, ut Cæsar ipse Turcorum Amrates, tremefactus, missis caduceatoribus erga Regem & Dominum Wayvodam, pro treugis instanter laborarit. Rex igitur Uladislaus, solennem suorum magnatum consuetudinem, in *civitate Zegedienſi*, celebrari statuit. Ad quam undique multo regni nobili confluente; venerunt & a Cæsare missi Wayvodæ Turcorum duo, ad componendas treugas præscriptas idonei. Conventum est ergo decem annorum de induciis; & ex parte Regis, Bassa Natulienſis dimittitur. Cæsar quoque Turcorum, castrum *Zenderew*, ceterasque cunctas Rasciani regni munitiones, quot & quas ante hæc, Georgio Dezpoto demerat, eidem restituit. Et hæ quidem induciæ, juramentis firmatæ extitere. Dominus enim Joannes Wayvoda, pro Rege, & pro se, proque omni Hungaricæ plebis parte; dicti vero Turcorum Wayvodæ, pro Cæsare eorum, ac cuncta domini ejusdem gente, tam dictarum decennalium treugarum, quam aliarum rerum tunc firmatarum pro observatione, realia deposuerunt juramenta. Quæ utinam nunquam depositа fuissent. Nam postea, treugis eisdem, per Regem & Dominum Wayvodam, inducente præfato Domino Juliano Cardinali, ruptis; velut quondam Pompejo, qui omnium hominum victoriosissimus evaserat, postquam equos in porticu templi Hierosolymitani stabulavit, gloria victoriæ demta est: sic & bellicæ res ipsius Uladislai, & Domini Wayvodæ, in antea aliam commutatæ sunt in sortem. Valuit tamen harum compositio induciarum, Dezpoto. Cum enim Rasciani regni de dominio ejectus fuisset penitus; his treugis intervenientibus, in dominum, qui prius erat, restitutus est.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLII.

De Bello Domini Uladislai Regis in partibus Romaniæ, circa oppidum Warna, prope ad littora maris commiſſo, & de interitu ejuſdem.

His igitur rebus, hac via in hunc finem perductis; Dominus Julianus Cardinalis, omni ſuo poſſe, apud Regem, apudque Dominum Wayvodam inſtabat: ut rupto induciarum fœdere, Turcorum Cæſarem armis invaderent. Dicebat enim, *quod promiſſa fides, infidelibus ſervari deberet minime*; Deoque injurioſum ajebat, quod ipſi, nobilem illam, eis divinitus datam, Eccleſiaſticæ religionis contra hoſtes victoriam, ingrato tractarent corde, ac Dei voluntatem, quæ in hoſtem exequi deberet, hoſtis commutaſſent in voluntatem. Impulit ergo illos crebris perſuaſionibus, illicitum ad facinus; & *viros, quos mars ferrumve toties vincere nequivit, molli tantum lingua vicit.* Multos enim Chriſtianorum Principes, eiſdem armorum ferre opem, pollicebatur; de Bulgariaque, ac de Albania, & de Thracia, nec non & de illa famoſiſſima imperiali urbe Conſtantinopolitana, magna militum ſubſidia ipſis venire, dicebat. Id ipſumque & Principes, idem ac dictorum regnorum incolæ, promittebant. Paruerunt tandem, tanta ſollicitati fiducia; ac mox multo ſtipendiario milite conclamato, belliciſque caſtris coaptatis, & pluribus regni magnatibus comitati, circa caſtrum *Orſowa*, Danubio tranſnavato, hoſtilem in terram ſe ingeſſerunt. Moventur ergo caſtra dietim, de loco in locum, & omnis hoſtilis ager, qui occurrebat, fumanti incendio, & rerum direptione vaſtabatur; caſtra & munitiones, alia deditione ſubjugabantur, alia potenti incurſu terroque expugnabantur. Quapropter, magis ac magis introrſum progredi viſum fuit; donec regnis Bulgariæ & Romaniæ pertranſitis, marina venerunt ad littora, Romanicique agri oppida *Warna* & *Galata* denominata, ſe ſponte offerentia, in deditionem recepere, & juxta eadem caſtra metati, ſpectabant promiſſa ipſis venire auxilia. Sed proh dolor! ſæpius contigit, *dum proprium domi quis negligit militiam; partibus in peregrinis, male armatur aliena.* Verum paulo ante multis comportatis ſpoliis, multis cædibus illatis, ac magna parte dictorum regnorum, in ignem & prædam redacta, damniſque plurimis illatis; hoſtilem, illæſi poterant declinare congreſſum: præteritæ tamen ipſos hoſte ab eodem reportatæ, animabant victoriæ; idcirco temeritate quadam occupati, quamvis promiſſis fruſtrati ſint auxiliis, incepto propterea a propoſito,

Digitized by Google

ſito, non viſo hoſte, reverti inglorium eſſe judicabant, & ob hoc, ultimum æſtatis menſem, & quaſi omnem autumnum, hoſtili in terra pertractarunt. Tandem menſis Novembris die decima, quæ ſcilicet vigiliæ feſti Beati Martini adſcripta eſt, Cæſar Turcorum Amrates, innumerabilibus paganorum cum agminibus, inſtructis aciebus, ſigniſque collatis pugnaturus venit. E converſo vero, Rex & Dominus Joannes Wayvoda, ceterique Hungariæ Domini, illic qui aderant, educta omni eorum vi de caſtris; aciebus armorum præſidiis reſplendentibus, ſuo ordine diſtributis & ordinatis, & unicuique aciei duce deputato, ſtatuerunt, ut unamquamque aciem, ſui currus, eadem velocitate, tempore congreſſus, ſequi deberent. Hoſti enim erant impares; metuebant ergo, ne ante pugnantes, per hoſtem, ultima acierum in parte, invaderentur. His igitur hac ſerie compoſitis; Deus ab alto, ibidem ipſis futuræ ſignum oſtendit calamitatis. Nam ſtatim poſtquam ſigna ſive vexilla auro micantia elevata, & initium ventorum, tunc tempeſtive ſuſurrantium, flatibus, extenſa ſunt; mox ventis eiſdem, impetuoſum in turbinem concitatis, & invaleſcentibus, vexilla eadem, diverſas ſciſſa & dilaniata in partes, altum per aerem volabant. Tandem in multarum tubarum & tympanorum, parte ab utraque reſonantium, ſonitu, Turcorumque magno clamore exuberante, uterque congreditur hoſtis. Franguntur hinc inde lanceæ, & in earum fractione, multi ſternuntur ab equis; fervet bellum aſperrimum: cædes fit maxima partibus ex ambabus; multo tamen major ex Turcis. Nullum quippe agmen illorum, Hungaricæ militaris virtutis impetum, ſuſtinere poterat; quin ſubitam convertebatur in fugam. Sed quia Turcorum longe lateque diſtantia agmina, Hungaricæ gentis exercitum, in numero ultra quam ſextenario excedebant; parum igitur Hungaris, fugitivas illorum acies proſequi, proficiebat. Nam redeuntibus illis a perſecutione, nova agmina occurrebant, ac in magno fremitu, recenti illos bello vexabant. Conſumta eſt ergo, moribundo in certamine, diei pars maxima, & campus undique multis refertus cadaveribus, utrique hoſti terrori erat. Quapropter, cuncto Turcorum equitatu nutante, & fugæ intento, ſolis caſtris Cæſareis, innumerabilibus peditum agminibus munitis, ſuo in loco, magno cum timore ſtantibus: ubi Rex Uladislaus, hoſtilem equitatum fugere, Amratemque Cæſarem, & caſtra illius, terrore concuti vidit, mox ſui capitis pro cuſtodia deputatum movit agmen, Domino Wayvoda & ceteris, parte ex altera, feroci bello inſiſtentibus, Cæſaris caſtra invadere, & penitus opprimere aggreſſus eſt. Cum igitur denſa peditum venit inter agmina, multitudine illorum, ſimul cuncto ſuo cum agmine, obrutus pariterque & oppreſſus, ac ibi-

dem

Digitized by Google

dem interemtus eſt; & victis jam debellatiſque hoſtibus, neque ſibi quidquam de victoria ſperantibus, inſperatam præbuit victoriam. Quare Hungari, campo ſimul & caſtris eorum hoſti relictis, in fugam converſi ſuere; multis ex eis, qui in perſecutione hoſtium, prius fugatorum, occupati erant, de ceterorum lapſu ignorantibus. Qui tandem, perſecutione ab eadem regreſſi, caſtris ipſorum in prætactis, nocturnæ ſe quieti dedere. Cum autem immediate, diem tam mœſtam, ſubſequens nox adventans, tenebrarum umbra, cunctum operuit orbem; qui nondum per fugam parte ex utraque, eorum reliquerant caſtra, in eiſdem, proxime advenientis diei uſque ad lucem, nocturnas duxerunt excubias. Audiebant innumerabiles cæſorum, nec mori nec vivere valentium, quibus cunctus circumadjacens campus, mortua inter cadavera, refertus erat, gemebundas voces & ululatus; attonitique, lucem diei vix expectabant. Tandem rubeſcentem poſt auroram, quæ noctis tenebras & diei lucem mediat, dum ſol ille clariſſimus, cuncta montium ſupra cacumina evectus, diem reſtituit clariorem; Turci de fuga hoſtis dubii, compoſitis agminibus quibuſdam, Cæſaris de caſtris egreſſi, caſtra Hungarica, an ſint milite referta, lentis paſſibus procedentes, paulatimque eiſdem appropinquantes, diligenti ſcrutinio tentarunt. Cum autem in illis, exiguam quandam hominum vocem immurmurare, nullumque ad arma moveri, aut cauſa belli in campum proſilire, animadverterunt; omnis Cæſareæ expeditionis peditatus, irruit ſuper illa, & eadem qualibet defenſione orbata, e veſtigio conterens, evertit; cunctis viventibus, qui in eiſdem reperti ſunt, aut captis, aut interfectis. Ubi & præfatus Dominus *Julianus Cardinalis*; multique alii religioſæ vitæ viri, maxime de ordine Fratrum Cherienſium, caſtra inter eadem, ultima ſolviſſe debita feruntur. Et præterea Domini *Joannes Waradienſis*, ac *Simon Agrienſis*, Eccleſiarum Epiſcopi; nec non vir magnificus, *Stephanus de Báthor*, in curia regiæ majeſtatis, homo militari virtute perſpicuus, cui & vexillum regium, tanti diſcriminis in tremore, ſua exigente ſtrenuitate, deferre confiſum erat, hujus conflictus in fluctibus, peremti extitere. Hunc igitur in modum, Dominus Rex Uladislaus, Regum optimus, homo concedentis proceritatis, fuſca facie, nigris crinibus, in armis ſtrenuus, in ſuos benevolus, morum honeſtate præclariſſimus, menteque & animo compoſitus; regni ſui quarto, *Domini autem MCCCCXLIV. anno*, vitæ pariter & regimini, mœſtum finem dedit.

Digitized by Google

CAPUT XLIII.

De Captivitate Domini Joannis Wayvodæ.

Quamvis in hujus diſcrimine belli, victoriæ gloria, apud Cæſarem Amratem remanſerit: multo tamen illam ſuorum ſanguine ablutam reportavit. Plura enim vulnera, ſua gens ab Hungaris recepiſſe, quam eadem illis inflixiſſe; & ipſe Cæſar, mortalitatis ſui populi cædem majorem ab eis percepiſſe, relatione fide digna perhibetur. Huic rei ſufficienti teſtimonio eſt, quod fugientes poſtmodum Hungaros, ſua ex gente perſecutus eſt nemo. Habebat enim illorum quiſque, pro ſufficienti propria lambere vulnera. Inter hæc Dominus Wayvoda Joannes, dum redeundo in partes pervenit tranſalpinas, hoſtem ubi non timebat, hoſtis obviavit illi. Nam *Drakúl* partium earundem Wayvoda, de cujus conductione ſperabat, violentas in eum manus injecit: & nedum mœſtum conſolaretur hominem; verum captivitatis illum ærumna affecit. Tandem cum ipſe Drakul, Dominum Wayvodam in eundem, cauſam captivitatis nullam ſe habere præmeditatus eſt: paucos poſt dies, multis eum muneribus, ut ipſe ſperabat, placatum, regni Hungariæ tranſilvanas traduci fecit in partes.

CAPUT XLIV.

De Electione Domini Joannis Wayvodæ in gubernatorem, & de Talione per eundem a Drakul Wayvoda exacta.

Poſt hanc tandem belli tempeſtatem, poſtque Regis Uladislai lugubrem interitum; ne quis in regno in alterius offenſam moveretur, per dominos prælatos & barones regni interdictum eſt: & nihilominus, ut adveniente feſto Pentecoſtes, in campo *Rakos*, conventio fieret omnium regnicolarum generalis, communi voto extitit ſtatutum. Volvebatur *MCCCCXLV. Domini annus*, & feſtum Pentecoſtes prædictum inſtabat; ipſaque conventione multorum adventu nobilium inundata, ac latas dicti campi Rákos per planities undique diffuſa: omnes qui aderant, voto unanimi, de regni commoditate, deque eo, quem interim, donec Rex Ladislaus, filius Regis Alberti, puellus

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ ætatis quintum agens annum, mentem ad conſilia, manumqne ad arma extendere valeret, ejuſdem regni in protectorem eligerent, multa cum diſcretione tractabant. Pendebat totius communitatis ante oculos, exactarum per ipſum Dominum Joannem Wayvodam, clara memoria rerum: & ideo, multis hanc dignitatem in ſe deſcendere ſperantibus; hanc eandem, ſolus ipſe Dominus Wayvoda tulit. Electus eſt igitur, omnium Regni & Regis negotia tangentium rerum, in Gubernatorem. Quapropter cuncta Hungarici regni plebs, tali fulta protectore, magnam mox diſſoluta in exultationem, alta voce Deo laudes reddebat, campanarumque & tubarum ſonus, vicinum per aerem ferebatur: peractamque tantæ electionis poſt gloriam, ſolis his, qui ſe hoc honore dignos eſſe credebant; eodem fruſtratis, & corde triſti, vultu tamen, ſimulata ſub imagine, læto incedentibus; quiſque regnicolarum gaudens, propria reverſus eſt ad habitacula. Placuit tandem poſt hæc Domino Gubernatori, a *Drakul Wayvoda* tranſalpino, ſuæ captivitatis exigere talionem: nondum enim, ingrata per ipſum ei exhibita hoſpitalitas, ſuo de corde diſceſſerat. Mota igitur armata gentis contra eundem copia non modica, ac Alpibus tranſcenſis; illius ſe ingeſſit in dominium, univerſoque ejus principatus agro perdomito, eum captivavit, & ſimul cum filio ejus, in ordine genituræ majori, decollari; quendam vero alterum, partium earundem Wayvodam, puta filium quondam Dan Wayvodæ, lumine privari fecit. Tali igitur, a Drakul Wayvoda, ſuæ captivitatis pœna exacta; terra in eadem, alium conſtituens Wayvodam, compos ſui voti, reverſus eſt in Hungariam.

CAPUT XLV.

De Repetitione coronæ & Vindicta propterea exacta.

Inter hæc Domini Hungariæ, pertriſte ferebant, quod ſacrum diadema, quo Reges Hungariæ coronari ſolent, puerulumque Regem, qui jure naturæ illis dominari debebat, *Rex Romanorum Fredericus*, detinebat. Timebant enim, ne puer, aliena enutritus in terra, a moribus & labio Hungarorum alter fieret. Conventum eſt igitur, ut repeteretur, aut iretur in ultionem. Et dum Rex Romanorum petitis non flectitur, ingentibus damnis pulſatur. Nam Dominus Gubernator, ſecundo ſui officii anno, pluribus armatorum agminibus compoſitis, omnem *Carinthiæ* & *Carneolæ* agrum, & magnam partem *Styriæ*, crudeli

Digitized by Google

cum ſeveritate pervagatus eſt; res in prædam, homines in captivitatem, civitateſque, ac oppida, & villas, ardentes in flammas redigendo. Cum tandem ipſum Romanorum Regem, ſuorum Regnorum depopulatione, movere vidit minime; multarum rerum & captivorum congerie onuſtus, felix rediit.

CAPUT XLVI.

De Bello Domini Gubernatoris in campo Rigomezew commiſſo.

Poſt hæc Dominus *Joannes de Hunyad*, *Gubernator*, omnes regni res undecunque emergentes, tanquam impoſitum ſuis humeris onus, peroptima diſcretione gubernabat, regnumque hoſtili tuebatur ab incurſu: nec annis in eiſdem, Turcis, Hungarici agri in offenſam, ipſorum extendere frameam, facultas occurrebat. Tandem, quarto ſui gubernaminis anno, ipſe Dominus Gubernator, in virtute bellandi ſemper magna tentare præſumens, Turcorum Cæſarem, nova armorum expeditione aggredi cogitavit. Conflavit igitur magnam militum manum, & omne, quod in Hungaria in armis potens erat, unam redegit in expeditionem; ac caſtris bellicis, machinarum, pixidum, ac aliorum tormentorum hoſtem ferientium ingeniis, munitis & refertis, primum autumni circa menſem, ſupra *caſtrum Zewerini*. Danubium tranſiit, & regnum Raſciæ, eo, quod Dominus illius, expeditionem ad eandem vocatus, non acceſſerat, ſevero incurſu pertranſiens, hoſtiles ſe geſſit in terras, illaſque in igne & ferro domitabat; & non tantum ut prædam acturus, ſed ut regnum occupaturus, tranſibat. Comitabantur Dominum Gubernatorem, viri in regno potentes, ſanguineque & vicorum poſſeſſione præclari, Domini *Emericus de Pelſevcz*, Wayvoda tranſſilvanus, *Ladislaus*, frater ejuſdem *Emericus* filius Wayvodæ *de Marczali*, janitorum regalium magiſter, *Raywoldus de Rozgon*, *Thomas de Zeech*, *Franko de Thalowcs*, regnorum Dalmatiæ & Croatiæ Banus, *Joannes Zekel*, Domini Gubernatoris conſanguineus, *Benedictus de Loſoncz*, *Stephanus* filius Bani *de Alſolindwa*, & alii quam plures, virtute militari perſpicui, audaceſque in bello, multis armorum præſidiis inſignes. Nec minus Cæſar Turcorum Amrates, qui tantam hoſtilitatis manum contra ſe moveri audiebat, ad protegendum ſe erat ſolicitus. Omnem enim ſui principatus manum, quæ ad arma extendi poſſe videbatur, commovit; armavitque cunctum ſuæ gentis militem, & ad bellum inſtruxit: ac movens ingentia ſui populi agmina, advenienti hoſti, contrarius

ob-

Digitized by Google

obviam ivit. Instabant mensis octobris medii dies, cum Hungarorum castra, Rasciani agri transvecta per oras, Bulgariæ Cæsari Turcorum subjectas terras attigerant; & in expectando hoste, in *campo Merulæ*, quod Hungarico idiomate *Rigomezeye* vocatur, fixa manebant. Ventum est tandem ad feriam quintam, festa quæ Sanctorum Galli Confessoris & Lucæ Evangelistæ mediabat: cum Cæsar ipse Turcorum veniens, a castris Domini Gubernatoris, suum non remote posuit hospitium. Levis ergo armaturæ utriusque partis milites, quos effrena ducebat juventus, quibusve manus conserere animi erat, hinc inde campo dediti, concursu mutuo, non sine mortalitate separabantur. Cum autem illa, cunctum per ævum memorabilis, festivitatis Sancti Lucæ Evangelistæ dies illuxit; solque, infra meridianas cæli per atria delatus venit ad horas: uterque hostis, omnem armorum virtutem, cunctumque suæ expeditionis militem, campi prædicti effundit per planities; nec erat ullus parte in utraque, quem formido mortis, tanti discriminis in sorte, tanta hostium visa multitudine, non occupasset. Ordinatæ sunt per Dominum Gubernatorem, omni sua de gente, quam ducebat, acies octo & triginta, signaque sive vexilla, illarum in medio, claro depicta auro ferebantur; & unaquæque acies, prima in fronte, radiantibus munita armis stabat, ac duces illarum, easdem circumquaque gyrantes, corda militum, monitis & persuasionibus, ad bellum acuebant. E converso vero Cæsar Turcorum, omne gentis suæ robur, ingentia in agmina componens; collatis signis, velut murus quidam continuus, omnem campi partem, aspectui Hungarorum oppositam occupans, lentis passibus propiabat. Cum autem ad unius sagittæ jactum ventum est; cuncta mox utriusque partis tympana percussa, terribilem ediderunt sonum, tubarumque hinc inde resonantium ad clangorem, cunctæ utriusque partis acies, in multarum flexione lancearum, omni virtutis eorum cum impetu concurrentes, universo campo, tanto ex motu, gemitum quendam edente, mutuam irruerunt in cædem. Ingens ergo exoritur lancearum fragor; multi hinc inde præcipites bellantium inter pedes saucii dejiciuntur ab equis, horrendoque clamore morientium, altum intonabant aera; densatur ambarum partium populus, nec pars sciebat cedere parti, magnaque ex densitate, multorum manus, hostem sibi propinquum, magnam per horam ferire nequibat. Fortiori tandem impetu, Hungaris in hostem utentibus, Turci, plurimas dissoluti in turmas, ab Hungaris, longam campi per partem, cæde continua propellebantur: & rursus Turci, novis agminibus ex castris Cæsareis adjuti, Hungaros, eorum usque ad castra, in manu occisionis gravabant. Inter hæc & sagittarum densissimi imbres, Turcorum per peditatum excussi, altum

ob-

Digitized by Google

obumbrantes cœli lumen, Hungaros atrociter feriebant. Et quamvis Hungaris, hoſtem, pluſquam ducentis armatorum millibus tumentem, viginti quatuor vel paulo plus millium pugnatorum in brachio, ſuſtinere impar & oneroſum fuerit: non ea propter tanta hoſtium multitudo, tantus armorum ſtrepitus, tantaque vulnerum infixio, ipſa die, eiſdem fugam perſuadere potuit; ſed ſolis uſque ad occaſum, invicti animo, quanto durius cædebantur, tanto magis cedere neſciebant.

Magna igitur virtute, majore tamen pertinacia, advenientis proxime noctis uſque ad tenebras pugnantes; majorem in hoſte faciebant ſtragem, quam ab illo ſuſcipiebant. Conſumtus eſt dies totus, magno belli in fervore: & innumerabilibus ex utraque parte cæſis, campoque certaminis toto, recentibus repleto cadaveribus; nox ipſa ſuperveniens, furorem ſimul & arma partis utriuſque, ſuis diremit umbris. Ubi etſi eadem nocte, parumper acies belli a labore reſederint; totam tamen per noctem, machinis & ingeniis extitit decertatum. Poſtquam autem immediate advenientis ſabbathi dies, orientis ſolis per radios illuſtrata eſt; uterque hoſtis, heſterno furore tumidus, ordinatis aciebus, rurſus proſiliit in campum. Concurritur de novo, & duriſſimum ex utraque parte bellum committitur: in magno quoque tumultu, ſextam ejuſdem diei uſque ad horam, decertatur. Inter hæc Cæſar Turcorum, dum milite Hungarico, admodum pauco feſſoque, ſua agmina turbari vidit, omnem ſuæ gentis multitudinem, equitatum ſcilicet & peditatum, movit; & in magna rabie; ſuper acies, ſuperque agmina Hungarorum irruit, & non minus velut multarum quædam inundatio aquarum obruit, eos ac caſtra eorum evertens, inſcios fugere, ad fugam coegit. Fugiebat quiſque, nec in fugiendo quiſpiam ordo ſervabatur. Perſecuti ſunt eos Turci, magna cum atrocitate; donec ſol, occiduis demerſus eſt in oris. Sed poſt hæc, non minus acerba Hungaris ſucceſſit perſecutio. Nam dietenus fugientibus Raſciani, quos in introitu offenderant, occurrentes, eoſdemque itinere feſſos, omnibuſque armorum præſidiis nudatos, velut a lupis territas oves, omni abſque miſeratione ſpoliabant, trucidabant, & perimebant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XLVII.

De Magnatibus, qui in hoc bello cecidere; & de captivitate Domini Gubernatoris per Despotum facta, & de exactis propterea pœnis.

Cecidérunt bello in hoc, Domini ſupradicti, *Emericus de Pelſewcz*, *Ladislaus* frater ejuſdem, *Emericus* filius Wayvodæ *de Marczali*, *Thomas de Zeech*, *Franco Banus*, *Joannes Zekel*, *Benedictus de Loſoncz*, & *Stephanus* filius Bani *de Alſolindwa*; & quaſi cuncta regni Hungariæ militia extincta eſt. Dominus autem Gubernator, cum in celeri curſu ſui equi, tanta belli ex confuſione, procul a campo certaminis ſe elongaſſet; omnique milite deſertus, tutricibus depoſitis armis, errabundus per devia ferretur: duorum Turcorum incidiſſe dicitur in manus. Cum vero agnitio ejuſdem illis nota eſſet minime: abjectis in terram frameis, manutenus inſilierunt in eum, ipſumque ſuis ſpoliarunt veſtimentis. Pendebat aurea crux, domini Gubernatoris in collo; hanc alter Turcorum eorundem cum rapere voluiſſet, mox diſſenſio inter illos orta eſt, mutuumque irruerunt in luctamen. Inter hæc Dominus Gubernator, ipſis luctantibus, una ipſarum framearum arrepta, irruit in eos, in virtuteque ſui brachii, alterum eorum tam graviter percuſſit, ut ille præceps in terram ruens, extinctus fuerit. Cumque & alterum ferire vellet, ille fuga elapſus, ejus evaſit manus. Poſt hæc Dominus Gubernator, amplius procedens, quendam Raſcianum obvium ſibi habuit. Hic licet rapinæ gratia illuſtraverit ſilvas: dum tamen hominem forma intuituque præſtantem, ſuam in præſentiam emerſiſſe, conſpexit, ejuſdem ab offenſa omnino abſtinuit; vel quia dominus Gubernator, arreptam frameam nondum abjecerat, idem Raſcianus, ipſum invadere auſus ſuit minime. Cogitabundi ergo ſtetere ambo. Tandem dominus Gubernator, eundem Raſcianum, ut ſibi Nandoralbenſe uſque ad caſtrum conductum præberet, rogatum effecit; nihilominus illi condignam promittens remunerationem. Ille mox id ſe facturum obtulit: non tamen locum ad optatum, ut promiſerat; ſed ad caſtrum Zenderew ipſum deduxit. Poſtquam autem Georgio Despoto, Dominum Gubernatorem ſui caſtri intra portas eſſe, innotuit: immemor, quod virtus & opera hominis hujus, ipſum, paucos tunc præteritos ante annos, expulſionis calamitate affectum, ſuo in regno novum effecerat Dominum; ingratitudinis ductus vitio, ingratum ſe illi exhibuit hoſpitem. Detineri enim illum juſſit, & nec eum Hungariæ dominis, pro illius liberatione ſollicite laborantibus,

Digitized by Google

reſtituit: donec idem dominus Gubernator, filium ſuum, nomine Ladislaum, natu majorem, erga manus illius, ſua in perſona, pro obſide locavit. Quamvis autem ipſe dominus Gubernator, bello in hoc, ſiniſtra comitatus fuerit fortuna: tamen, quia potius armorum, quam animorum defectu, illum apud hoſtem victoriam reliquiſſe, conſtabat; grato ergo animo, Hungariæ proceres cuncti, illius ſpectabant adventum. Huic rei documento eſt; quod eodem domino Gubernatore, erga feſta Domini natalitia, reveniente, magnus nobilium cœtus, in civitate Segedienſi congregatus, illius ſpectabat adventum, appropinquantique illi, hilari in vultu ſe obvium dedit. Poſt hæc dominus Gubernator, ingratitudinem Despoti non minus, quam ſuæ captivitatis calamitatem ponderans: reſumtis armis & milite, Despoto ab eodem, ejus delicti condignas exigere pœnas, proceſſit; invectuſque forti in manu ejus dominii in agrum, magnas in illo edidit vaſtitates, omnibuſque caſtris & dominiis illius, quæ regni Hungariæ ambitus cingebat, illum ſpoliavit. Et amplius illius laboraſſet in deſtructione; niſi Despotus, filium ejus ipſi incolumem reſtituiſſet; Hungariæque primores, tumentem ejuſdem domini Gubernatoris in vindictam animum, per Despotum petiti, non compeſcuiſſent.

CAPUT XLVIII.

De Bellis Domini Gubernatoris intra limites regni geſtis.

Multa & varia poſt hæc, Dominus Gubernator, Bohemis, in regni oppreſſione agentibus, ejuſdem regni intra limites, cum eiſdem Bohemis geſſit bella; & multas eorundem Bohemorum munitiones, Hungarici agri in deſolationem, variis erecta in locis, alias deditione, alias vi cepit: omnemque ſuarum expeditionum directionem, contra eoſdem Bohemos, fine felici conſummaſſet; niſi opera proditionis, in ipſum dominum Gubernatorem, per primores Hungariæ conflata, eiſdem Bohemis auxilium præſtitiſſet. Quanto enim res ipſius domini Gubernatoris, via proſperiori dirigebatur; tanto magis plurimi Dominorum, in illum, occulta tumebant invidia. Actum eſt enim *Dominicæ Incarnationis MCCCCLI. anno* cum idem Dominus Gubernator, multo cum ſtipendiario, tum populari milite armatus, munitionem, per præfatum *Joannem Izkra*, ad murum clauſtri Sancti Regis Stephani, de prope ad oppidum *Loſoncz*, erectam, obſidione cinxit; dietenuſque, forti expugnatione illam expu-

Digitized by Google

pugnando, illius cuſtodes, ſiti & armis in tantum gravaſſet, quod jam de illius obtentione, finis optatus ſperaretur: præfatus tandem Izkra, civitatum regalium, regni partibus in ſuperioribus habitarum, favore ſuperbus, tum vero proditorum motus perſuaſione, proprio, & auxiliariorum non modico munitus armatorum præſidio, ſuis, qui munitione in prætacta circumventi erant, allaturus opem, venit; ſecuſque caſtra ipſius domini Gubernatoris, ordinatis aciebus, ſtetit. Sed quid nequitioſa rebus in bellicis valeat proditio, tunc patuit, cum nondum manus pugnatorum confertæ erant, & jam agmina proditorum, Domini Gubernatoris de caſtris, præcipitem proruperant in fugam. Quare & ipſe Dominus Gubernator, campum & caſtra deſerere eſt coactus. Hanc quidem proditionem, vir magnificus, *Stephanus de Pelſewcz*, munitione ſub prætacta, fortuito ictu bombardæ ad mortem vulneratus, antequam moreretur, proprio ore extitit confeſſus. Interfectus eſt ibi præterea, nobilibus regni de potioribus, *Joannes Kompolthy de Nava*: Epiſcopus autem Agrienſis, *Ladislaus de Hederwara*, cum eſſet claudus, evadereque nequiret; ibidem extitit captivatus. Sicque Joannes Izkra, campo & caſtris Hungarorum, pariterque & victoria potitus; tandem caſtrum *Gede*, filiorum *Lorandi*, dura tentavit oppugnatione: ſed caſtellanis ejuſdem viriliter reſiſtentibus, voto fruſtratus, Agrienſe venit ſub caſtrum. Cumque ibidem, dictus Ladislaus Epiſcopus, idem caſtrum, propriæ perſonæ pro redemtione, manibus ipſius Joannis Izkra aſſignare voluiſſet: Capitanei ejuſdem caſtri, cum eſſent regnicolæ illarum partium, calamitatem, quæ exinde ſequi potuiſſet, unius hominis præferentes miſeriæ, ipſum Joannem Izkra, ſuo a propoſito vacuum abire voluerunt. Poſt hæc dominus Gubernator, novis aſſumtis armis, gentibusque ſuis, quæ partes tutabantur inferiores; quorum militarem virtutem, tumque fidelitatis conſtantiam, priorum bellorum in tentamine expertus erat; adductis: munitiones ipſius Joannis Izkra: ad *Clauſtrum de Saag*, ſecus fluvium *Ipol*, & in montem *Galchur*, oppidoque *Roſnawa* & *Scepſi*, novo erectas ædificio, invadens; gravi obſidione vexavit, ac ad deditionem coegit. Munitionem vero ejuſdem Joannis Izkra, in *Derenchen* habitam, quam Bohemus quidam, *Walgatha* vocitatus, illius ſub nomine detinebat, obſedit: & cum eſſet in valle, novo in eandem genere oppugnationis excogitato, vallem ipſam, deſubtus ejuſdem munitionis, alto aggere recludi faciens; fluvium, per eandem vallem decurrentem, altas retorſit in aquas. Cumque illarum diluvium, mœnia munitionis ejuſdem tranſcenderet, cunctiſque in illa exiſtentibus, ſuffocationis mortem minaretur: hi, qui in illa erant, Bohemi, perſonas in captivitatem, & munitionem ipſam, ad manus ipſius domi-

Digitized by Google

ni Gubernatoris dedere. Tandem *civitatem Zolienſem*, tantæ perniciei nidum & altricem adiens; eandem vehementi exuſſit igne: caſtrique Zolienſis in contrarium, magnam erigere faciens munitionem, armis militeque refertam relinquens, ipſum Joannem Izkra, armorum ſtrepitu interim anguſtiavit, eundemque ad pacis condimentum impulit.

CAPUT XLIX.

De Bohemis regnum Hungariæ devaſtantibus, qui fratres nominati fuere.

Tunc præter Joannem Izkram, plurimæ in regno erant extraneæ nationes; quæ omnem vim ipſarum, regni ejuſdem dedicaverant in moleſtiam. *Petrus Komorowzki*, comitatum Liptovienſem univerſum, ſuæ ſubegerat ditioni; *Pancratius* vero, homo, ut ſupra dictum eſt, in Hungaria natus, toto *comitatui de Thwrocz* dominabatur, caſtraque *Owár*, *Berench*, & *Ztrechen* uſurpans, in vaſtando regno, non minus ceteris atrox erat. Hi mutuis ſe perſequebantur odiis; comitatuſque prædictos, & omne quod ipſis vicinum erat, alternatim gravibus ſpoliis excolebant. Erat & aliud genus latronum, partes regni ſuperiores vaſtantium. Hi ex collectivo quodam & gregario milite, armorum præſidiis graſſati, plurima ſibi domicilia, alia proditione & armis acquiſierant, alia novo ædificationis opere adaptaverant; *fraternum* quoque nomen, clauſtralium ad inſtar monachorum, ſibi uſurpantes, ſe, ipſorum lingua, *Bratrik* vocitabant. Hi, conſtitutis inter ſe Capitaneis, omnes regni ipſius contiguas partes, majori ceteris, deprædationum cædiumque ac flammarum gravamine, quaſſabant. Tanta jam in regno illis creverat audacia, ut palam connubia, tanquam perpetuo in regno manſuri, contraherent. Nam & dominus Gubernator, poſtquam ſuperiorum regni partium magnates, proditionis inſidias ſibi tendere; & illos magis erga eum invidia, quam recto corde duci, animadvertit: in earundem partium tutamen, poſtmodum tepidior fuit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT L.

De Bello Domini Gubernatoris in terra Raſciæ, juxta caſtrum Cruſowcz commiſſo.

EAdem tempeſtate, Cæſar Turcorum Amrates, Georgium Raſciæ Despotum, ſua in vicinitate, dominio potiri ægre ferens; grave enim in illum, propter emiſſionem domini Gubernatoris, conceperat odium; magnam ſuæ gentis partem ad arma commovit, & illam, cujuſdam Wayvodæ ſui, Friczbeg denominati, hominis bellicoſi ſub ductu, Raſcianas in partes direxit; ac illi, ut caſtrum *Cruſowcz*, ad littus fluvii *Muræ* ſituatum, antiquam per ruinam occupatum repararet, & ex illo Georgio Despoto hoſtis fieret, ſtrictius mandavit. Hac re audita, Despotus contremuit; cogitabunduſque, quid faceret, diu intra ſe revolvit. Suas enim vires, tanto poſſe reſiſtere hoſti, impares ſciebat. Mox de injuria, domino Gubernatori illata, pœnituit. Sed cum nullam ſibi, tanto in diſcrimine, redemtionem, præterquam aut hoſti cedere, aut auxilio uti, animadvertit; ad quem pro auxilio refugeret, ignorabat. Dicebat enim ad ſuos: *ſi domini Gubernatoris erga me non offendiſſem voluntatem, hic eſſet homo, qui me periclitantem, tantorum malorum erueret a procellis.* Cum ergo, cujus ſe commendaret præſidio, præter dominum Gubernatorem, invenit neminem: facie quaſi rubore perfuſa, ad illius divertit auxilium. Dominus vero Gubernator, cui cum Turcis bellare, magis quam jocundas adire choreas, animo erat, mox plurimum ſui exercitus militem conclamari juſſit; coaptatiſque armis, Despoti propria in perſona ivit in ſuccurſum. Sciebant etiam Turci, quod Despotus, ad ſe defendendum, arma paraſſet: ignorabant tamen, quod dominum Gubernatorem, ſuum conduxerat in auxilium; pacato ergo animo, advenientem expectabant hoſtem. Dominus autem Gubernator, ut eo celerius hoſtem adoriri poſſet; cum cunctis ſuorum armatorum, & Raſcianæ gentis agminibus, in tranſeundo totam noctem conſumſit. Exacta eſt igitur ſimul nox & via; dieſque ſolis ad ortum, & dominus Gubernator ad hoſtem, propinquarunt. Inſurrexit inter hæc nebula quædam, quæ utriuſque hoſtis, ne ſe mutuo cernerent, tenebat oculos: tandem, cum nebula eadem, orientis radios per ſolis, ſublevata eſt in altum; mox ferratæ reſplenduerunt acies. Agmina vero Turcorum, cum eaſdem ſibi propinquas eſſe; & inter easdem vexilla domini Gubernatoris, quæ dudum cognoverant, ventila-

Digitized by Google

ri viderunt, terga verterunt, & armis minime confertis, fubitæ fe commiſerunt fugæ. Perſequebatur eos fugientes, cunctum domini Gubernatoris levis armaturæ robur; & quiſque perſequentium, multa pugnandi cum aviditate, illos perimebat. Quare cædes maxima ſecuta eſt de illis, venturam uſque ad noctem; multoque major fuiſſet ſubſecuta, ſi eoſdem, advenientis noctis tenebræ fugientes, non occultaſſent. Ubi & præfatus Friczbeg Wayvoda, multis ſibi commiſſæ gentis cum potioribus, captivitatis calamitate affecti; & domino Gubernatori, magno cum gaudio & ſolennitate, præſentati fuere. Quapropter ipſe dominus Gubernator, victoria potitus; in reditu, civitatem Bidinienſem, totius Bulgariæ locum capitalem, exuri fecit. Tandem, univerſis captivis Despoto aſſignatis, felix, cum triumpho, venit in Hungariam.

CAPUT LI.

De Reductione Regis Ladislai, & de Creatione domini Gubernatoris in perpetuum Comitem.

Inter hæc, cum *Romanorum Rex Fridericus*, Regem *Ladislaum*, ſuis regnicolis, pacato animo ſibi reddi petentibus, dimittere negaret: mox nonnulli, regnorum ejuſdem Regis Ladislai primores, & *comes Ciliæ Ulricus* cum illis, minacibus armis & militibus, ad inferendas injurias promtis, magna in copia coadunatis, *civitatem novam*, & ipſum Regem Romanorum in illa, moleſta circumquaque obſidione cinxerunt. Quapropter ipſe Romanorum Rex, tum metu, tum penuria victualium admodum laborans; Regem Ladislaum, ſuorum regnorum proceribus, reddere eſt coactus. Reductus eſt igitur *puer Princeps*, & *caſtri Wiennenſis* converſabatur in palatiis. Multi ad illum confluebant, tum de ſuis, tum de alienis regnis, nobiles. Cum enim, tam excellentibus, tamque potentibus eſſet natus de parentibus; magnum in hominem illum evaſurum ſperabant. Conventum fuit ergo, ut & dominus Gubernator, regnique domini & Magnates cuncti, ad exhibendos puero Regi condignos honores, fidelitatiſque homagium præſtandum, illuc irent. Nec dilatum extitit; quin omnis dominorum Hungariæ pulchritudo, in Wiennenſem civitatem convoluta eſt. Et ipſa Regis curia, venerando dominorum cœtu fervens; dominis Hungariæ prædictis, cunctos ceterorum ejuſdem Regis Ladislai regnorum inter primores, locum eminentiorem dedit: & Rex ipſe, ſuos pueriles in illorum aſpectione de-

Digitized by Google

depaſcens oculos, tantorum Magnatum lætabatur de favore. Conſumti ſunt ideo. tantæ curialitatis in honore, dies plurimi. Ubi & dominus Gubernaotr onus ſui officii, quod jam octo per annos, felici geſtamine direxerat, ſponte exuit: & *milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo* inſtante *Domini anno*, regnum Hungariæ, ſanguinolentis ſuis ſuorumque laboribus, omni induſtria, ſolicitudine, & bellicis artibus præſervatum, Regi Ladislao reſtituit. Propter quod ipſe Rex Ladislaus, ipſum dominum Gubernatorem, exactarum victoriarum, longas orbis per partes diffuſis, inclytis præconiis, præſtantiumque operum laude dignis meritis, erga ſe commendatum, alto in fano, regali quoque in habitu, & majeſtatis ſuæ in throno ſedens, aſſiſtentibus ſibi quam pluribus ducibus, marchionibus, ac regnorum ſuorum prælatis & baronibus, magna, cum ſolennitate, in *Comitem perpetuum Biztricenſem* ſublimavit; & temporalem gubernationis dignitatem prædictam, quam uſque tunc, ſuis meritis & regni neceſſitate exigente, tenuerat, in perpetuam commutavit hæreditatem. Armorum quoque inſigniis, puta corvo, geſtamine annuli, de colore flavo, in clypeo depicto, quæ ipſe dominus Comes uſque tunc geſtaverat alia clara inſignia, rubeum ſcilicet leonem, coronam unguibus rapere volentem, albo in ſcuto deſcriptum, ſuperaddidit; & majoris excellentiæ & dignitatis pro honore, eundem dominum comitem Biztricenſem, inſigniis eiſdem adornavit. Peractis tandem, magno cum gaudio, cunctis ipſius ſublimationis ceremoniis; idem Rex Ladislaus, eundem dominum Comitem, multis muneribus & donariis, regali largitate honoratum una cum ceteris dominis prælatis & baronibus, paucos poſt dies, remiſit in Hungariam.

CAPUT LII.

De Adventu Fratris Joannis de Capiſtrano in Hungariam.

Domino igitur comite Biztricenſe, & cunctis regni Hungariæ magnatibus, ad propria feliciter redeuntibus: vir religioſus Frater *Joannes de Capiſtrano*, Fratrum Sancti Franciſci, regulari redimitus amictu, vitæ quoque ſanctitate perfulgidus, dominis cum eiſdem, in Hungariam venit. Summus enim Romanæ Eccleſiæ Pontifex, *Nicolaus*, Turcorum rabie, Chriſtianæ religionis in perſecutione, acrius inſiſtente; populo Catholico, tanti periculi in procellis fluctanti, auxiliari, & contra eoſdem Turcos, chriſticolarum adunari ſatagens

Digitized by Google

gens expeditionem, futuræque remiſſionem pœnæ, omnes per provincias, prædicari; & illis quidem rubeam ac deſubtus alba cum ſindone ſubductam parte pectoris in ſiniſtra applicandam, crucis imaginem, diſtribui debere, Apoſtolica Bulla mediante, ſtatuerat. Hujus quoque intentionis ſuæ, idem dominus Apoſtolicus, præfatum fratrem Joannem de Capiſtrano, conſtituerat operarium. Quapropter ipſe Frater Joannes, cum ſacro in dogmate magnæ eſſet auctoritatis; non modicaque ſuorum virtus meritorum, ad cæcos, claudos, & infirmos, ac ſpiritus immundos habentes, humano in conſpectu clareret: multam in Almaniæ & Poloniæ partibus, & in Hungaria multam, maxime popularis conditionis plebem, præfatum contra hoſtem, ad arma excitavit. Paulo quidem hanc ante tempeſtatem, Cæſare Turcorum Amrate ſupradicto vita functo *Mahumetes* filius ejuſdem, illi ſucceſſerat; patre, ceterisque cunctis ejus prædeceſſoribus, in effundendo Chriſtiano ſanguine, inque agrorum direptione, truculentior, & diſciplina rei militaris peritior, copiis ac bellico apparatu opulentior, inque ſuos domeſticos ſeverior. Hic, poſtquam regni potitus eſt gubernamine, *Conſtantinopolitanam urbem*, dum ſibi eſſet vicina, alienamque teneretur per manum; opprobrio habuit, & illam ſævo ſemper intuitus eſt oculo, ac de illius obſidione diu in animo revolvit, aliudque quam faciebat diſſimulans, munitionem quandam, juxta littus maris, ad oſtium Boſphori, urbe ab eadem non magna in diſtantia, mira & incredibili celeritate extruxit. Hæc res, magnam movit in Chriſtianitate turbationem; cum ipſa munitio, non aliud, niſi urbi prætactæ venturam minari videretur ruinam.

CAPUT LIII.

De Adventu Regis Ladislai in Hungariam.

Porro *Rex Ladislaus*, ſuæ ætatis tredecimo, *Dominicæ* autem *Incarnationis MCCCCLIII. anno*, comitis Ulrici, aliorumque multorum ſui principatus nobilium in conductu, ejusdem anni ea in parte, cum carnes piſcibus dominorum menſis cedere parabant, venit in Hungariam; Budenſique civitate intrata, in illa admodum lætus manebat. Eiſdem vero in diebus, dominus Comes Biztricenſis, partes regni inferiores luſtrabat. Sciebat enim, plurimos Dominos de Hungaria, & maxime comitem Ulricum, non recta ad ipſum eſſe voluntate. Metuebat igitur, ne apud Regem, cæcas ipſi inſidias tenderent; in quas,

ſi

Digitized by Google

ſi incautus graderetur, de facili cadere poſſet. Salvi tandem conductus ſub ſecuritate, ea tempeſtate anni prædicti; cum Titanei axis ductor, veris inſtantibus primitiis, piſcium hoſpitio relicto, ad arietis cornua ſuos colligaverat equos, ipſis ſcilicet ſacris quadrageſimalibus diebus, *Dominus Comes Biztricenſis*, ac magnifici potenteſque in regno viri, *Thomas Zekel*, Prior Auranæ, *Wlad*; tranſalpinarum partium *Wayvoda*, *Ladislaus de Kaniſa*, & *Sebaſtianus de Rozgon*, nobileſque Hungariæ multi, radiantibus ſtipati armis, ſplendida in agmina diſtincti, in ſorti brachio, armorumque tutrici in præſidio potius, quam dicti ſalvi conductus confidentes in aſſecuratione, pariter ad Regem venerunt. Amabant hi magnates dominum Comitem, & pro illius vita, vitam ſuam in diſcrimine ponere, non formidabant. Converſatus eſt igitur dominus Comes apud Regem, dies per plures; tandem recedendi licentia obtenta, ad *Themeſwar* deſcendit.

CAPUT LIV.

De Expugnatione urbis Conſtantinopolitanæ per Cæſarem Turcorum facta.

Ejuſdem anni ſub decurſu, quo Rex Ladislaus in Hungariam venerat, primum æſtatis circa menſem, Cæſar Turcorum *Mahumetes*, armis in Græcos converſis, contra inita cum Imperatore illorum fœdera, & contra jusjurandum, omni Græciæ formidoloſum bellum intulit: ac innumeris undique copiis coactis, cunctoque ſui regni bellico apparatu moto, urbem illam famoſiſſimam *Conſtantinopolim*, olim *Byzantium* vocitatam, veterum alumnam Imperatorum, & orbis dominatricem, tumentis animi cum impetu, terreſtri marinaque obſidione aggreſſus eſt; mœſtamque urbem, a Chriſtianis regibus auxilia mendicantem, ab omnibus tamen diſcrimini & everſioni derelictam, armis & inſultibus continuis, adeo vexavit, ut & muliebris ſexus, defenſioni adhærere cogeretur. Sed quid profuit Græcis, tam innumerabiles contra hoſtes, imparem extendere manum? cum Cæſar ipſe, novo expugnationis genere excogitato, cuniculos & foſſas ſubterraneas egerere faciens, illis inſidias tendebat; marique, tum catenis, tum ponte juncto, ac turribus ligneis eo uſque erectis, ut muros urbis, qui altiſſimi erant, excederent, illarumque de ſummitatibus, Turci, omne quod in urbe ad arma movebatur, imbribus ſagittarum denſiſſimis offendebant, adhibito præterea, machinarum ac tormentorum multiplici & in-

Digitized by Google

viſæ magnitudinis genere, muros illius, præcipitem per ruinam, diſſipari faciebat. Mœnibus tandem illius, in magna parte, humotenus proſtratis; Cæſar ipſe, cunctum ſuæ expeditionis robur, ad invadenda urbis ejuſdem interiora, nimio tympanorum & tubarum in ſono, movit, ac poſt quartum & quinquageſimum obſidionis ejuſdem diem, urbem ipſam, ſumma vi & extrema pugna cepit. Ac illius Imperatore, in ipſo hoſtium ingreſſu, multis vulneribus confoſſo pariter & extincto; omne quod in illa pulchrum reperit, divinum pariter & humanum, fœdas Turcorum per manus, direptioni dedit; optimates illius captos & ſibi adductos, ſævus princeps, miſerrime jugulare, ſepulchra ſanctorum evertere, & illorum reliquias, marinis aquis immergere fecit. Quis tantæ urbis caſum, tantopere deflendam Chriſtianæ religionis calamitatem, tot tantaque, ab hoſte rabido, in ſacra atque profana, in viros ac mulieres, per immanitatem ac ſcelus paſſim patrata facinora, pro merito rei, vel verbis exprimere; vel lachrymis proſequi, aut narratione perſtringere valet?

CAPUT LV.

De Obſidione caſtri Nandoralbenſis per Cæſarem Turcorum facta.

Morabatur Rex Ladislaus caſtro in Budenſi, & *annus Domini MCCCCLV.* volvebatur; cum Cæſarem Turcorum Mahumetem, regno Hungariæ invaſionem minari, & quam primum *caſtrum Nandoralbenſe* expugnare velle, auditum eſt. Hæc fama, non ſolum Hungariæ plebem, verum etiam cunctas vicinas regiones, & quaſi omnem Chriſtianitatem, magnas involvit in curas & cogitationes. Conſtantinopolitanæ enim urbis truculenta expugnatio, totius Catholicæ plebis ferebatur ante oculos, cunctiſque terrori non modico erat. Ipſe ſiquidem Cæſar Turcorum, habita in Græcis victoria, quaſi alium hominem indutus, ambitione & ſuperbia altiori tumeſcens, magni quondam Alexandri Macedonum triumphalia ad ipſum rediſſe tempora, arbitrabatur. Fertur enim dixiſſe: *unus Deus dominatur in cælis: competens eſt, ut unus tantum princeps dominetur terræ.* Hi rumores, cum ad Regem Ladislaum delati ſunt, mox juvenis princeps intime expavit; & Comes Ulricus, Almanico qui ducebatur bellicæ virtutis animo, quique ſuis Regem conſiliis dirigebat, non minus turbatus eſt. Non ergo regni de tutela tractarunt, & nec ad obviandum hoſti arma pararunt: ſed velut rumorum ignari, unius noctis ſub tenebris Budenſi de

Digitized by Google

de caſtro exeuntes, in Wiennenſem civitatem, via immorata ſe contulerunt; & Budenſe caſtrum, irrecluſum, plus quam medium per menſem, debita ſine cuſtodia ſtetit, dietenuſque horrenda adventus tanti hoſtis crebreſcente fama, illius in contrarium, ad arma movebatur nemo. Tandem ſubſequentis æſtatis ea parte adveniente, cum ſegetum ſpicæ, virentibus productæ ex ceſpitibus, jam procreſcebant, Phœbuſque, ſuum geminorum per campum moveri faciebat currum: cum videlicet præfatus Cæſar Turcorum, horrendo & multiplici bellico cum apparatu, ac millibus Turcorum, ultra quam quatuor centenis, caſtrum Nandoralbenſe prædictum, terribili obſidione circumquaque adorſus eſt. Innumerabilium ergo cernebantur, altis caſtri de mœnibus, culmina tentoriorum longe lateque circumadjacentes campi per planities, extenſorum: hoſtis vero multitudinem, viſu comprehendere poterat nemo. Multas præterea naves, marinarum navium ad inſtar fabricatas, ipſe Cæſar adduxerat; & his quidem, Danubii & Savi flumina, ſecus idem caſtrum decurrentia, adeo munierat, ut ad ferendam caſtro eidem opem, navali officio uti valeret nemo. Ingenia quidem, ac machinas, & tormenta, tot, & tanta in quantitate, qualis & quanta in nullius caſtri deſtructionem, aliquando comparata fuiſſe, credi poſſunt, juxa caſtrum *Cruſowcz*, mira agilitate conflata; propter ſui enim magnitudinem, longinquis de partibus apportari nequiviſſent; maximis cum laboribus adduxerat. Quæ tandem, ea parte caſtri, qua campum reſpicit, appoſita; alia ex illis, ſolidos caſtri ejuſdem quatiebant muros, alia vero, altum in aerem, lapides magnitudinis modii excutiebant; & hi quidem deorſum, caſtri intra muros, formidoloſo impetu cadentes, omne vivens quod attingebant, ad inſtar fulminis, ſubita morte extinguebant. Tonabant ergo die nocteque crebrius excuſſæ machinæ; ac terribiles illarum tonitus uſque ad civitatem Zegedienſem, & aliis circumquaque, plus quam ad Hungaricalia viginti quatuor milliaria, audiebantur. Nihilominuſque, continua ſuccenſio machinarum, ſumum eructans aſſiduum, nobilem ſolis jubare rutilante aerem, denſa nubium caligine obumbrabat; advolanteſque auræ, ſulphureo miſcebantur fœtore; & nec fervidus æſtatis dies, neque noctis obſcura caligo, obſidentibus & obſeſſis quieti erat, ut non omne tempus, funebri decertatione expenderetur. Ruebant tanto ex impulſu, nobilium turrium culmina; diſſipabantur parietes, & alta mœnia, hominem caſtrumve tutantia, humo tenus ſternebantur. Quid amplius dici poteſt? niſi quod obſeſſi, intima mortis formidine percuſſi, diem tantum expectabant extremum. Cunctas regni per partes, tam acerbæ tamque potentis obſidionis fama ferebatur: Hungariæ tamen Domini, quadam deſidia,

Digitized by Google

quaſi gravi ſomno laborantes, perituræ arci, armorum auxilium ferebant minime. Adiit tandem hoc tremendum obſidionis genus, vir innatæ virtutis & militiæ, dominus Comes Biztrienſis ſupradictus; modico, ad decertandum cum tanto hoſte, ſtipatus milite. Confluunt Hungaricæ plurimæ, per dictum Fratrem Joannem de Capiſtrano cruce ſignatæ gentes, pro Chriſti nomine pugnaturæ: & de partibus Polonicalibus, cruciferi quaſi trecenti venere. Quapropter ipſe Dominus Comes, quamvis, ut ſupra dictum eſt, cura gubernaminis exutus fuerit: tamen, aſſueta in illo agente ſtrenuitatis virtute, ſuſtinere non valuit, quin hoſtem adoriretur. Viam ergo quæſivit, qua hoſtium naves, a decurſu fluminum prædictorum removere, obſidioneque laborantibus, armorum præſidium ferre, poſſet. Conquiſiti tandem navibus, illas militibus armatis, & cruce ſignata gente, ſimul oneravit; tandem, per flumen Danubii, hoſtiles contra naves miſit. Propter quod uterque hoſtis, navali jungitur certamine. Ingens exuberat in Turcis clamor; & Hungari quoque vocibus altis, Dominum Jeſum pro auxilio invocabant. Via igitur ad fugam utrique hoſti demta, acerrimum committitur bellum. Feruntur hinc inde, altas Danubii per aquas, utriuſque partis naves; & multi ex illis, mortalibus ſauciati vulneribus, cadentes, ibant in profundum: tantique ſanguinis ex effuſione, clara danubialis aqua, immenſæ cædis, cruenta oſtendebat veſtigia; & recentibus pugili de utroque piſcibus, eſcæ parabantur. Tandem, longum belli poſt laborem, vicerunt Hungari; acriuſque irruentes in Turcos, naves eorum, ferreis junctas catenis, diſſecantes, vehementes ſuccenderunt in flammas. Quod poſtquam Turcorum Cæſari innotuit, dixiſſe fertur: *jam gravius noſtra potiemur voluntate.* Dominus vero Comes, navali in certamine, gloriam victoriæ adeptus: mox caſtrum adiit, & Capitaneos illius jam mente conſternatos, & præter mortem, nullam aliam ſortem expectantes, conſolatus eſt. *Quid*, inquit, *territi eſtis? an ſolum nunc vidiſtis Turcos? Hi ſunt illi, quos ſæpius fugavimus; noſque interdum fugimus ante illos. Cur illorum aſpectus, quos multotiens vidiſtis, vos turbat? Nonne arma & vires illorum experti eſtis? Confidamus igitur, filioli, in Chriſto, pro cujus nomine, crebrius noſtrum fudimus ſanguinem; & cum illius noſtroque hoſte, eo fortius decertemus. Nonne Chriſtus mortuus eſt pro nobis? & nos quoque moriamur pro illo. Eſtote ergo animo conſtantes, & fortes in bello. Timidus, ut noſtis, eſt hoſtis. Sique Deus nobiſcum fuerit, de facili conteri poteſt. Nam & terga vertere conſuevit; & illum in fugam labi, fugientemque in patriam reverti, non pudet. Quid amplius eſt differendum? cum hæc & vos tentaſtis, meo ſub ductu, longa belli tædia ferentes.*

Per

Per hæc itaque, & horum plurima verba, perque ſuam præſentiam, dominus Comes, non modicæ illos animoſitati reſtituit. Firmavit inſuper caſtrum novo milite; cruce ſignatam quoque gentem plurimam in illud introduxit: & cum popularis eſſet conditionis, armaque vertere eſſet ignara; Dominus Comes & illos, in quantum potuit, bello adaptavit. Audierat ante hæc Cæſar Turcorum prædictus, quod genitor ſuus Amrates, dum viveret, ſub eodem caſtro Nandoralbenſi, ſeptem menſium conſumſiſſet obſidionem, & eodem potiri valuiſſet minime; ac abſque victoria, cum dedecore, deſub illo receſſiſſet. Quapropter idem Cæſar Turcorum, aſtantibus ſibi ſui exercitus ductoribus, ipſum genitorem ſuum, vituperamine non modico affecit; ſeque idem caſtrum, dies per quindecim, expugnare poſſe dixit. Quem cum Wayvoda Natuliæ, ſuorum ſupremus Wayvodarum, ſe ſic jactantem audivit; impetrata prius dicendi licentia, ad verba illius ita reſpondit: *Maxime Cæſar, jocundum aliquid, veſtræ dignitatis in præſentia, me dicere expediret: timeo tamen, ne in poſterum rei exitus, me veſtram apud clementiam redarguat; ac tamen ſcire debemus, Hungaros ipſorum caſtra, gravius cedere, quam Græcos.* Cum igitur jam nobilium culmina turrium dejecta, mœniaque in magna parte humo tenus proſtrata jacerent; ac valles & foſſæ caſtri repletæ, & terræ adæquatæ eſſent, ita ut hoſtis irruptioni nil penitus obſtaret; & præſcriptus quintus decimus dies præfatæ obſidionis eluxiſſet: mox Cæſar ipſe, adhuc rutilante aurora, cunctam gentis ſuæ multitudinem, pulſantium tympanorum tubarumque hinc inde reſonantium in voce, commovit; furioſoque in impetu, idem caſtrum aggreſſus eſt, ac cruentam per cædem, illius penetravit in medium. Hungari vero, licet tanto cum hoſte ipſos congredi impar fuerit: viribus tamen ſe defendebant totis, auxiliumque Domini Jeſu ſæpius acclamantes, hoſtis in ruinam acriter inſiſtebant. Inſtauratur ergo mortale bellum; & caſtri decertatur in plateis. Cadunt hinc inde multorum cadavera interfectorum, multoque ex clamore, ac innumerabilium enſium ex tinnitu, ingens in aere confuſio reboabat: & ſæpius utrique hoſtes, tum iſte, tum ille, terga dare coguntur. Aderat & Frater *Jaannes de Capiſtrano.* Hic velut in ecſtaſi poſitus, & ceteri Fratres cum illo humo tenus provoluti, levata ad ſummum auxilium mente manibuſque, & oculis in cœlum defixis, gemebundi orabant; & cum propheta quidem dicere potuiſſent: *levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Dominus vero Comes Biztricenſis, hic minis, hic, ut pugnarent, inſtabat monitis. *Michael* quoque *Zilagy*, Capitaneus, & *Ladislaus de Kaniſa*, juvenes militari virtute præſtantes, & acies armatorum, quas Dominus Comes adduxerat cum illis, nec non

Digitized by Google

& agmina cruce ſignatorum, dirutis ſtantes caſtri in parietibus, atrociter pugnabant. Jam Turci ſæpius de caſtro expulſi, & rurſus dirum per certamen in illud ingreſſi, Hungaris potentiores erant. Jam plurimæ domus in caſtro ſuccenſæ, vehementes eructabant flammas. Jam Cæſaris vexilla, in ſignum victoriæ, plurima, caſtri in mœnibus elevata, tenebantur. Jam Hungari, omni ſpe reſiſtentiæ deſtituti, retrocedere, ſi quo erat, cogebantur; crudeſcebat enim unicuique, imminentis mortis aſpectus. Tandem, cum fugam, ſalutis ſibi opem ferre poſſe nullam; ſed tanti diſcriminis, ſolam mortem eſſe redemtricem, conſpexerunt; rurſus nomine Domini Jeſu altis vocibus invocato, armis coaptatis, & clypeis junctis, fortiori, ut poterant, cum impetu, irruerunt in hoſtem. Funere ergo renovatur certamen; multi hinc inde ſanguinem ſimul & animam fundunt. Nec abeſt auxilium Dei. Nam mox cuncta Turcorum agmina, tam fortem, tamque animoſum Hungarorum per impetum, turbata, verſa ſunt in fugam. Hungari ergo, animoſitate reſumta, & quaſi novo potentiæ ſpiritu, cælitus adjuti; in ore gladii perſecuti ſunt illos, tam diu, donec cunctæ machinæ ceteraque tormenta, per illos caſtri ad ruinam adhibita, ſuorum ſunt nudata cuſtodiis. Propter quod Hungari, omnes, quas Turci conſtituerant munitiones, igne ſuccenderunt, fortiuſque clavis ferreis, ad immittendum ignem apta machinarum clauſerunt foramina. Nec ergo diei durante luce, ceſſatum eſt a bello; ſed illud, quod prius caſtri arctis in plateis agebatur, lato poſtea in campo, interim, donec nox ſuperveniens, utrumque hoſtem ſua disjunxit caligine, multa cum ſeveritate extitit continuatum. Qualiter autem Cæſar ipſe, profundis ejuſdem noctis ſub tenebris, caſtro deſub eodem, fuga lapſus ſit, pro comperto habet dicere nemo: ad laudem tamèn Dei, & Cæſaris ejuſdem confuſionem, ſufficit, quod cunctis bellicis ſpoliatus apparatibus, omnibuſque machinis, & ceteris tormentorum generibus, quas & quæ illuc advexerat, relictis; immenſam ſuæ gentis poſt cædem, propriam in patriam rediit. Sed & in poſterum, hujus caſtri memoria, per quempiam ſui in præſentia facta, grata fuit ei nunquam. Quidam tamen, de ejuſdem Cæſaris fuga, ita dixere: quod videlicet ipſe Cæſar, ſervente atrociori bello, dum ſuos ad certamen cogeret, ſagitta in pectore ſuiſſet vulneratus, cecidiſſetque mox ſemivivus; ac ſui eum rapientes inter manus, ſua ad tentoria detuliſſent. Ubi autem ad noctem ventum ſuiſſet, Turci, & Natuliæ Wayvodam, & potius cunctos ipſorum optimates, bello conſumtos, ſeque maximam ſtragem accepiſſe, & ipſum Cæſarem, velut exanimem, vix palpitare proſpexiſſent; territi, ne mane facto, per Hungaros adorirentur, fugam iniſſent, Cæſaremque

Digitized by Google

que ſecum deferentes, ne idem ex itineris laboribus magis gravaretur, ex alia parte caſtri eorum, *Sarno* vocati, condeſcendiſſent. Cumque ibi Cæſar ipſe ad ſe rediſſet, ac ubi jam eſſet? interrogaſſet, illi quoque eidem locum denotaſſent, dixiſſet Cæſar: *Et cur aut qualiter ad hunc locum devenimus? devicti ſumus*, inquiunt, *per Hungaros, & Natuliæ Wayvoda, ac quaſi omnes tui exercitus ductores, interfecti ſunt; nos quoque magnam accepimus ſtragem: ac quod majus eſt, tuam ſerenitatem, potius mori quam vivere, ſuſpicabamur. Fugimus ergo hunc uſque ad locum.*

Et cum rurſus, ſi etiam machinæ & cetera ingenia ibidem derelicta eſſent, Cæſar quæſiviſſet: illi quidem, omnia ibidem remanſiſſe dum reſpondiſſent; Cæſar ipſe, mox intima cordis amaritudine exacerbatus, dixiſſet: *afferte mihi venenum, ut guſtem, & moriar potius, quam cum dedecore, meum revertar in regnum.* Tali igitur exitu, Cæſar Turcorum, ſub caſtro Nandoralbenſi, cum Hungaris prœliatus eſt; & qui tumida mente, ſuperboque oculo, ſolus cuncto terrarum orbi dominari volebat, judicio divino, ruſticanam per manum, quæ potius ſarculum, quam arma tractavit, devictus eſt; & qui multarum tubarum, multorumque tympanorum in ſono, admodum lætus venerat, triſtis, noctis ſub ſilentio, turpiter fugit.

CAPUT LVI.

De Obitu Domini Joannis de Hunyad Comitis Biztricenſis.

Poſt hæc *Dominus Comes Biztricenſis*, qui tot tantoſque, ſuæ juventutis primævo a tempore, bellorum exegerat labores, nondum ſenectutis ætate demolitus; ſed continuo armorum geſtamine, curarumque directione fatigatus, & viribus exhauſtus; ibidem ægrotavit: pauciſque diebus ipſa ægritudine laborans, tandem in oppidum *Zemplen* delatus, in recommendatione præfati Fratris Joannis de Capiſtrano, viri Dei, ſuo Salvatori ſuum reſtituit ſpiritum. Oritur ergo planctus magnus omnem per Hungariam; & quaſi cuncta chriſtianitas, nimio dolore turbata eſt, dum ſuum propugnatorem vita functum eſſe audivit. Nam & alta in cælo fixa ejus obitum ſidera prænuntiaverant; admirandum ſiquidem ſublimi in æthere ſidus comatum, ejus ante ſublationem, apparuerat. Ipſe etiam Cæſar Mahumetes, quamvis per eundem dominum Comitem, prope ſuam ante mortem, deſub caſtro Nandoralbenſi prædicto fu-

Digitized by Google

fugatus ſit: cum tamen per Georgium, Raſciæ Despotum, eidem Cæſari pro conſolatione, mors ipſius domini Comitis nuntiata eſt; Cæſarem eundem, defixo capite, longam per horam ſubticuiſſe, ſeque, quamvis ei inimicus eſſet, ſublationem ejuſdem condolere; & ſeculorum ab initio, hominem ſub principe nunquam talem fuiſſe, ad nuntium dixiſſe perhibetur. Iſte homo, quam quondam Solon, Crœſo Regi Lydorum, omnium Regum ditiſſimo, percontanti, primam negavit beatitudinem; cunctos noſtri ævi inter mortales, ſolus tulit. Nonne velut Tellus, homo omnium Athenienſium præſtantiſſimus, quem Solon Crœſo, viſis illius theſauris, in beatitudine antetulit; liberis, de quibus erga omnes ſpes optima habebatur, a ſummo rerum Conditore proviſus eſt? Nonne & vitam, multa undique famæ gloria redolentem, traduxit? obituſque illi perſplendidiſſimus, tanquam ipſi Tello obtigit; cum tanto Cæſare devicto & fugato, magnifica victoriæ, quam ſemper appetebat, ſub laude, triumphi dulcedine nondum ſuis e faucibus lapſa, bono cum nomine, diem clauſit extremum. Cujus tandem corpus, ubere ſuorum in fletu, ad Albam transſilvanienſem delatum, honorifice extitit tumulatum. Obiit autem ipſe dominus Comes, milleſimo Dominicæ Incarnationis ſimulque quadringenteſimo ſexto anno, virgine ſuo æthereo ſolem hoſpitante in cubili. Quem cum præfatus Frater Joannes de Capiſtrano, ultimis reſpiraminibus laborantem, intuitus eſt; poſt illius recommendationem Deo factam, hoc flebile carmen dixiſſe fertur: *Salve aureola cœli, cecidiſti corona regni. Extincta es lucerna orbis. Heu! corruptum eſt ſpeculum, id quod inſpicere ſperabamus. Nunc tu, devicto inimico, regnas cum Deo, & triumphas cum angelis, o bone Joannes!* Erat quidem dominus Comes, homo mediocris ſtaturæ, magnæ cervicis, criſporum crinium, colorem nucum caſtanearum ſervantium, magnorum oculorum, ſereni intuitus, rubicundæ faciei; & in ceteris ſuis membris, tam competenter, tamque ornate diſpoſitus; ut inter mille, ejus principalis agnoſceretur perſona. Duo ei erant nati, ad quos, non modico deſiderio, cuncta reſpiciebat Hungaria. Paterna enim merita, hos quemque amare cogebant; & non minus virtutem naturamque paternam, in hos deſcendere ſpectabant. Horum in ordine genituræ major, *Ladislaus* vocabatur, genitori in ſtatura haud diſſimilis, virtute quoque militari, & morum honeſtate, liberalitatiſque humanitate, juvenis, cunctos ſuos inter coætaneos, præſtantiſſimus. Junior vero *Matthias*, paternæ ſublationis in diebus, nondum annis ſolutus erat de puerilibus. Hunc genitor, dum vivebat, intimo cordis amore amplexabatur; hunc & ætatis ſuæ agilitas, omnium in oculis commendabat: cunctique illum intuentes, magnum eum hominem futurum præſagiebant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LVII.

De Obitu Fratris Joannis de Capiſtrano.

At, qui mutuum, vita ipſis comite, in Chriſto amorem confovebant; hi, nec in ſævientis diro examine mortis, ab invicem ſunt ſeparati. Nam & præſcriptus vir, catalogo Sanctorum condigne adſcribendus, *Frater Joannes de Capiſtrano*, præfato domino Comiti Biztricenſi, ſincera charitatis junctus dilectione, poſt deceſſum ipſius domini Comitis, non multos ſub ſole dies duxit; aſtrale magis, quam terrenum, peroptans atrium inhabitare: ſpiritu ad cælum evolante, humo, de qua conditum erat, diviſum ab anima, ſuum reſtituit corpuſculum. Quod in clauſtro Fratrum minorum de obſervantia, quorum ſub habitu & ipſe vitam ſancti Patris Franciſci imitatus eſt, in oppido *Vylak* fundato, debita conditum ſepultura; innumeris claruit miraculis, clarereque non definit, diem uſque in præſentem.

CAPUT LVIII.

De Reditu Regis Ladislai in Hungariam, & Comite Ciliæ in caſtro Nandoralbenſi decollato.

Porro, cum tantæ victoriæ fama, longas mundi per partes diffuſa, cunctæ Chriſtianæ religioni gaudio eſſet; præfatus *Rex Ladislaus*, dum Cæſarem fugatum, dominum vero Comitem vita exceſſiſſe audivit, mox in Hungariam redire ſtatuit. Inter hæc *comes Ciliæ Ulricus*, dudum conceptam in quondam dominum Comitem Joannem invidiam; qua via, illam, defuncto patre, in illius filios parturire poſſet, multo ſuæ mentis in fervore revolvebat. Cogitabat enim, eoſdem juventutis mente duci, & eapropter, ſuas per inſidias, eo citius illos ſubvertere poſſe arbitrabatur. Nam ipſe comes Ulricus, dum omnium hominum eſſet ambitioſiſſimus, ſuperbiaque, humanam ſupra naturam tumidus; ægre ferebat ante hæc, dominum Comitem Joannem, regni Hungariæ gubernamine potiri. Hunc quidem titulum, conſanguinitatis jure, ſibi ſupra omnes competere judicabat. Alia vero cauſa invidiæ exhinc orta erat; quod ipſe quondam dominus Comes Joannes, ea tempeſtate; cum adhuc gubernaminis fungeretur officio, a Romanorum Rege, pro non reſtitu-

Digitized by Google

tione coronæ & pueri Regis, pœnas exigens, in ipſius comitis Ulrici, tanquam ejuſdem Romanorum Regis partem tenentis, ſe ingeſſerat offenſam. Tertius quidem rancoris fomes, inter præfatum comitem Ulricum, & dictos filios ipſius quondam domini Comitis Joannis, exinde cauſabatur; quod idem comes Ulricus, tum regium latus, tum omne, quod in Hungaria pingue, pulchrum, & ſuave erat, ea, quæ ipſorum juvenum comitum dirigebat manus, velut homo ambitioſus & intime ſuperbus, in ſuam poteſtatem redigere laborabat. Hæc comitem Ulricum, mentaneis corroſionibus, intrinſecus non modicum mordebant; hæc ipſe ad finem deducere peroptabat. Fertur enim, quod dixiſſet: *Ego ſum homo ille, qui hoc canile lingnagium, hac de terra extirpabo.* Non latebat juvenes comites, Ulrici comitis venenata rerum directio. Quapropter, amara erga illum ducebantur recordatione; nec minus cunctum Hungariæ vulgus, deſpecto illum intuebatur lumine.

Elapſus eſt tandem, ſublationis ipſius domini comitis Joannis annus; tempuſque erat, cum æſtas, autumno appropinquante, ſuos ultimos properabat ad limites, cum *Rex Ladislaus*, & *comes Ciliæ Ulricus*, populari Almanica gente crucigera plurima ſtipati, navali officio, alta Danubii ſulcantes, magno cum ſtrepitu venerunt in Hungariam: & primo Budenſis caſtri atriis, dies per aliquot inhabitatis; tandem ad oppidum *Futhak* denominatum, deſcenderunt. Eſt autem hoc oppidum campeſtrale, ſecus decurſum fluminis prædicti, in *comitatu Bachienſi*, pingui in tellure, longe lateque plateatim locatum. Ad hoc oppidum poſtquam ventum eſt, regio ex edicto, ſolennis ibidem totius regni nobilium congregatio extitit celebrata. Et hac quidem congregatione, multorum adventu procerum in dies crebreſcente, comes Ladislaus, qui Regis Ladislai levem animum, comitiſque Ulrici metuebat inſidias, more paterno, multo armati militis tutamine vallatus, ad Regem venit. Placuit poſt hæc Regi Ladislao, caſtro in Nandoralbenſi, potentiæ Cæſaris Turcorum conſpicere veſtigia. Pariter ergo Rex ac comites, Ulricus & Ladislaus, illuc tranſierunt; crucigerique cuncti, qui de Almania venerant, navigio ſecuti ſunt illos. Inter hæc hi, quibus regium patebat conſilium, comiti dicebant: *De tuis rebus male agitur: comes enim Ulricus, regium animum erga te pervertit, induxitque illum, ut tu ceterique omnes Hungari, officialatuum dignitatibus, quos hactenus tenuiſtis, ſpoliemini, & eædem dignitates, Teutonis, qui regiæ voluntati magis quam Hungari placent, locentur, tuque quam primum de hoc caſtro ejiciaris. Et huic rei ſufficienti teſtimonio eſt, quod hi Almani crucigeri; tantum ea de cauſa huc adducti ſunt.* His auditis, juvenis homo, admodum perturbatus eſt, ac cogi-

ta-

Digitized by Google

tabundus ubique incedebat; ſuique perſuadebant, ut comes Ulricus, captata temporis & loci habilitate, interficeretur. Continuatum eſt occultum ſuper his rebus conſilium, & regni ex proceribus multi, quos ſimilis cura mordebat, hæc ita fieri laudabant. Juvenem ergo hominem, magna audaciæ virtute ſerventem, qui effrenum juventutis ſuæ impetum vix continebat, crebris perſuaſionibus, grande ad ſacinus impulerunt. Inſtabant ejuſdem anni dies, cum inclytus Præſul Martinus, dudum humili tugurio ſublatus de terreno, altaſque cælorum translatus ad manſiones, dulciſluum muſtum, boni ſaporis vertebat in vinum, & dies lunæ, feſtum ejuſdem Sancti Martini ſubſequens, orta eſt; in qua comes Ladislaus, ſummo mane, poſt repulſum per ſolis radios ejuſdem diei diluculum, domum, ipſi comiti Ulrico, caſtro in prædicto, pro hoſpitio aſſignatam, pariterque & ipſum comitem, pro habendo, ut fertur mutuo colloquio, adiit. Sed o inimica fatorum ſeries! o longa per tempora, pectoribus in initimis, cæcis alimentis nutrita, ſceleratiſſima invidia! quæ quam primum in anguem noſtrum veterem tranſvertens hoſtem, noſtros, locorum de amœno & alto vertice boni, protoparentes dejicere feciſti, & quæ utrorumque comitum corda, tanto inundaveras rancore, ut alter alterius, abditis appetitibus, intime anhelarent in necem: quæ tuis volvuntur in imis, tunc patuit, cum ambo comites, *Ulricus*, ſcilicet & *Ladislaus*, una eademque tecti domo, poſtibus clauſis, colloquio mutuam verſo in iram, primum verbis minacibus, tandem radiantibus decertantes armis, alter in alterius madidarunt cruore enſes. Dum autem ante oſtium ſtantium, ipſius comitis Ladislai fidelium, ad aures, intrinſeci rumor belli delatus eſt; in tardi diſſoluto domus oſtio, cauſam dubii ſcrutantur rumoris. Cum igitur comites utroſque, bello inſudare viderunt: mox eductis enſibus, irruerunt in comitem Ulricum, ſe, ſuorum virium omni cum virtute, defendentem, ſtraveruntque illum, frameæ ictu, in pede graviter vulneratum; ac tandem proſtratum, ibidem decollarunt. Quantus autem, Regem baroneſque regni, & Almanos Regi annexos, ibidem concuſſerit timor, quantave formidine, intima ipſorum trepidarint viſcera; dum enſes nudos, ſanguine tinctos humano, caſtri per plateas radiare viderunt, ipſi ſenſere: omnes enim, idem poculum, quod comes Ulricus bibit, ſe bibere cogitabant. Fuit autem comes Ulricus, homo condecentis proceritatis, in vultuque & corpore condigne diſpoſitus, macer facie, ætate quinquagenarius vel citra, jocundus, & admodum venereus; crines ornabat, & ne barba apud amatrices ætatem conſunderet, illam radicitus evellere faciebat.

Digitized by Google

CAPUT LIX.

De Venia per Regem Ladislaum ſuper morte Comitis Ulrici Comiti Ladislao data.

Peracta tandem hujuſmodi mora, caſtro Nandoralbenſi in prædicto: Rex & comes Ladislaus, ceterique barones, comes ſcilicet Palatinus, *Ladislaus* vocitatus, *Michael Orzag de Guth*, *Paulus* filius Bani *de Lyndwa*, janitorum regalium magiſtri, & aulici regiæ majeſtatis, proceresque regni quam plures, qui regiam frequentabant curiam, cum illis, verſus caſtrum *Themeswar*, ſuum flexerunt iter. Eſt enim caſtrum hoc, Hungarico in agro præcipuum, partibus regni in inferioribus, ad littus alvei *Themes*, in loco ſatis amœno, celebri munimine ædificatum. Cum igitur caſtrum ad hoc appropinquatum eſt; *Comes Matthias*, & *Domina Elizabeth* genitrix illius, in ſignum luctus, ſublationis dicti quondam domini Joannis Comitis, nigris amicti ſtolis, Regi venere in occurſum. Inducto ergo illo ſublimia caſtri ejuſdem in palatia, excellenti illum, ut regiam decebat dignitatem, hoſpitio tractavere. Ubi & ipſe Rex Ladislaus, prædictis ſui regni baronibus, ad utrumque latus ſuum ſtantibus; comiti Ladislao, ad veniam proſtrato, temeritatem, quam in occidendo comite Ulrico, ejuſdem Regis, ut dictum eſt, conſanguineo, commiſerat, expiavit & indulſit. Et ne Rex ipſe, apud comitem Ladislaum, quandocunque, de exigenda mortis fraternæ vindicta, ſuſpectus haberetur: utroſque comites, *Ladislaum* ſcilicet & *Matthiam*, fideli ſub juramento, ſuper Sacratiſſimo Corpore Chriſti præſtito, in fratres adoptavit; eodemque ſub juramento, nunquam futuris in temporibus, aliquam talionem, comitibus ab eiſdem, ratione prævia ſe exigere velle, ſpopondit. Et in tam glorioſæ fraternalis adoptionis ſignum, ambos comites, lugubri veſtimento, quod paternæ mortis in memoriam deferebant, exui juſſit, ac eoſdem, propria ſua pro perſona, rubea de purpura ſarcitis veſtibus, amicire fecit. Sed o veſtis inamabilis, roſeo deſuper vernans rubore! dum intrinſecus marturinæ, quibus ſubducta eras, vulpinas poſtea transfiguratæ fuerunt in pelles. O aſtutus, & ab omni bono homine reſutabilis, fraternalis contractus. Heu & evitabile, bonaque indignum memoria, per te Regem, ſuper tam caris, tam excellentibus, tamque ſanctiſſimis, & tam metuendis reliquiis, juramentum præſtitum. Heu inſandum ſcelus! dum antiquitus divorum Hungariæ Regum, quam tu tuum obſervaſti juramen-

Digitized by Google

mentum, ſimplicis verbi promiſſio, firmius extitit obſervata. An tuæ diſpendium vitæ, tuum per te ruptum Sacramentum, tibi non pepererit, dum per te præſtiti juramenti dies ultima anni primi non præteriit, divina ultione, regnis pariter & vita exceſſiſti.

CAPUT LX.

De Vindicta, per Regem Ladislaum, a Comitibus Ladislao & Matthia exacta.

His itaque ſerie prænotata, inter Regem & comites, peractis, *Rex & comes Ladislaus*, venerunt ad Budam; cum gaudioque ibidem manebant. Comes enim Ladislaus, regio fidens in juramento, ad Regem recto corde erat. Omnem quidem indignationis ardorem, ſi quem Rex contra eum, propter mortem comitis Ulrici, concepiſſet, extinctum fore arbitrabatur. In comite præterea Palatino Garenſi Ladislao ſupradicto, cujus filiam, adhuc vivente patre, in conſortem ducere diſpoſuerat; hac in re, ſpem non modicam fundaverat. Cogitabat enim, ſi Rex adverſum eum in iram excitaretur: Palatinus, qui Regem dirigebat, illum compeſceret, ipſique adjumento fieret. Hac igitur ſpe, comes Ladislaus deceptus; cum Regem continua erga ipſum videbat duci benevolentia, illius de malignitate ſuſpicabatur nihil. Sed quid ei profuit, in comite Palatino confidere? cum ipſe Palatinus, comitis Ulrici de nece, qui ei avunculus erat, magis quam Rex Ladislaus, crudelem exigere affectabat vindictam. Ipſe ergo *comes Palatinus*, & *Paulus Banfi*, pluresque, qui potius adulationibus, quam armorum directione Regi ſerviebant, ac omnes illi, qui in patrem ipſius comitis Ladislai conceptum rancorem, illo vivente, evomere nequierant; ad exigendas, a comite Ladislao, facinoris ejus pœnas, crebris perſuaſionibus Regem fatigabant. Inquiebant enim: *Tu Rex es; & illum cuncta ſequitur Hungaria. Hic procerum vulgique favore ſuperbus, hac vice, in comite Ulrico, conſanguineo tuo, tuum ad latus hæc fecit. Timendum eſt, ne præſumtuoſus homo, de tua perſona idem faciat. Rex es; ſed interim Hungariæ in regno non regnabis, donec ipſe ſupervivet.* Motus eſt crebris perſuaſionibus, Regis Ladislai juvenis animus; parvaque ſcintilla, quæ in vindictam necis præfati comitis Ulrici, in pectore ejuſdem Regis, velut in oblivionem demerſa, vernabat; crebris perſuaſionum flatibus ardere cepit. Cum ergo Regis animum, ipſorum votis inclinatum comperunt; quærebant opportunitatem, unde

Digitized by Google

ſuis optatis eo celerius potiri valerent: timebant enim, ne inſidiæ, per ipſos in occulto conflatæ, detegerentur. Inter hæc annuntiatum eſt, Turcos, regni confiniis irruptionem minari. Quapropter comes Ladislaus, paternam volens imitari naturam, plurimum militem ſtipendiarum, partibus regni Hungariæ de ſuperioribus, uſque ad civitatem Peſthienſem conducere faciens: a Rege impetrata recedendi licentia, Turcis occurrere parabat. Illi vero, qui de comitis Ladislai adverſis gaudebant, Regi, ne illum pateretur abire, antequam comitem Matthiam, loco ſui, in curiam ſuæ majeſtatis advenire faceret, inceſſanter conſulebant. E contra: & comiti Ladislao ſuggerebant, dicentes: *Si tibi a Rege diſcedere voluntas eſt, antequam Regi valedixeris, jube ad Regem tuum venire germanum. Licet enim, ut alter veſtrum, ſemper regium latus comitetur. Tu quoque, regiæ majeſtatis in curia, tui germani rebus ſua ſerie diſpoſitis, abire poteris: & ſi quandocunque, te abſente, apud Regem quipiam tibi contrarium movebitur; germanus tuus, noſque cum illo, illud planabimus.* Et hac quidem ſub aſtutia, inſidiarum artifices, utroſque comites, opportunius circumvenire ſe poſſe ſperabant; nec illos eorum fefellit opinio. Nam ſtatim, poſtquam comiti Ladislao, his in rebus, regia declarata eſt voluntas; ille inſcius inſidiarum, immemorque, quod pater illi dixerat, ut caveret, ne ſimul cum germano, aliquando domus regiæ inter limites clauderetur: antequam abiret, comitem Matthiam illuc venire voluit. Quod poſtquam Dominæ Eliſabeth, genitrici eorundem comitum, innotuit, mox expavit; & quaſi futura præſciens, ne comes Matthias interim, donec frater ejus regia in curia converſaretur, illuc acceleraret, inſtabat. Sed quia fata, ſuarum ſeries rerum, bonos vel malos ad exitus trahunt; comes Matthias, fraternis mandatis potius, quam maternis interdictis parens, a matre cum lachrymis dimiſſus, venit ad Regem. Geminis igitur fratribus, curiæ regiæ intra ambitum exiſtentibus, tempus inſtabat, dum ſcilicet quadrageſimale jejunium; ſe obſervantes, ſuum devexerat prope ad medium, & feria ſecunda, proxima poſt Dominicam *Oculi*, claro ſolis radio illuſtrata, meridiem conſtituerat: cum *comes Ladislaus*, regium ad colloquium vocatus, *Ladislao de Gara*, Palatino ſocero ipſius, in quo ipſe, ut dictum eſt, intime confidebat, cauſam calamitatis ejuſdem proferente, præſentibus *Paulo* filio Bani, *Joanne Izkra*, *Benedicto de Thurocz*, & quodam Almano *Lomberger* vocitato, ibidem, regia in domo extitit captivatus. *Comes* vero *Matthias*, de his, quæ erga fratrem agebantur, inſcius ſua puerili innocentia, nullam ei opem ferente, in quadam domo, quæ ei pro hoſpitio, caſtro in Budenſi, deſignata erat, recluſus eſt. Ambo tandem ſeorſum, pervigili ſubjecti

ſunt -

Digitized by Google

ſunt cuſtodiæ. Cum vero nox ſuperveniens, ejuſdem diei lucem commutavit in tenebras, *Nicolaus de Vylak*, Wayvoda Tranſilvanus, lorica indutus, tantæ rei ſpectaculi avidus, ſuorum familiarium in comitiva, illuc venit; ad caſtrumque Budenſe, mox intromiſſus eſt. Iſte enim Nicolaus Wayvoda, comitis Ladislai caſum non minus ardebat; & nec ejuſdem in necem conflati conſilii expers erat. Cum enim eſſet homo honoris cupidus, & ambitione non modica æſtuans, altoque parentum de ſanguine genitus; quondam dominum comitem Joannem, & ejus natos, in regno, ac erga Regem, excellentiori nomine & titulo uti, ægre ferebat. Ex hincque invidia erga illos ducebatur non modica. Poſtquam autem mox ſubſequens dies in lucem diſſoluta eſt, Dominus *Joan. Waradienſis Epiſcopus*, item *Sebaſtianus de Rozgon*, & *Ladislaus de Kanyſa*, viri egregii, in regnoque tum ſanguine tum agrorum poſſeſſione, virtuteque militari præſtantes, nec non *Caſpar Bodo de Gyurgy*, homo conſilii ſententia non ultimus, *Georgius* quoque *Modrar*, magna rerum opulentia præditus, uterque *Paulus Horwath*, ac quidam Almanus *Frodnohar* denominatus, milites armorum directione inſignes, & alii quidam, qui per quondam Dominum comitem Joannem, aut promoti, aut ab infantia educati, erga *comites Ladislaum* & *Matthiam*, fidei familiaritate & amicitia ducebantur; captivitatis ſunt affecti calamitate. Dum tandem, detentionis eorundem comitum, tertius dies veſperarum horam peregiſſet, & titaneus axis, occiduas appropinquaſſet ad horas; *comes Ladislaus*, judicis & juratorum civium Budenſis civitatis ad manus, ut capitis plecteretur pœna, aſſignatus, ac ſub multorum cuſtodia armatorum, ante caſtrum Budenſe, in oppoſitum atrii *Fryſpalotha* denominati, deductus pariterque ibidem decollatus eſt. Contigit autem ejus decollationis in tempore, res non parvo pro miraculo narranda. Nam cum ipſe *comes Ladislaus* decollaretur, & jam trinum ſuæ decollationis ſibi impreſſum poſt vulnus, proſtratus manibus ad tergum ligatis, in terra jaceret; mox propriis in viribus erectus, ſurrexit, ſeque, præter præſcripta tria vulnera, in ſua decollatione exacta, de jure ampliori ſatisfactione non teneri, voce ſatis intelligibili dixit. Tandem omnibus circumſtantibus, rei ex novitate ſtupentibus, dum repente procedens, poſt aliquot paſſus, veſtem qua indutus erat, calcaſſet, in faciem cecidit: ſicque juſſu quorundam adſtantium, quibus hæc res cordi erat, reſiduum decollationis illius conſummatum eſt. Sed heu dolor, heu mœſtitia & heu quantas, hujus comitis exitium, diligentibus illum, peperit anguſtias? enimvero, vidiſſes Hungaros quaſi cunctos, nobiles ſcilicet & ruſticos, demiſſo capite, conſertis manuum extremitatibus, cogitabundos, quaſi gravi ſomno occupatos, incedere.

Vi-

Digitized by Google

Vidiſſes & multorum per ora, recentia lachrymarum flumina decurrere. Dici enim poteſt, quod ſi popularis Hungaricæ gentis tumultus, per crebras præconicas proclamationes, perque horrendarum incuſſiones minarum, ſedatus non fuiſſet: ſique ipſe comes Ladislaus, congrua diei in hora, ad plateam Sancti Georgii, ubi quondam triginta duo milites decollati extitere, ſuo pro exterminio eductus fuiſſet: ipſa plebejæ conditionis manus, illum ſuæ de diſpendio vitæ, eripuiſſet. Multi enim tunc, pro vinearum cultu, in civitatem convenerant; tantaque erga illum affectione ducebantur, ut ſanguinem fundere, ultriceſque animas, per mille vulnera, in illius vindictam efflare, eiſdem non crudeſceret. Et hæc fuit cauſa, quare ipſe Comes Ladislaus, non in loco alias conſueto, & diei horam circa ultimam, extitit decollatus. Poſtquam autem decollatus eſt, mox atro involvitur tegumine, poſituſque in feretro, ad *Eccleſiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ* defertur; totamque per noctem, vigiles per excubias cuſtoditur. Ac tandem prima auroræ luce erumpente, in *Eccleſia Sacratiſſimi Corporis Chriſti*, ubi præfati triginta duo milites, quos quondam Rex Sigiſmundus, ſuæ iræ in impetu decollari fecerat, tumulati jacent, omni exequiarum & ſepulturæ ſine honore, tumulatur. Fuit autem ipſe *comes Ladislaus*, ut dictum eſt, in ſtatura patri haud diſſimilis, facie rotunda & fuſca, crinibus longis, caſtanearum colorem imitantibus, intuitu pius, humeris latus, in armis ſtrenuus, ſatis audax, & tam ad ſuos, quàm ad alienos benignus.

CAPUT LXI.

De Vindicta & Guerris in morte comitis Ladislai in regno ſecutis.

Quid autem profuit tanti facinoris perſuaſio, his qui juvenilem Regis Ladislai animum, ut juramentum tranſgrederetur, ſuis conſiliis perverterunt? Si divino judicio placuiſſet, humanæ ſententiæ idoneum fore videretur, quod ipſi, & non Rex Ladislaus, præmiſſi perjurii ſubiſſent talionem. Sed arbitrari poteſt, quod fata, hoc tramite, futuris rebus diſponebant locum. Nihilominus tamen & hi, qui hoc facinus conflaverant, apud plebem, ignominiam & odium conſecuti ſunt; & multi alii, etiam harum rerum expertes, ipſius comitis Ladislai fidelibus, de nece domini ipſorum, continuis in armis ultionem exigentibus, vitæ pariter & rerum ruinam, hac de cauſa ſubierunt. Subortum eſt quidem mox in regno acre diſturbium; & ſine diſcretione, ipſorum co-

Digitized by Google

comitum de ærumna, gravis exigebatur pœna. Enimvero *Michael Zylágy de Horogzeg*, eorundem comitum avunculus, multis tum domeſticarum, tum extrancarum nationum, coadunatis ſibi bellicoſorum virorum præſidiis; partes regni Transſilvanas aggreſſus eſt: & brevi dierum in ſpatio, omnes civitates & oppida terræ illius, ſuæ ſubdidit ditioni; ac cunctos regales proventus parte regni de eadem, regium ad fiſcum pertinentes, ſuos ſibique adhærentium convertit in cenſus. Quid autem ceteri, quos calamitas ipſorum comitum magis angebat, regni per climata fortes poſſidentes munitiones, ferri & ignis miniſterio, perque rerum direptionem fecerint: ſi quem ea, futuram propter memoriam, conſcribere delectaret; rem multis concluſam ſuſpiriis, ſuorum ad notitiam deduceret poſterorum.

CAPUT LXII.

De Sorte ceterorum captivorum, & de obitu Regis Ladislai.

Poſt exitium tandem ipſius comitis Ladislai, paucis diebus elapſis, Dominus *Waradienſis Epiſcopus*, ſuæ conditionis exigente merito Domino *Dionyſio Strigonienſi Archiepiſcopo*, regium uſque ad beneplacitum, in captivitate ſervandus, extitit aſſignatus. *Comes* quoque *Matthias*, quadam arcta in domo, ad latus turris *Iſthwanwar* ædificata, ad inferiores thermas proſpicienti, pervigili ſub cuſtodia ſervabatur. Ceteri quoque captivi, non minus ſeorſim a comite Matthia reclufi, regium ad votum tenebantur. Volvebatur dies, & *milleſimus quadringenteſimus quinquageſimus octavus Domini annus* inſtabat, verque anni ejusdem, venuſta florum amictum tunica, ſuos jam poſteros tranſpaſſaverat gradus, & fertili ſuum ceſſerat hoſpitium æſtati, ſole ſubterraneos agente greſſus, nocte ſcilicet illa, quæ feſtum Sacratiſſimi Corporis Chriſti immediate ſubſequitur, nimiam in tenebroſitatem diſſoluta, modicoque nimbi impetu Budenſe caſtrum concutiente: omnes captivi ejuſdem caſtri, excelſos habiti intra muros, *comite Matthia*, & *Paulo Modrar*, tantum regia in captivitate remanentibus, ad aquas calidas inferiores, pendentibus caſtri de mœnibus, quorundam duorum linteaminum in miniſterio, ſe demittentes, liberi abierunt. Dum autem Regi Ladislao, ſuorum captivorum innotuit liberatio: ſimul cum illis, qui eorundem procuraverant captivitatem, admodum triſte tulit, pertimuitque. Nam præfati *Sebaſtianus de Rozgon*, & *Ladislaus de Kanyſa*, valebant in armis; & multa in re-

regno gaudebant parentela. Rex ergo, & ipſi annexi barones, hos eoſdem, in vindictam ſui; eo citius inſurgere formidabant. Quapropter, omni ſuæ partis gente cito armata, qualibet abſque mora, *Wiennenſem* ſe tranſtulit ad *civitatem*; comitem quoque Matthiam, ſine aliquo vinculo, & Paulum Modrar, multis ferramentis compeditum, locuples enim erat auro, & ſe ab eodem ingentes theſauros extorquere poſſe ſperabat, uno & eodem in curru locatos, ſecum abduxit. Tandem, modico temporis intervallo Viennæ habito, *in Bohemiam* tranſiit; & comitem Matthiam, Wiennenſi in caſtro, firma ſub cuſtodia reliquit. Dum autem Pragenſi in civitate, regali in pompa converſaretur, ſubita & triſti ægritudine aggreſſus, vitam pariter & perjurium, ultimo reſpiramine ſolvit. Utrum autem, ut quibuſdam placuit, ordinante *Georgio de Podebrad*, alias ejuſdem regni Gubernatore, lethiferum per venenum; an vocatione divina occubuerit, ipſe pro comperto dicere nequo. Sæpe enim multorum ora, multas diſcoloratas in narrationes diſſolvuntur: omnibus tamen fidem adhibere, quis queat? Creverat ipſe Rex Ladislaus, congruam ſui corporis in proceritatem; glaucos quidem & criſpos habebat crines, facies quoque illi alba erat, rubenti permixta colore, & naſus, recta diametro, mediam inter faciem deſcendens, parva quadam ſui in medio tumeſcebat curvitate: morum vero probitate, & prudentia, ſuæ ætatis inter juvenes, non minus erat venuſtus. Obiit autem ipſe Rex Ladislaus, *anno Domini milleſimo quadringenteſimo octavo* (1) ſupradicto, ætatis quidem & regnorum ſuorum nono bis anno; cum ſcilicet ejuſdem anni autumnus, ſuæ ultimæ compleverat orbem lunæ; eadem die anni ſubſequentis, qua comitibus Ladislao & Matthiæ, ut prædictum eſt, præmiſſum præſtiterat juramentum. Sepultuſque ibidem Pragæ, in Eccleſia Parochiali, noviſſimam, loco in eodem, expectaturus reſurrectionem.

CAPUT LXIII.

De Electione Domini Comitis Matthiæ in Regem.

Cum autem peregrinis ex relatibus, fama obitus ipſius *Regis Ladislai*, in regnum Hungariæ venit; multos contriſtavit, maxime autem illos, qui ei-

(1) Chr. Bud. *quinquageſimo ſeptimo.*

Digitized by Google

eidem Regi, comitis Ladislai perſuaſerant necem, cum ultores effuſi ſanguinis ipſius comitis Ladislai, eo avidius, eo animoſius inſurgere, ac inceptam, finem ad optatum perducere, vindictam, deſiderare videbant. Quod & factum fuiſſet, ſi pro componendis regni rebus, proque eligendo Rege, indicta per totum regnum Hungariæ generalis univerſitati nobilium congregatio, eorundem ultorum, æſtuantem in vindictam animum, non refrenaſſet. Ipſa tandem generali congregatione, ſuis ſtatutis in diebus, cum ſcilicet celer & ingenioſus notariorum calamus, *MCCCCLVIII. Domini annum*, de recenti ſcribere inceperat; multa nobilium tumultuoſitate, omnes civitatis Peſthienſis per plateas fervente: *Michael Zylagy* ſupradictus, comitis Matthiæ, ut dictum eſt, avunculus, cum genitrice ejuſdem uno eodemque de alvo natus, multam virorum armorumque virtutem ſecum ducens, congregationem nobilium ad eandem venit. Et hunc quidem Michaelem Zylágy, viri in regno potentes, quorum in pectoribus, beneficiorum merita quondam Domini comitis Joannis, vivaci movebantur memoria, Domini ſcilicet *Thomas Zekel* prior Auranæ, *Sebaſtianus de Rozgon*, *Ladislaus de Kanyſa*, & *Pancratius de Zenthmyklós*, eunctusque, tam Tranſilvanarum, quam inferiorum regni partium cœtus nobilium, comitabantur. Qui, dum in eandem civitatem Peſthienſem venientes, commodum ſibi cepiſſent hoſpitium; & nox eorum poſt deceſſum prima ſuperveniens, humano viſui, diei in claritate abditas cæli palam fecit ſtellas: omnipotens ab alto, ejuſdem noctis ſub profunditate, altum Danubii flumen, tam dura, tamque ſolida conſtravit glacie; ut ſubſequentis diei luce orta, cuncti Danubium tranſire volentes, omni navigio remoto, ipſius glaciei in dorſo, velut quendam continuum per campum, nullo eos aquarum impedimento vetante, incederent. Domini vero *Ladislaus de Gara* Palatinus, *Nicolaus de Vylak* Wayvoda, *Paulus filius* Bani *de Lyndwa*, qui ut dictum eſt, regalibus præerat janitoribus, & ceteri quidam non magni momenti viri, qui ſcilicet præfatorum comitum, Ladislai & Matthiæ, procuraverant calamitatem, Budenſi erant in caſtro; & ea, quæ erga comitis Matthiæ avunculum gerebantur, animo formidoloſo ferebant. Quis autem putaret, eoſdem, parva timoris anxietate concuti? dum exactores talionis, per ipſos commiſſi facinoris, multa virtute armorum, maximaque belliconſorum copia virorum vigere; & hos quidem, ſibi vicinos eſſe, conſpiciunt. Et ſi tutelam aliquam, in flumen Danubii ipſis fieri poſſe, ſperaſſent; ipſa fruſtrati, idem flumen, ſpiſſis glacierum molibus contectum, intuebantur. Sique jam dictæ generalis congregationis prærogativa, per ipſumque Michaelem Zylagy eis conceſſa affidia, illos eoſdem non animaſſet; dici poſſet, quod altorum caſtri Bu-

Digitized by Google

denſis murorum in firmitate minime confiſi, atro primæ noctis inſtante chaos, fortaſſis diſperſi, loca petiſſent ipſis tutiora. Aſſecurati tandem, ad civitatem Peſthienſem deſcenderunt; & cum his, qui civitate in eadem erant, ſimul juncti de Regis electione tractantes, continuo in colloquio, dies conſumſerunt plures. Inſtabat *Michael Zylagy*, eique coadunata gens totalis, & quaſi omnis nobilium Hungariæ cœtus, ut *comes Matthias* in Regem eligeretur. Supradictis vero, *Ladislao de Gara* Palatino, *Nicolao de Vylak* Wayvodæ, & *Paulo* filio Bani *de Lindwa*, cunctæque eorum cohorti, nec id, ut comes Matthias, regia potiretur dignitate, annuere, dum commiſſi per ipſos ſceleris, graviorem exinde arbitrabantur ſe ſuſcipere poſſe talionem; neque eis omnino refutare cedebat ad libitum, dum vindictæ mortis ipſius comitis Ladislai exigentium catervis, undique circumdati, eorundem medios volvebantur inter tumultus. Saniori tandem freti conſilio, imminens vitæ aut rerum diſpendium, futuris committentes eventibus; accepto prius, a præfato *Michaele Zylagy*, fideli juramento, quod nunquam futurorum temporum in evolutione, hoc crimen ipſis objicietur, & nec aliquando, necis ipſius comitis Ladislai, ab ipſis, & eorum hæredibus, aliqua ultionis exigetur pœna: & ipſi id, ut comes Matthias regale ſublimetur in ſolium, annuerunt. Et quid facerent, niſi ut annuerent; dum omne Hungaricum vulgus, latas civitatis per plateas deambulans, puerorumque cœtus hinc inde curſitans loqueretur, & alta voce clamaret: *Matthiam volumus eſſe Regem; hunc noſtra pro tutela, Deus elegit, hunc quidem & nos eligamus.* Tanto enim, cunctus ejuſdem congregationis populus præter illos, in quibus commiſſi in eum criminis timor laborabat, erga ipſum ducebatur amoris deſiderio; ut ſupra omnes delicias, ipſum, regium ad culmen pervenire, optarent. Nobile ergo illud Dominorum, prælatorum, baronum, procerumque regni conſilium, unitum eſt; omnique Hungaricæ genti placuit, ut *comes Matthias*, Regia adornatus dignitate, regno Hungariæ dominaretur: & nihilominus, ejuſdem regale ſceptrum, præſtito fideli juramento, venerari pariter & metuere ſpoponderunt. Et quia pueriles ejuſdem comitis Matthiæ artus, tam vaſti negotia regni, occurren ium rerum præ magnitudine, ſufferre non valere cogitabant: jam dictum avunculum ejus, donec Phaethontis axis quinquies annuales perageret curſus, in eju dem regni & ipſius electi Regis Gubernatorem, præfecerant. Sed mira res, adhuc hæc tam ſolennis electio, in penetralibus agebatur, nondum ad populum eju dem devenerat rumor: & jam Peſthienſis Eccleſia, ſolennem in cantum prorumpens, de tam deſiderabili electione, Deo laudes pſallebat. Cum autem communis populi devenit ad notitiam: omne Hungaricum vulgus, magno præ

gau-

Digitized by Google

gaudio exultabat; ac campanarum ubique Ecclesiarum pulsantium sonitu, nimioque tubarum in clangore, & multarum in modulamine fistularum, nec non vocum, in laudem Dei canentium, patule laxatarum melodia, ingenti sonitu, vicinus densabatur æther. Currebant hinc inde nuntii, hujus electionis gaudium, his, qui absentes erant, deferentes; multisque muneribus onusti redibant. Postquam autem propinquæ noctis advenit crepusculum, ipsa nox, in multorum accensione ignium, illuditur; & quasi in diem fictitium, multa congerie lignorum ardente, transmutatur. Dici quidem præsumitur, quod primæva Hungaricarum rerum ab origine, alicujus Regis electio, tanto cum gaudio, tantaque cum gloria celebrata fuit nunquam.

CAPUT LXIV.

Quomodo Dominus Rex Matthias de captivitate liberatus, in Hungariam extitit reductus.

Postquam autem ipsa tam felix electio, finem expectatum sortita est; dictus *Michael Zylagy*, vulgi favore superbus, regalibus Budæ habitis ab atriis abstinere nolens, multorum Hungariæ Dominorum in comitiva, lætus intravit, & principem occupavit ad novum. *Ladislaus* quoque *Garensis* Palatinus, qui antiquo regni de more, eisdem præsidebat; & eadem sibi, ultroneæ voluntatis sub specie, tristi ramen intrinsecus corde, cessit, seque inde clam, tutiorem sibi ad partem transtulit. Quibus peractis, præfatus *Michael Zylagy*, tumulum dicti comitis Ladislai adiit; funusque ejusdem exhumari faciens, illud simul cum cunctis sibi circumstantibus deplanxit: ac tandem, Transilvaniensem ad Albam transferri faciens, idem, paternum juxta sepulchrum, in multis obsequiis condere fecit. Eisdem in diebus, electum Regem, supra nominati *Georgii de Podebrad* potentia, tenebat. Iste enim *Georgius de Podebrad*, in regno Bohemiæ, multarum possessione civitatum, multaque consanguinitatis parentela; cunctis ejusdem terræ optimatibus ditior erat. Et hic, dicto quondam Regi Ladislao, ætate puerili occupato, ejusdem regni Bohemiæ gubernaminis moderatus est officium; post mortem vero ejusdem, omnipotens fortuna, regno in eodem, regio in throno eundem sedere non vetuit. Ad hujus Georgii manus, electum Regem, quidam sub hac sorte deveniisse ferunt; quod videlicet, dum adhuc comitis fungeretur nomine, eundem Rex Ladislaus, in diebus circa finem rega-

Digitized by Google

lis ſuæ pompæ proximis, Wiennenſi de arce, ad ſe in Pragenſem urbem deferre juſſiſſet: & ea die, qua Rex Ladislaus obiiſſet, dictæ Pragenſis urbis intra mœnia deductus extitiſſet; ipſoque Rege Ladislao vita functo, cum ceteris Bohemicis rebus, in poteſtatem ejuſdem Georgii de Podebrad extitiſſet devolutus. Alii autem, ipſius novi Regis liberationem, ita factam ſuiſſe mihi perſuadebant: quod videlicet dictus Georgius de Podebrad, ſtatim, poſtquam ipſe Rex Ladislaus, ſua ultima clauſiſſet reſpiramina, obitus ejuſdem ſtudioſius celaſſet famam, ac mortui Regis annulare, ejuſdem de digitis ſurripuiſſet ſigillum, feciſſetque ſcribere literas, quas tandem eodem ſigillo conſignari faciens; ipſius Regis Ladislai fictitio ſub nomine, his, quibus comitis Matthiæ cuſtodia injuncta erat, mandaſſet, ut mox eiſdem litteris viſis, comitem Matthiam, ipſarum litterarum oſtenſoribus aſſignarent; ipſique ſimul cum illo, Pragenſem uſque ad civitatem venirent. Rex enim Ladislaus: dum Wiennenſe caſtrum egreſſus eſt, hoc ſigillum, cuſtodibus prædictis, in comitis Matthiæ rebus, indubitabili pro ſigno reliquiſſe fertur. Credidiſſent ergo ipſi cuſtodes, fictis litteratoriis mandatis, & ſe eorundem immoratos exhibuiſſent factores. Nondum autem comes Matthias, in ſupradictorum ductu nuntiorum, regni Bohemiæ ad oras veniſſet; cum Bohemorum plurimi, armis muniti tutricibus, per Georgium de Podebrad miſſi, occurriſſent, quorum in medio, ipſe comes Matthias, Pragam uſque tutus equitaſſet. Dum vero ipſe Georgius de Podebrad eundem vidit, gaviſus eſt valde: non modicam enim, in ejuſdem redemtionem, auri partem ſe recipere poſſe cogitabat. Poſtquam autem audivit, eundem comitem Matthiam, regni Hungariæ in Regem electum eſſe: ſuperbus, in multis allocutionibus, novum regni Hungariæ Regem aggreſſus eſt, & eum multa conſabulatione victum, ſuæ natæ ad connubia inclinavit; nec in poſterum, repatriantem eum, plurimi auri ſine ſolutione abire tulit. Anno tandem electi Regis primo, cum ſcilicet rigidus hyemis algor, tepido perflatus zephyro, frigidis diſſolutis nivibus, excelſis montium de culminibus, profundas defluxerat in valles, veriſque expectata temperies, avicularum ora, gratos diſſolvebat in cantus; ipſe novus Rex, armato Bohemorum in conductu, ad oppidum *Straznycz* denominatum, in partibus Moraviæ, juxta decurſum fluminis *Morvæ* ſituatum, magna cum lætitia extitit deductus: ubi mox ſuorum cœtus nobilium, immenſo perfuſus gaudio, eum circumdedit; quorum tandem læta inter agmina, lætus, deſideratam ad patriam equitavit. Cum autem *Budenſe* ad *caſtrum* ventum eſt; mox multorum confluentia nobilium adventum deſiderati Regis præſtolantium, curia Regis ejuſdem, magna cum gloria extitit decorata.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXV.

Super quibuſdam exercitiis Domini Matthiæ Regis compendium quoddam parvum.

Nulla homine in hoc eſt natura, quæ eundem regnare dedignaretur: nam cunctos ſui ævi Chriſtianos inter principes, ipſe unus eſt, qui alta facinorum cum gloria, ſui regiminis dirigit officium. Nonne & Cæſar Turcorum *Mahumetes*, qui hac noſtra ætate vivebat, ſuique terrore omnem terrarum orbem quaſſabat; quique ſuorum præ magnitudine facinorum, *Magnus Mahumetes* nominari dignus fuit, rege de iſto dixiſſe fertur: *Ego & ipſe, ſumus omnes mundi inter principes, digni principis nomine qui vocamur.* Nonne eſt, ut principem eſſe decet, in conciliis peridoneus, in delinquentes clemens atque permiſericors, in rebus regni adminiſtrandis ſolers & providus, animo ſtrenuus, magna & ardua aggredi audax, in laboribus tolerandis infatigabilis, in eventibus præcogitandis præveniendiſque perſpicuus, in periculis evitandis cautus, in hoſtis inſidiis conſiliiſque denudandis & pervertendis ſagax, in omni re militari, ac in cunctis ſui regiminis exercitiis, miro modo inſtructus, diſſimulandi magiſter, gloriæ uſque ad infinitum avidus, & tanquam regnare natus. Iſte Rex, a ſuis regnicolis, turbata habuit ſui regiminis primordia: poſtquam autem viribus & animi diſcretione adolevit, quaſi quodam gravi aquarum de diluvio emergens, omnia, moderamine peroptimo, complanavit. Hic ſui principatus primos circa annos, ingentem Turcorum exercitum, qui comitatus Sirmienſis in depopulationem ſe ingeſſerat, caſtraque *Kewolpen* & *Szent Demeter*, ad littus alvei Zavæ, vi ceperat, potenti marte fudit. Hic annos circa eoſdem, & Friderici Romanorum Imperatoris ambitioſam cupidinem, ſceptra regni Hungariæ ardentem, Regemque ipſum, quadam opportunitate per barones quoſdam ſibi attributa culmine regio ſpoliare volentem, tum vi, tum ingenio, compeſcuit & extinxit. Tandem in *Bohemos* & *Polonos*, regnum qui maximis, ut ſupra dictum eſt, premebant rerum direptionibus & incendiis; gladio converſo, eoſdem, poſt multam eorundem cædem, mira celeritate compreſſit, fortiaque illorum domicilia & munitiones, parvo admodum fultus milite, evertit, a cædeque reſiduos, per devia ac ſilvarum latebras errare, & extra regnum profugere coegit. Nec non & guerrarum procellas, quæ præfati quondam Uladislai Regis a temporibus, in regno, gravi fluctuaverant tumultuoſitate, pulchra quadam diſcretione, compeſcuit pariter & ſedavit; pacemque peroptimam; tot per annos deſideratam, omnes

Digitized by Google

omnes ſui principatus per fines compoſuit. Poſt hæc, valida militum expeditione conflata, plurimam partem *Serviæ* pervagatus eſt; ac magna vaſtitate, terra in eadem, igne & ferro edita, felix rediit. Harum demum rerum poſt expeditionem, nondum equorum ſuorum ſudore deſiccato, *Bosnenſe regnum*, quod & *Ramam* vocamus, tunc Turcorum dominio ſubjectum, aggreſſus eſt; caſtrumque *Jaicza*, tum loci natura, tum vero mœniorum altitudine munitiſſimum, vi, alia vero terræ ejuſdem caſtra, deditione cepit. Omneſque Cæſaris Turcorum milites, ſua de curia, ad cuſtodiam eorundem caſtrorum deputatos, quos gladius Hungarorum non conſumſerat, ad gratiam & ſuam ditionem recipiens; purpureis ſplendidos veſtimentis, ſecum deduxit, optimumque & novum genus victoriæ reportavit.

CAPUT LXVI.

De felici Coronatione Domini Regis Matthiæ, & quibuſdam ejuſdem expeditionibus.

Inter hæc, ſacro regni Hungariæ diademate, a manibus Friderici Romanorum Cæſaris, magna cum difficultate rehabito: *Rex Matthias*, ſexto ſui regni, *Dominicæ autem Incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto anno*, in die cœnæ Domini, totius ſui principatus ſpiritualis ſeculariſve dignitatis Dominis, regnique ſui proceribus præſentibus, & de ejuſdem coronatione gaudentibus, more alias obſervato, magna cum ſolennitate, feliciter extitit coronatus.

Poſt hæc Mahumetem, Turcorum Cæſarem ſupradictum, in expugnatione dicti caſtri Jaicza, formidoloſo belli cum apparatu inſiſtenten; ſolo exercitualis ſuæ expeditionis ſtrepitu territavit, cunctaque machinarum & tormentorum genera, per eundem illuc apportata, ibidem relinquere, ac ipſum caſtro deſub eodem, victoriæ vacuum, fugere coegit. Demum, magna exhinc ſuorum facinorum gloria ſubſequente, quendam Bohemum *Swyhla* denominatum, virum in armis præſtantem, multo aggregario milite fortem, regni Hungariæ in deprædationem, ad oppidum *Koziholian* ſive *Szentwyd* munitione ſibi præparata, novas res molientem; in forti manu circumvenit, expugnavitque, ac captum, pluribus ſuis cum complicibus, in furca ſuſpenſum, ventorum flatibus expoſuit. Ceteros etiam ejus comites, qui capti fuere, plurimos, tabido ſuorum carcerum fœtore, fecit ſuffocari. Tandem, univerſis partium re-

Digitized by Google

regni Transſilvanarum nobilibus, omnique vulgo, dementia ductrice, ſuum regium contra culmen rebellione moto; dum ſibi novum principem elegiſſent, multaque convoluti in agmina aciebus ordinatis, regiæ Majeſtatis introitum prohibere niterentur: mox Dominus Rex, ex adverſo, velut turbo quidam vehemens, ſuis ferratis cum aciebus, licet impar milite, irruit ſuper illos. Illi quidem, manibus minime conſertis, terrore nimio percuſſi, velut feræ quædam indomitæ, viſo leone, fugerunt. Quos tandem Dominus Rex, ſui arbitrii juxta libitum, domitavit. Propter quod nonnulli illorum, ea de cauſa, quam ſubierunt, deflent ruſticitatem uſque in hunc diem. Abhinc vero milite quiete minime recreato, *Moldaviam* verſus, puta regionem ſacræ coronæ regni Hungariæ ſubjectam, tunc rebellem, ſuorum flexit habenas equorum. Dum igitur Alpibus tranſitis, magnam terræ ejuſdem partem, in forti manu peragraſſet; & in quodam regionis ejuſdem oppido, *Banya* vocato, cuncta ſua cum gente hoſpitium accepiſſet: *Stephanus Wayvoda*, earundem partium Dominus magna vi ſui populi coadunata, noctis in conticinio, regium irruit ſuper exercitum, ſuccenditque oppidum, & Hungaros, tum ſomno, tum vino occupatos, ad arma excitavit. Elegerat enim Stephanus Wayvoda, nocturna ſub umbra, regium adoriri exercitum; ut, ſi in prœlio deficeret, ſaltem temporis obſcuritas illi auxilio fieret. Fefellit tamen eum ſua opinio. Nam ſubito Rex, cuncto ſuo exercitu, in tympanorum tubarumque ſono convocato; & tum luna, tum vero dicti oppidi incendiis radiantibus, furibundo cum impetu irruit ſuper illius agmina: ac poſt multam utriuſque partis decertationem, poſtque maximam in Walachis factam ſtragem, Stephanus Wayvoda, terga dare eſt coactus. Quapropter Rex, triumphum præclarum atque memorabilem obtinuit. Unde & vexilla plurima, in ſignum inclytæ victoriæ ſuæ, Budam uſque adduxit; quæ magna cum celebritate, in Parochiali glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Eccleſia, locata cernuntur etiam hodie. Hanc tandem victoriæ ſuæ poſt gloriam, Dominus Rex, ad inſtantiam ſanctæ matris Eccleſiæ, tum ad preces Frederici Romanorum Imperatoris, contra hæreticos *Huziſtas*, in *Moravia* & in *Bohemia*, ſeptenne continuavit bellum: ac ſemper victor evadens, omnem *Moraviæ marchionatum*, cunctamque *Zleſiam*, ſed & *Luſatiam*, ſuæ ditionis efficiens, in *Regem Bohemiæ* eligi, & illarum terrarum dominio & principatu frui, dignus fuit. Propter quod, in tam celeberrimæ electionis ejus decorem & dignitatem, in civitate Olomucenſi, hymnus iſte infra ſcriptus, nova editione extitit decantatus.

Digitized by Google

Maximo cultu veneranda cuique
Egimus nonis Maji jocunde
Feſta victricis crucis & beatæ
Digna repente.

Congredi gentes patriæ Bohemæ,
Præſules veræ fidei, Barones,
Urbium ſanas licuit cohortes
Chriſticolarum.

Colle conſtructum prominente templum
Olomucenſe; laiciſque claris
Perſtrepit votis Domino repletum
Religioſe.

Creditur ſacrum precibus vocatum
Pneuma, tot rectis animis dediſſe,
Publice clamant: placet eligatur
Ecce Matthias.

Clara delectus cito vota ſumit.
Cælicis juſſis præcibuſque terræ:
Mente diſcuſſus pie Chriſte pro te
Flexus obedit:

Laudibus dignus placito Matthias
Addit aſſenſu diadema regni
Præpotens: regno & titulum Bohemi
Pannoniarum.

Xeniis Jeſu referamus omnes
Gloriam cantus; ſtrepat & tubarum
Clangor ut nobis veniat vir æquus,
Terror in hoſtes.

Iſte

Digitized by Google

Iſte Rex, noſtros animos fideles
*Allevet preſſos: reprimatque, * mactet*
Cum ſuis ſectis hæreſes iniquas
Quam vehementer.

Xantus humentem citius liquorem
Linquet, arcturus jaciet & axem:
Quam Dei cauſam populoſque princeps
Deſerat ob te.

CAPUT LXVII.

De Infidelitate quorundam Dominorum Hungariæ contra Dominum Regem Matthiam commiſſa, & de victoriis ejuſdem Domini Regis quibuſdam.

Domino Rege, ea tempeſtate, res ſuas erga regnum Bohemiæ ſorte felici dirigente; quidam Dominorum Hungariæ, hi autem maxime, quos ſua benevolentia extulerat in altum, potiſſime vero Domini uterque *Joannes*, alter *Strigonienſis Archiepiſcopus*, alter vero *Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis*, in Sclavonia, humilis ſub tecto nobilitatis geniti, Regia beneficia ingrata tractantes recordatione, nedum res illius in Bohemia non perturbaſſent, verum & Regem ipſum, ſceptro regimineque Hungarico ſpoliare conati, illuſtrem *Kaſimirum*, Kaſimiri Regis Poloniæ natum, gente & armis Polonicalibus ſuperbum, regium in opprobrium, per terram *Scepes* in regnum induxere, & *caſtrum Nitrienſe*, illius tradidere ad manus. Hunc Dominus *Rex Matthias*, ſuſpecti militis fretus præſidio, caſtro in eodem obſedit; obſeſſumque, poſt nimium Polonorum interitum, armis & fame adeo fatigavit, ut ſimul cum ſuis de ſalute deſperaret, & proprii capitis damnum magis, quam rerum timere cogeretur. Et amplius Dominus Rex illum fatigaſſet, ſi in ſuo milite non dubitaſſet, ipſumque Kaſimirum, noctis obſcuritas, ſuæ regiæ obſidionis e medio non ſubtraxiſſet. Tali ergo ſorte, Kaſimirus, ſimul cum ſuis in Hungaria militans, nedum ſceptro potitus fuiſſet Hungarico; verum ſuo in reditu, ſuum ad genitorem, vix propriam ſalutem reportavit. Poſt hanc tandem tam ſolennem ſuam victoriam, Dominus Rex, ſuper munitiones Polonorum, in *Zemplinienſi* & *de Sáros* comi-

Digitized by Google

tatibus, per eoſdem; earundem partium in moleſtiam erectas, irruit, expugnavitque eaſdem, & funditus evertit; ac Polonos, qui illas tutabantur, gravi calamitatis captivitate mancipando, ad declarandum ſui triumphi gloriam, *Budam* uſque miſit. Dehinc ad exigendam ſuarum injuriarum talionem, in Poloniam, exercitum ſuæ gentis copioſum, in magno armorum ſtrepitu deſtinavit; infandaſque regno in eodem, in flammis, direptioneque rerum multa, ſui opprobrii pœnas exigere fecit. Audivit demum, Regem Poloniæ Kaſimirum ſupradictum, in Sleſianas partes novas res moliri. Congregato igitur, tum aulicorum ſuorum, tum vero ſtipendiarii militis exercitu haud ſimili, quem Rex Poloniæ contra eum ducebat; progreſſuſque intravit Sleſiam, & *civitatis Uratislavienſis* juxta muros, ſtativa poſuit caſtra. E converſo vero Rex Poloniæ, omnem ſui dominii ad arma valentem manum, Polonos ſcilicet, ac Ruthenos, Lithwanos, & Tartaros, in unam redigens expeditionem, venit; & a caſtris Hungaricis, per unum miliare vel citra, cunctam ſuorum caſtrorum vim locavit. Et quamvis tantus populus, Domino Regi Matthiæ ejuſque genti terrori eſſet: non ergo in fugam lapſus eſt; ſed quid hoſtis præſumeret, cogitabundus revolvebat. Tranſierunt igitur certi dies, & nec eiſdem currentibus, Rex Poloniæ aut ejus miles, Hungarica adoriri, vel videre caſtra auſus fuit. Dominus vero Rex, non æqualiter cum illo, ſuæ expeditionis navavit officium. Nam mox, poſtquam Regem Poloniæ erga arma deſidia duci vidit; campo deditus, hoſtilia turbabat caſtra. Equidem & milites ejus, de caſtris, velut veſpæ quædam egredientes, Polonos, victualium quæſtui deditos, interficiebant & captivabant; ac glomeratim regia ad caſtra, adeo & in tanta quantitate impellebant, quod captivati captivantibus faſtidio erant. Commiſſum fuit ergo per Dominum Regem, ne captivarentur, niſi quos præſtantia captivitate dignos judicaret: ceteri vero captivi, ſi qui occurrerent, in altera tantum parte faciei ſecari, & tandem dimitti deberent; ut cum ad propria redirent, quod Hungaros viderint, cicatrix illis teſtimonio fieret. Bina præterea, Dominus Rex, Regis Poloniæ caſtra, eidem opem victualium ferentia, profligavit pariter & diſſipavit. Miſſoque inter hæc magnifico viro *Stephano de Zápolia*, comite Scepuſienſi perpetuo, ſummo ſuæ expeditionis capitaneo, ſui exercitus quadam cum parte, in Poloniam, tunc militis cuſtodia orbatam; in illa maximas vaſtitates, ferri & ignis miniſterio, edere fecit. Talium igitur incurſuum procellis, Dominus Rex Matthias, Regem Poloniæ agitatum, adeo fatigavit; ut ipſe Rex Poloniæ, in populo, & equis, præ fame macerie afficeretur, pacemque potius, quam bellum expeteret. Poſtea utriſque Regibus, in campo,

ten-

Digitized by Google

tentoriorum hanc ſolum propter cauſam extentorum ſub umbra, pari cum milite convenientibus: pax illa peroptima, quæ armis componi nequivit, Regum eorundem præſentia compoſita eſt. Ubi & Dominus Rex Matthias, Regem Poloniæ, ſuum in papilionem introductum, cunctis ejuſdem Regis Poloniæ comitibus, Polonis, ſed & Ruthenis, Lithwanis, & Tartaris; Domini Regis Matthiæ tum dignitatis liberalitatem, tum ſui directionem admirantibus & ſtupentibus, delicata tractavit hoſpitalitate. Tandem abhinc rediens, caſtrum Turcorum *Sabacz* denominatum, ad littus fluminis *Zave*, per eoſdem, ex lignis terraque multum curioſe perforti opere præparatum, turribuſque ac foſſatis, & vallibus, nec non milite non minus munitum, diro hyemis ſub rigore, obſedit & expugnavit (1). Nec aliquando Mahumetes ille magnus, cujus framea popercit nulli, vires Regis hujus, campeſtrali certamine tentare auſus fuit. Cum & deſub caſtro Jaycza, ut præmiſſum eſt, deque Moldavia, ejuſdem ante gladium fugerit vehementer; experſque ſui voti, ſuam redierit in terram: victorioſum quidem hunc hominem, ut ſecundum Attylam, reddidere fata. Domus tavernicalis, & menſa Regis hujus, tantis ornatibus & clenodiis, tantis apparatibus, tantiſve aureis & argenteis nitet vaſis & poculis; ut

(1) Hic in utraque noſtra editione Brunnenſi, & Auguſtana, inſerta leguntur ſequentia: *Poſt hæc, delecti egregiique militis conflata peroptima expeditione, ratiocabili cauſa ducente, Dominica Romanorum Imperatoris Frederici, in forti manu aggreſſus eſt. Ubi, licet pluries decertatum ſit: ſemper tamen Dominus Rex, triumphi gloria potitus, omnes pene civitates Ducatus Auſtriæ, in Styria quoque ac in Carinthia multas, tutrici viro, armiſque & opibus divites, ac murorum ambitu, & turrium crebritate pulchras & fortes, vi cepit; caſtra munitiſſima expugnavit, terramque & aquam earundem regionum, ſuæ ſubdidit dominationi. Inter quas & civitates illas celeberrimas famoſaſque, Wiennam ſcilicet & novam, mœniorum amplitudine altitudineque ceteris præſtantiores, civium dignitate ac conſilio præclaras, rerum abundantia opulentas, ſitus amœnitate, & tam intrinſecis, quam ſuburbanis deliciis inſignes, nulla omnino hominum ætate, per quempiam Regum vel Imperatorum expugnatas, vi cepit. Splendidoque ſuorum cum apparatu eaſdem ingreſſus, civibus earundem ſibi reluctantibus, poſt illarum captionem, ex innata ſibi clementia & pietate, in rebus & perſonis pepercit. Unde & civitate Wiennenſi in eadem, poſt ſui captionem in laudem ejuſdem Domini Regis Matthiæ, hoc carmen metricum extitit editum:*

Diſcite, mortales! nimium non fidere muris,
Mœnia quid valeant, capta Wienna docet!
Strenua quid poſſit virtus, & dextera Regis,
Exemplo monſtrat clara Wienna ſuo.
O miranda nimis placidi clementia Regis!
Lædere non novit; vincere cuncta ſolet.

Præfulgida, Rege de hoc, per orbem fama volat; & enſis illius, vicinis regionibus terrori eſt. Nec aliquando &c. ut ſupra.

Digitized by Google

nullus Regum Hungariæ, in his rebus, tam glorioſus fuiſſe credatur. Huic rei teſtimonio eſt nobilis illa diæta, inter ipſum Regem ac illuſtrem Uladislaum, Regis Poloniæ natum, in civitate Olomucenſi celebrata. Ubi idem Dominus Rex, tantas rerum novitates, in gemmis & lapidibus pretioſis, ac in auro & argento, vaſis ſcilicet & poculis, ceteriſque menſarum ac domorum regalium ornamentis, in multitudine admiranda & inviſa, ejuſdem civitatis in palatiis, humano viſui exhibuit intuendas; ut quondam Perſarum Babyloniæque Rex Aſſuerus, in memorabili illo convivio ſuo, ſui regni principibus, vix tantarum gloriam rerum oſtendiſſe cogitetur. Innumeram autem multitudinem ingeniorum, bombardarum, machinarum, ceterorumque tormentorum, quæ ipſe Dominus Rex, in ruinam hoſtilium munitionum & caſtrorum, in ſua expeditione deferre ſolet, quis enarrare queat? cum omnia ſimul, uno & eodem in loco, viſa ſint per neminem. Dici tamen poteſt, quod & in his rebus, omnes Chriſtianitatis Reges ſupergrediatur. Multa & varia de hoc Rege narranda eſſent, quæ, ſui præ magnitudine, præ novitateque rerum, vivacitate ſunt digna: ſed cum ſuorum ingentium facinorum gloria, ſingularem ſtylum & hiſtoriam, majoremque me præter præconem expoſtulet; ea, quæ Rege de eodem amplius ſcribentur, de temeritate, quæ me ad præmiſſa exaranda coegit, veniam rogitans, meis auctoribus linquo, qui eadem ſtylo altiori digniorique perſequentur, omnia particulatim, prout acta fuere (1).

III.

(1) Utraque præfata Edit. hic continuat: *Sed & inimicitias, quæ Regem adverſus Romanorum Imperatorem conciterunt, plenius enarrantes.* Edit. Brun. ſubdit: *Deo gratias.* Auguſtana vero: *Finit Chronica Hungarorum. Sequitur ingreſſus Tartarorum.*

Digitized by Google

III. M. ROGERII HUNGARI,

VARADIENSIS CAPITULI CANONICI,

MISERABILE CARMEN,

SEU HISTORIA

SUPER DESTRUCTIONE REGNI

HUNGARIAE TEMPORIBUS

BELAE IV. REGIS,

PER TARTAROS FACTA:

AD FIDEM DUARUM, QUIBUS HOC OPUSCULUM ANNEXUM EST, ANTIQUARUM EDITIONUM THUROCZII, BRUNNENSIS, ET AUGUSTANÆ DE ANNO MCCCCLXXXVIII. NUNC ITERUM RECOGNITUM ET EMENDATUM.

EPISTOLA

MAGISTRI ROGERII

In Miſerabile Carmen, ſuper deſtructione Regni Hungariæ per Tartaros facta, editum,

Ad Reverendum

DOMINUM JOANNEM,

Peſthenienſis Eccleſiæ Epiſcopum, feliciter incipit.

Licet, ut liqueat Dominationi veſtræ, ingreſſus & proceſſus Tartarorum, Hungariam intrantium, in ignominia Crucifixi, perniciem ſtragemque non minimam populi Chriſtiani, per præſens opuſculum, veſtro nomini reddi, de

Digitized by Google

de geſtis ipſorum, ſine falſitatis admixtione, collectum; quod cum diligentia perlegatis. Multa quidem invenietis in eo, quæ meo ſubjacuerunt aſpectui, plurimaque propriis palpavi manibus: nonnullaque, a fide dignis didici, in quorum illa fuerunt præſentia perpetrata. Si autem interdum reperietis aliqua, quæ ſenſui hominum cernantur terribilia & horrenda; me ſcriptorem & res minime admirentur: ſed gratias referant Regi Regum, qui ſuæ oblitus miſericordiæ, ſuo angariato populo non pepercit. Nam a regalibus ſedibus, in exterminii terram proſilientibus, limo eorum oculos non linivit: imo exacuit gladium velut fulgur. Viſitavit iniquitates eorum, non in baculo, ſed in virga: & peccata non fomentis lenibus, quibus ſuos conſueverat conſolari; ſed in verberibus & in ira, ſubſanando eos, cum irriguit calamitas repentina ſic, quæ Hungaria plena populo, ſedet ſola. O dira crudelitas! facta eſt Hungaria libera ſub tributo. Proh dolor! non fuit in tanto exitio, qui conſolaretur eam, ex omnibus charis ejus. Rogo igitur & affectuoſe depoſco, quatenus, cum de vita & ipſorum moribus atque pugna deſcribere voluerim veritatem, ſi de triſti materia & horrenda, flebilis inire compulſus ſum mœſtos modos: vos, vel quiſque lector, rectam conſcientiam, falſis opinionibus non ſupponat; quod præſumtuoſa temeritas, patefecit aditum illicitis auſibus vel nocivis. Quia non ad deprehenſionem cuiquam vel derogationem; ſed ad inſtructionem id potius examinavi: ut legentes intelligant, & intelligentes credant, credentes teneant, & tenentes percipiant, quod prope ſunt dies perditionis, & tempora properant ad

non

Digitized by Google

non esse. Et sciant cuncti, hæc me temere non referre; quod quisquis ad manus ipsorum devenerit Tartarorum, si natus non fuisset, melius esset ei: & sentiet, se non a Tartaris, sed in Tartaro detineri. Hoc refero ut expertus. Fui enim per tempus, & dimidium temporis, inter eos; in quo mori solatium extitisset, sicut supplicium fuit vita.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Intentione Regis Belæ.

Cum *Bela Rex Hungariæ*, inter principes Chriſtianos, Zelator Catholicæ fidei noſceretur: ad inſtar progenitorum ſuorum, Stephani, Emerici, Ladislai, & Colomani Regum, qui Sanctorum catalogo ſunt adſcripti, inter alia pietatis opera, quæ ipſe in propatulo, ut benefaciendi exemplum præberet, & alia, quæ in conclavi, ut ora iniqua loquentium contra eum obſtrueret, exercebat; in mente geſſit aſſidue, pravas & extraneas nationes, ad gremium Eccleſiæ matris attrahere, ut animabus Deo quam plurimis lucrifactis, ſuam facilius deduceret lucrifactam ad æterna gaudia beatorum.

CAPUT II.

Quomodo Rex Bela introduxerit Regem Comanorum in Hungariam.

Igitur *anno MCCXLII. ab Incarnatione Domini* ſic evenit, ut *Kuthen* Comanorum Rex, ad dictum Regem, ſolennes nuntios deſtinaverit; aſſerens, ſe multis annis cum Tartaris pugnaviſſe, ac obtinuiſſe duabus vicibus victoriam contra eos, tertia vero vice, cum exiſteret imparatus, terram ſuam ſubito intraverint, ita ut ipſo habere exercitum nequeunte, eum dare terga oportuerit Tartaris ſceleratis: & ſic magnam partem terræ ipſius, hominibus interemtis, hoſtiliter deſtruxerint; propter quod, ſi vellet ipſum ſuſcipere, ac in libertate tenere, ſe & ſuos paratus eſſet ei ſubdere, ac cum conſanguineis, fratribusque & amicis ſuis, rebuſque & bonis mobilibus omnibus, in Hungariam intrare, & ipſam in fide Catholica imitari. Quo audito, Rex repletus eſt gaudio magno valde; tum pro eo, quod talis princeps, ei quaſi par, hactenus ejus ſe volebat ſubjicere ditioni; tum quia poterat ad effectum ducere præconcepta, lucrifaciendo tot animas Jeſu Chriſto: & ſic licentiatis nuntiis, non minimis muneribus honoratis, ad dictum Kuthen Regem tranſmiſit ſuos nuntios, & *Fratres Prædicatores* cum eiſdem; mandans, quod ipſum & ſuos paratus eſſet recipere, & petita concedere, juxta ſuæ beneplacitum voluntatis. Quid plura? nuntiis hinc inde ſæpius deſtinatis; prædictus Kuthen

cum

Digitized by Google

cum ſuis, iter arripuit in Hungariam veniendi. Rex vero, in potentatu mirabili, uſque ad confinium terræ ſuæ, obvius ei fuit, tot eximia, & tot honores ei & ſuis faciens; ut ab incolis terræ illius, a tempore, cujus non extabat memoria, factum non fuerit neque viſum. Tandem, cum propter multitudinem, in loco commode morari non poſſent; pro eo, quod erat gens dura & aſpera, ſubdi neſcia: ne offenderent Hungaros, vel offenderentur ab ipſis, dabat eis de principibus ſuis unum, qui eos conduceret; & expenſas omnibus, qui præter ipſorum familias, circa quadraginta millia dicebantur, faceret exhiberi, uſque ad mediculum terræ ſuæ.

CAPUT III.

De Odiis inter Regem & Hungaros, & primo de cauſa odii prima.

Cum autem Rex Comanorum, cum ſuis nobilibus & ruſticis, cepit Hungariam peragrare; quia jumentorum habebant armenta infinita in paſcuis, ſegetibus, hortis, virgultis, vineis, & aliis, Hungaros graviter offendebant. Et quod horribilius erat eis, cum eſſent ſilveſtres homines, virgines pauperum abominabiliter opprimebant, & thorum potentium, quando fieri poterat, maculabant: licet mulieres ipſorum, tanquam viles, ab Hungaris proſternerentur. Et, ſi in rebus vel in perſona, Comanum Hungarus offendebat; ſtatim de ipſo fiebat juſtitiæ complementum, ſic ut alius ſimilia facere non auderet. Si vero a Comano Hungarus lædebatur, illi de ipſo juſtitia non fiebat: & ſi quando inſtare volebat, pro verbis interdum verbera reportabat. Et ſic inter populares & Regem, odium eſt generatum.

CAPUT IV.

De ſecunda odii cauſa inter Regem Belam & Hungaros.

Licet digreſſionem faciam aliquam: tamen ut legentes intelligant, & audientes non ignorent, deſtructionis Hungariæ fundamentum; revertar quantocyus ad ſtylum inceptæ materiæ proſequendum. Bonæ memoriæ Rege Andrea, genitore iſtius Belæ Regis, mortis debitum perſolvente: ſubito Rex

Digitized by Google

cum regni Principibus & Nobilibus, venit Albam regiam civitatem, & ibi, poſtquam per manus Strigonienſis Archiepiſcopi, prout moris eſt, regali diademate extitit coronatus; quoſdam de ſuis Baronibus, qui patri adhæſerant contra eum, compulit exulare; quoſdam carcerali cuſtodiæ, quos habere potuit, mancipavit; quendam de Majoribus, Dionyſium Palatinum, privari fecit lumine oculorum. Quædam autem ſtatuta ibidem faciens, juſſit promulgari: ut terra, malis hominibus, qui abundabant plurimum, expurgaretur. Baronum quoque præſumtuoſam audaciam reprimendo, præcepit, ut exceptis ſuis Principibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ſi aliquis baronum, ſedere in ſede aliqua in ſua præſentia auderet, debita pœna plecteretur; comburi faciens ibidem ipſorum ſedes, quas potuit invenire. Quod cognati exulum, & captivorum amici, ſibi etiam timentes in poſterum, pro malo non modico habuerunt. Exinde inter eos ſcandalum eſt ortum.

CAPUT V.

De tertia odii cauſa.

Præterea nobiles, cum cordis amaritudine referebant: quod, cum ipſi vel progenitores eorum, contra Ruthenos, Comanos, Polonos, & alios, in expeditionem a Regibus ſæpius eſſent deſtinati, & aliqui eſſent ibidem gladio interemti, aliqui fame mortui, aliqui carceribus mancipati, & aliqui diverſis tormentis afflicti; Reges, qui pro tempore fuerant, revertentibus, vel captivorum propinquis, recompenſationem congruam faciebant, villas, poſſeſſiones, & prædia concedendo eis, in perpetuum poſſidenda. Hic autem, non ſolum eis non addidit aliquid; ſed conceſſa ad jus & proprietatem cujuſque, ſine diminutione aliqua revocavit. Hic eſt dolor, hic eſt gladius, qui transfixit animas Hungarorum. Nam qui erant divites & potentes, & ſecum habebant multitudinem effrenatam, vix ſe ſolos poterant ſuſtentare.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De quarta odii cauſa inter Regem Belam & Hungaros.

Item ſæpius conquerebantur, quod Rex contra regni conſuetudinem, in depreſſionem eorum, prout voluit, ordinavit: quod, qualiſcunque eminentiæ fuerint Nobiles, in ejus curia negotium movere, aut ei oretenus loqui nequiverint, niſi ſupplicationes cancellariis porrigerent, & exinde finem negotii expectarent. Propter quod plerique, pro minimo tantum in curia tenebantur, ut equos & res alias pro expenſis expendere cogerentur; & multoties, non expeditis negotiis, recedebant. Nam cancellarii, ut dicebant, pro eo, quod niſi per ipſos requiſitos Regi loqui poterant, deprimebant & ſublevabant aliquos, ut volebant. Propter quod illos ſuos Reges eſſe, generaliter & publice fatebantur; & Regem alium non habere ſe, dicebant.

CAPUT VII.

De quinta odii cauſa.

Hoc aliud referebant, quod præter vel contra eorum conſilium, & ad depreſſionem & confuſionem eorum, Comanos adduxerat. Quod patebat ex eo, quia quando ipſi vocati vel non vocati, ad curiam accedebant; copiam videndi Regem non habebant, niſi a remotis: & illi ſolum per interpretem loquendi habebant facultatem. Et ſi minimus Comanus accederet, ſtatim ut patebat aditus, intrabat; & Comanos tam in ſeſſionibus, quam conſiliis, & in omnibus, Hungaris præferebat. Propter quod, tanta indignatio, erat eis; ut vix poſſent tolerare: & licet non exprimerent; ad ipſum tamen bonum cor & animum non habebant, nec pro ipſo pacis conſilia cogitabant.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De reſponſione ad primam odii cauſam.

Fautores autem & faventes Regi, juſtificare ipſum in omnibus nitebantur, ſic ad præmiſſorum ſingula reſpondentes. Comanis introductis, cum per fide dignos, ad Regis notitiam perveniſſet; quod per Comanos Hungari gravarentur: Principibus, Baronibus, Comitibus, & Comanis omnibus, circa *monaſterium de Kew*, circa *Ticiam* convocatis, deliberatione diligenti, communi conſilio eſt ſancitum; quod Nobiles Comanorum, cum ſuis famulis, diviſim, per ſingulas Hungariæ provincias mitterentur, & moram quilibet in provincia traheret ſibi aſſignata, & ita cum multi ſimul non eſſent, gravamen inferre Hungaris non valerent. Et ſi Comanus Hungarum, vel Hungarus Comanum offenderet, comites quibus hoc ſub pœna gratiæ Regis injunctum fuerat, juſtitiam facerent æquivalentem: licet Comanis hoc, quod ſeparari deberent, plurimum diſpliceret. Et ſic ipſi poſtea, ſine offenſione cujuſquam cum ſuis tentoriis filtreis, jumentis pecoribus, terram vacuam Hungariæ peragrabant. Et cum eſſent multi & pauperes inter eos; habebant Hungari de eis, quaſi pro nihilo ſervientes: & ſic ſtatus eorum, magis ad commodum, quam incommodum erat eis. Ceſſare igitur debebat in hoc, malevolentia populorum.

CAPUT IX.

De reſponſione ad ſecundam odii cauſam.

Si Rex mortuo genitore, ſuſcipiens gubernacula regni ſui, quoſdam de majoribus fecit quæſtionibus ſubjici, & tormentis: ſanæ mentis non debet aliquis admirari. Nam iidem, inter ipſum Regem & patrem ejus, ſæpius ſeditionem & ſcandalum procuraverunt; ita, quod hinc inde ſæpius militia congregata, dimicare ad invicem voluerunt, niſi per tenentes medium inter eos, eſſent pacis fœdera reformata. Cum & ipſe Rex, ad patris curiam accedebat, iidem in nullo ei penitus deferebant; immo, dehoneſtare ipſum verbis & factis, in quantum poterant, nitebantur. Quod celari non poteſt. Et contra vitam patris & filiorum, nequiter conſpiraverant; ut illis gladio interemtis, facilius qui-

Digitized by Google

quilibet poſſet de Hungaria, quam ſibi per partes diviſerant, portionem ſibi debitam, ſine conditione cujuslibet, obtinere. Et cum concepta nequirent effectui mancipare, aliud nequius cogitarunt: Duci Auſtriæ, litteras cum certis pactis & conditionibus deſtinando; Domino Frederico Romanorum Imperatori, coronam Regni & Hungariam dare promittebant. Sed nuntius in via captus, Regi fuit cum litteris præſentatus. Unde conſervando ipſos ad vitam, miſericordia, quæ ſuperexaltat judicium, uſus eſt contra eos. Si vero ſtatuit, quod terra malis hominibus purgaretur; quam iniquitatem continet hoc ſtatutum? Si ſedes Baronum cremari fecerit; quæ iniquitas fuit iſta? numquid debent Domini ſubditis eſſe pares? igitur non erant juſti Hungari in hac parte.

CAPUT X.

De reſponſione ad tertiam odii cauſam.

De tertia cauſa odii, Regem taliter excuſabant. Eſt omnibus non ignotum, quod ſeptuaginta duos habet Hungaria Comitatus; hos, Reges Hungariæ bene meritis conferebant ſine injuria poſſidentis. Ex his comitatibus habebant delicias, divitias & honores, potentiam, altitudinem, & munimen. Sed per prodigalitatem quorundam progenitorum ſuorum, jura comitatuum erant adeo diminuta; ut meritis & demeritis perſonarum non diſcuſſis, eiſdem poſſeſſiones, villas, & prædia, ad comitatus pertinentia, in perpetuum contuliſſent: ex quo viros comites non haberent, & cum incederent, ſimplices milites, propter diminutionem comitatuum, putarentur. Qui autem potentiores erant, ſicut *Thaverntcus, qui & camerarius dicitur*, ac *dapiferorum, pincernarum*, nec non *agaſonum magiſtri*, & ceteri, qui habebant in curia dignitates; exinde in tantum incraſſati erant, ut Reges pro nihilo reputarent. Hic autem cupiens redintegrare coronam, quæ pæne parvæ potentiæ facta erat: licet plurimis diſpliceret; male tamen alienata, ſtuduit revocare, ad jus & proprietatem comitatuum, tam a ſibi contrariis, quam a ſuis. Licet non faciendo injuriam alicui, jure ſuo in omnibus uteretur: tamen de regalibus bonis, bene ac fideliter ſervientibus, remunerationem congruam faciebat. Unde quia uſus fuit jure ſuo; ceſſare debebat malevolentia Hungarorum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

De reſponſione ad quartam odii cauſam.

Cum eſſet propter diverſitates multiplices, & ritus diverſos, pæne totum regnum Hungariæ deformatum, & Rex ad reformationem ejus, totis viribus anhelaret; & implicitus rebus arduis, nequiret ſingulis audientiam benevolam exhibere: duxit deliberatione provida ſtatuendum, quod negotia ſuorum regnicolarum, deberent ad inſtar Romanæ curiæ, per petitiones, in ſua curia expediri; ſuis cancellariis ita mandans, quod per ſe, levia & ſimplicia negotia, expedirent quantocyus poſſent, ad ſuum auditorium, ardua & gravia perferentes. Hoc ideo faciebat; ut negotia, finem debitum, velociter ſortirentur. Sed malevoli, quod ad levamen oppreſſorum fuerat adinventum, ad iniquum compendium retorquentes: nodum in ſtupa, & pilum in ovo invenire, mendaciter ſatagebant.

CAPUT XII.

De reſponſione ad quintam odii cauſam.

Illud aſſerebant penitus falſum, quod Rex introduxiſſet Comanos, ad depreſſionem & odium Hungarorum: ſed ſolum propter hoc, ut cultus divini nominis, in Hungaria, ſuis temporibus augeretur; & ſic, quando ipſum, adverſus inimicos coronæ, guerram habere contingeret, contra eos, cum eis, fortius & durius dimicaret. Si autem Comanos, plus quam Hungaros honorabat; hoc ipſi ægre ferre non poterant, nec debebant. Nam decebat regiam dignitatem, introductos hoſpites honorare, maxime cum hoc eis promiſerit juramento, & ipſum in fide ſua ceperint imitari: & cum eſſent eis Hungari odioſi, ſolum Regem habebant in Hungaria protectorem. Nam *Kuthen* Rex Comanorum, per Regem; & quamplures alii, per majores & nobiles regni, fuerant baptizati: ita quod jam cum Hungaris connubia contrahebant. Et ſi Rex eis favorabilis non fuiſſet, ipſi in Hungaria non ſtetiſſent. Auditis autem hinc inde propoſitis, ſcriptor finem hujus negotii non imponit: lector ſi valeat, cauſam terminet, juſtitia mediante.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Interloquium ad continuandam narrationem.

His interpositionibus expeditis, scriptor stylum dirigit, ad tractandum inceptæ materiæ prosecutionem. Et si qui ipsum lingua mordere voluerint toxicata, dicentes, quod interpositiones hujusmodi nil ad rem pertinerent, & bene poterat esse sine illis: non est verum; quia hæc discordia, potissimus fomes fuit, quare Hungaria sic velociter est destructa.

CAPUT XIV.

De vulgari Hungarorum Opinione.

Anno igitur Domini evoluto, Hungaria, ad Regem in malevolentia existente: circa nativitatem Domini fama fuit, quod confinia Hungariæ, Rusciæ contigua, Tartari devastabant. Et quia Rex de hoc, per suos nuntios certus erat; ad custodiendum *Portam Rusciæ*, quæ *Montana* dicitur, per quam in Hungariam patebat aditus, misit majorem suum comitem cum exercitu Palatinum: & fecit per totam Hungariam proclamari: *Ut tam nobiles, qui servientes Regis dicuntur, quam castrenses & pertinentes ad castra superius nominata, se ad exercitum præpararent, ut essent, quando Rex mitteret, præparati.* Cum autem hoc per totam Hungariam clamaretur; Hungari præ nimio gaudio non credebant, asserentes, quod de Tartaris multoties insonuerat talis rumor, & sic semper viderent illum esse nullum: unde dicebant: *Multa renascentur, quæ jam cecidere.* Alii Asserebant, quod quidam de prælatis Ecclesiarum, rumores hujusmodi procurabant, pro eo, quod tunc temporis Romam non irent, ad concilium, vocati a Romano Pontifice, celebrandum; & talis opinio erat eis. Fuit tamen omnibus manifestum, quod *Ugolinus Colocensis Archiepiscopus*, pro se, ac quibusdam suffraganeis suis, Venetias miserat pro galeis; & fuerunt per Regem, contra voluntatem eorum, ab itinere revocati.

Alii vero quamplurimi fatebantur, ut haberent de Rege materiam obloquendi, quod *Comani*, societatem contraxissent cum Ruthenis; ut simul contra Hungaros, a quibus multa mala perceperant, & sæpius destructi fuissent,

Digitized by Google

dimicarent: & propter hoc, plus quam per annum, eos prædictus Kuthen cum ſuis prævenerat, ut conditiones terræ addiſceret, & linguam faceret ſibi notam; & cum introitum illorum perciperet, pugnam inciperet contra Regem; & ſic facilius illi portam poſſent obtinere, & ad ipſius Kuthen auxilium feſtinare; & ita citius aliquam partem Hungariæ devaſtare; gaudendo & mordendo Regem, pro eo, quod Comanos introduxerat, ut ſuperius eſt expreſſum. Et in hac opinione quamplurimi concordabant.

CAPUT XV.

De Conſilio Regis contra Tartaros.

Cum ergo poſtmodum verſus quadrageſimam pergeret iter ſuum, magis ac magis fama hujuſmodi crebreſcente; Rex, ad quandam villam, quæ *Buda* dicitur, ſuper ripa Danubii poſitam, in qua conſueverat quadrageſimam celebrare, pro eo, quod dicebatur locus communior, properavit. Et Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis regni majoribus convocatis, deliberabat aſſidue, qualiter poſſet de tanto negotio providere: monens & hortans eos ſæpius, quod quilibet haberet ſuos ſtipendiarios milites præparatos. *Kuthen* vero, qui cum uxore, filiis, filiabus, & quibuſdam ſuis majoribus, tanquam ſuſpectus, & ſceleris conſcius, a Rege fuerant convocati; communi deliberato conſilio, curialiter, ne poſſent manus ipſorum effugere, cuſtodiæ fuerunt mancipati.

CAPUT XVI.

Quid fecerit Rex Bela, cum per Palatinum de introitu Tartarorum certificatus fuit.

Circa vero medium quadrageſimæ, venit ad Regem curſitando, unus de militibus Palatini, ex parte ipſius referens, quod jam ad portam Ruſciæ pervenerant, & indagines deſtruebant, & non credebant quod Palatinus poſſet eis reſiſtere, niſi Rex mitteret ei auxilium feſtinum. Rex adhuc incredulus, ſecum armatos milites non habebat. Et dum in anxietate hujuſmodi permaneret, quarto die poſtea, venit idem ſolus, qui nocte dieque curſitaverat, Palati-

Digitized by Google

tinus dicens: quod duodecimo die intrante Martio, in porta congreſſum habuerat cum eiſdem, & ſuis pene omnibus ſagittis & gladiis crudeliter trucidatis, cum paucis evaſerat; & quæ facta erant ſibi, venerat nuntiare. Sed licet Rex, de malis rumoribus non modicum obſtuperet; licentiavit tamen Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios ſuos comites & barones, eis præcipiens firmiter & diſtricte, ut quilibet, aggregata ſibi militia juxta poſſe, rediret ad ipſum, & ſine dilatione temporis feſtinaret, prout urgens neceſſitas, & manifeſta utilitas exigebat. Et præcepit *Magiſtro Stephano*, *Epiſcopo Wacienſi*, *Orodienſi*, & *Sancti Salvatoris Chanadienſi* Præpoſitis: quod ad Reginam feſtinanter accederent, & ad confinium Auſtriæ properarent, ibidem finem hujus negotii expectantes. Item, per ſuas litteras, rogavit Ducem Auſtriæ, ut ad ipſum accederet feſtinanter; & juſſit Comanis omnibus, ut venire ad ipſum aliquatenus non differrent. Ipſe enim, de Strigonienſi & Albenſi civitatibus, quæ ad unam tantum diætam diſtabant, exercitu congregato, confeſtim tranſivit Danubium, & in magna & ditiſſima Teutonica villa, quæ *Peſth* dicitur, Budæ oppoſita ex altera parte Danubii, moram traxit: ſuos ibidem, cum exercitu, expectans principes, comites, & barones.

CAPUT XVII.

Alia Interlocutio.

Pater & domine advertite Reverende! & quia, cum multa ſimul occurrerint, nequeunt dici ſimul; oportet igitur, ut uno dimiſſo negotio, in dicendo aliud aſſumatur.

CAPUT XVIII.

Sequitur rurſus Interlocutio.

Notate itaque nomina dominorum Tartaroum, & qualiter intraverunt in Hungariam, & aſtutiam eorundem; quia non dimittetur indiſcuſſus articulus, quin quilibet ſenſus debitus imponatur.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Nomina Regum Tartarorum in Hungariam intrantium.

Rex Regum & Dominus Tartarorum, qui Hungariam intraverunt, *Bathus* ſuo nomine vocabatur. Rector erat ſub ipſo, in militia potentior, *Bochetor* appellatus. *Cadan* in probitate melior dicebatur. *Coaclon*, *Feycan* (1), *Peta*, *Hermeus*, *Cheb*, *Ocadar*, majores Reges inter Tartaros cenſebantur: quanquam eſſent inter eos, alii Reges quamplurimi, principes, & potentes, qui cum quinquies centenis millibus armatorum, regnum Hungariæ invaſerunt.

CAPUT XX.

Quomodo Tartari Ruſciam & Comaniam deſtruxerint.

Hi autem, quando *Ruſciam* & *Comaniam* totaliter & unanimiter deſtruxerunt; retrocedentes ad quatuor vel quinque diætas, intacta confinia Hungariæ continua dimiſerunt: ut cum reverterentur, tam pro equis, quam pro ſe, victualia invenirent, & rumores ad Hungaros minime pervenirent. Cum quidam victualia dictorum regnorum conſumſiſſent, & Hungariam proponerent occupare; *Bathus* major Dominus, dimiſſa tota familia, ſolus cum ſuis militibus, & non multis, ad dictam *Portam Ruſciæ*, quæ propior erat ad locum, in quo Rex congregabat exercitum, recto tramite properavit, & expugnato exercitu Comitis Palatini, eandem portam obtinuit, & intravit. *Peta* Rex, per *Poloniam* dirigens greſſus ſuos, uno ab ipſo de Ducibus Poloniæ interfecto, & deſtructa *Uratislavia* civitate nobiliſſima, & ſtrage facta mirabili, ac in terram *Ducis Moraviæ*, aliis Ducibus præſtare ſibi auxilium nequeuntibus, ſimili crudelitate pervadens; ad *Portam Hungariæ* feſtinavit. Rex *Cadan*, inter *Ruſciam* & *Comaniam*, per ſilvas, trium dierum habens iter, ſive viam, pervenit ad divitem *Rudanam*, inter magnos montes poſitam Teutonicorum villam, Regis argentifodinam, in qua morabatur innumera populi multitudo. Sed cum eſſent homines bellicoſi, & armorum penuriam non haberent: audito ipſorum adventu, extra villam, per ſilvas & montes eis obviam exierunt. Cadan vero, reſpiciens multitudinem armatorum, terga dedit, fingens fugam ante eos.

Tunc

(1) Edit. Brunn. *Seycan.*

Digitized by Google

Tunc populi cum victoria revertentes, armis depositis, inebriari vino, prout Teutonicorum furia exigit, inceperunt. Sed ipsi Tartari subito venientes, cum fossata, muros, & munitiones aliquas non haberent; villam, ex multis partibus intraverunt. Et licet hinc inde fieret magna strages, videns populus, quod eis resistere non valebat, se ad fidem eorum totaliter reddiderunt. Sed Cadan, sub sua protectione villa recepta, *Ariscaldum* comitem, villæ cum electis sexcentis armatis Teutonicis, suis militibus associavit sibi, venire cum eis incipiens citra silvas. *Bochetor* autem cum aliis Regibus, fluvium, qui *Zerech* dicitur, transeuntes, pervenerunt ad terram Episcopi Comanorum, & expugnatis hominibus, qui ad pugnam convenerant, ceperunt terram totaliter occupare. Revertar igitur ad Regem Hungariæ, qui erat in dicta villa Pesth: ut processus ejus plenius describatur.

CAPUT XXI.

Qualiter Tartari processerint, postquam Portam habuerunt.

Postquam autem major Dominus Bathus, Portam habuit; cepit villas comburere, & gladius ejus non parcebat sexui vel ætati, & ad Regem, quantum poterat, festinabat. Et cum prope ad Pesth, ad mediam diætam, ante Dominicam de passione Domini, die Veneris, perveniisset; statim quosdam usque ad villam misit, comburendo, interficiendo, prout eis innata malitia ministrabat. Sequenti die misit alios vel eosdem, qui peragebant similia vel pejora. Sed Rex, exire ad eos aliquos, ad faciendum congressum, nullatenus dimittebat. Et illi, dum credebantur ire, revertebantur; & dum putarentur reverti, iterum ibant: diem in ludo totaliter expendentes. Cumque die Dominico facerent illud idem: *Ugolinus Colocensis Archiepiscopus*, hoc grave ferens quam plurimum, quod quidem quasi prædones, tot bonos homines confundebant, & gravius, quod Rex, sibi & suis pusillanimus videbatur. Propter quod, contra mandatum Regis, cum paucis de suis foras exiens, congressum habere voluit cum eisdem. Sed illi terga vertentes, paulatim retrocedere inceperunt. Hoc Archiepiscopus intuens, incepit eos equorum insequi pleno cursu.

Tandem terra paludosa reperta, illi velocius transierunt paludem. Hoc Archiepiscopus non advertens, cum proximus illis esset, festinus intravit; &

Digitized by Google

cum eſſet cum ſuis armorum pondere preſſus, tranſire vel retrocedere nequierunt. Sed illi, ad eos velocius revertentes, circumdederunt paludem; & in ipſos ſagittas velut pluviam emittentes, eoſdem ibidem totaliter necaverunt. Cum tribus autem vel quatuor evadens Archiepiſcopus, ſic confuſus, remeavit ad villam: non modicam iram habens, tam de ſuis perditis, quam de eo, quod Rex non fecit aliquem in ſui ſubſidium properare.

CAPUT XXII.

Quomodo fuit deſtructa Civitas Wazienſis.

In Dominica de paſſione, pars exercitus Bathi Regis Regum, acceſſit ad *Waciam* civitatem, poſitam ſuper ripa Danubii, ad mediam diætam prope ad villam Peſth, in qua Rex cum exercitu morabatur. Et capta civitate penitus & debellata; qui ad Eccleſiam & ad palatia Eccleſiæ, quæ erant quaſi caſtrum munita, recurſum habuerant; tam de civitate, quam de circumpoſitis villis, innumera populi multitudo: eos viriliter expugnaverunt, & theſauro Eccleſiæ habito, Canonicos & alias perſonas, dominas & puellas, quas noluerunt interimere gladio, in igne totaliter cremaverunt. Et ita in Dominica de paſſione, Wacienſes paſſi ſunt; ut cum Domino Jeſu Chriſto, partem habere mererentur.

CAPUT XXIII.

Quomodo Dux Auſtriæ inſultum fecerit in Tartaros.

Illud non eſt aliqualiter omittendum, quod *Dux Auſtriæ*, rogatus a Rege, venerat: ſed cum paucis, tanquam facti neſcius, & inermis. Et cum aliqui ex Tartaris, ad villam Peſth, more ſolito adveniſſent; armis & equis ſibi aſſumtis, obvius eis fuit. Et cum ſimul congredi debuiſſent; illi terga dantes, prout aſſueverunt, abibant. Sed Dux, ſubmiſſo equo ſubdens calcaria, quendam attigit, percutiens eum cum lancea taliter, quod lanceæ haſta fracta, de equo ipſum proſtravit ad terram. Alteri vero ipſorum *Caneſio*, id eſt Majori, volenti proſtrato ſuccurrere; armato more, juxta ſellam confeſtim arrepto mucrone,

Digitized by Google

crone, uno ictu brachium illius amputavit: qui ſtatim de ſella corruens, expiravit. Aliis in fugam converſis, proſtratum ceperunt; ipſum vinctum, cum equis ad exercitum adducentes. Propter hoc Hungari, aſſumta materia, exprobrare Regem, ac exaltare ipſum Ducem, unanimiter inceperunt.

CAPUT XXIV.

Quomodo Kuthen Rex Comanorum extiterit interfectus.

Cumque publica fama eſſet, quod *Kuthen*, qui cum ſuis, ut dictum eſt, prope ad Regem in cuſtodia tenebatur, eſſet tanti ſceleris non immunis; & adhuc, qui venerant, Comani, non Tartari crederentur: clamabat totus populus contra eum: *Moriatur, moriatur; ipſe eſt, qui deſtructionem Hungariæ procuravit.* Et pro ipſo Regi ſæpius exprobantes, dicebant: *Pugnet Rex noſter, qui Comanos in noſtrum odium introduxit.* Alii clamabant: *Pugnet Rex cum illis, quibus noſtra prædia ſunt collata.* Rex exprobrationibus frequenter auditis; miſit hominem ad Kuthen, ut ad ipſum accedere non differret. Sed Kuthen, qui crebro acclamationes populi audiebat, timens pœnam, licet eſſet immunis a culpa, mandavit Regi: quod ad ipſum nequaquam accederet, niſi ei talem hominem deſtinaret, cui eſſet potentia, ipſum ad eundem ducere, ac ipſum eruere de manibus populorum. Hoc Regi nuntio referente, clamor factus eſt magnus in populo: *Moriatur, moriatur.* Ac ſic ſubito Hungari & Teutonici armati, intrantes palatium, in quo erat, violenter ad ipſum accedere voluerunt: *Kuthen* vero cum ſuis, arreptis arcubus & ſagittis, ad ſe ipſos accedere non ſinebant. Sed populorum multitudine accedente, ceperunt eoſdem; & cunctis in inſtanti capitibus amputatis, ea in populos per feneſtras de palatio projecerunt. Quidam autem volunt hoc facinus *Duci Auſtriæ* imputare. Ab aliis vero, de mandato Regis dicitur eſſe factum. Tamen, poſtquam pro certo eſt compertum, quod *Kuthen* hujus nequitiæ eſt expers: aſſerunt hoc veriſimile non eſſe, quod Rex, qui ipſum de ſacro fonte levaverat, & ſecuritatem ei dederat, præſtito juramento, tantum facinus perpetraſſet. Nolo quidem ego, qualiter hoc actum eſt, diffinire; diffiniat ille, qui novit: & pœnam vel gratiam, unicuique juxta opera ſua reddet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Quid fecerint Comani audita morte Regis ipſorum, & qualiter Rex Bela contra Tartaros proceſſerit.

Tartaris itaque die noctuque in circuitu villas comburentibus; inſtabat Colocenſis Archiepiſcopus apud Regem, ut exiret cum exercitu contra eos. Igitur Duce Auſtriæ recedente, maxime cum major regni exercitus adveniſſet; Rex cum exercitu motus exiens, incepit paulatim procedere contra eos. Cumque Comani, vocati contra Tartaros, ubicunque eſſent, in Regis ſubſidium unanimiter advenirent: audita morte ipſorum Domini Kutheni, turbati ſunt graviter & commoti; quid deberent agere ignorantes. Cum autem rumor de morte ejuſdem increbuiſſet, Hungari villani, odioſi eis, ubique contra eos inſurgere ceperunt, ſpoliando & interficiendo eoſdem, ſine aliqua pietate. Qui cum taliter inſpicerent ſe perimi; inſimul congregati, non ſolum ſe defendere inceperunt; ſed villas comburere, & ruſticos viriliter expugnare.

CAPUT XXVI.

Quomodo evaſerit Chanadienſis Epiſcopus manus Comanorum.

Sed cum *Bulzo Chanadienſis Epiſcopus*, & *Nicolaus* filius *Boræ*, cum nobilibus multis, uxores, filios, filias, & familias, ad partes ſuperiores conducerent, ut poſtmodum ad Regis exercitum feſtinantes accederent: contra obviantes Comanos, inceperunt pugnam duriſſimam; qui eis reſiſtere nequeuntes, ſunt quaſi omnes gladio interemti. Epiſcopus tamen, cum paucis, in curru jacens infirmus, dum pugna fieret, eſt longius aſportatus. Comani vero, ut Tartari, terram poſtmodum deſtruentes, & convenientes in unum, ex iſta parte Danubium tranſierunt; & ſic deſtruendo, inceperunt ad *Marchiam* properare. Illi autem de Marchia hoc ſcientes, convenerunt in unum, eis obviam exeuntes, congreſſum cum eis, in finibus Marchiæ habuerunt: & ſuperati ab eis, præveniebant unus alium fugiendo; & ſic Comani, ceperunt Marchiam nequiter expugnare, mortem ſui Domini crudeliter vindicantes. Nam cum interficiebant Hungaros, dicebant: *Hunc ictum ſufferas pro Kutheno.* Et deſtructis melioribus vil-

Digitized by Google

villis, ſcilicet *Frankâ*, villa ſenatoria Sancti Martini, & aliis; & recepta multa pecunia, equis, & pecoribus, deſtruendo terram, in *Bulgariam* tranſierunt.

CAPUT XXVII.

Quomodo Waradienſis Epiſcopus per Tartaros extitit deceptus.

Benedictus quidem *Waradienſis Epiſcopus*, pro ſe, de mandato Regis, magno exercitu congregato, volens in ipſius ſubſidium accedere; intellexit, quod Tartari *civitatem Agrienſem* deſtruxerant: hominum de civitate, & aliorum, qui ad defenſionem ipſius convenerant, aliis combuſtis, aliis gladio interemtis, ſpolia, theſaurum Epiſcopi & Eccleſiæ, exinde aſportabant. Vnde ſumens audaciam, pro eo, quod paucis diebus elapſis, congreſſum cum paucis eorum habuerat, & prævaluerat contra eos; incepit poſt ipſos, dimiſſo exercitu, feſtinare, ut ſibi poſſet fragmenta colligere, ne perirent. Hoc Tartari præſcientes, finxerunt ſe ire longius, & ſteterunt. Et cum haberent equos plurimos, & ipſi pauci exiſterent; figmenta talia ordinaverunt. Fecerunt autem larvas & monſtra quam plurima, ea ſuper equos vacuos, tanquam ſi eſſent milites, ordinando: & equos illos, ſub quodam monticulo, paucis cum eis relictis ſervientibus, dimiſerunt; mandantes eiſdem, ut cum ipſi cum Hungaris ingrederentur ad pugnam, ipſi exirent acie ordinata, & paulatim procederent verſus eos. Et ipſi in planitie Hungaros expectabant. Quibus advenientibus, *Boch comes*, & quidam alii, qui de melioribus militibus Hungariæ putabantur, qui cum Epiſcopo venerant, ipſis viſis, habenis equorum dimiſſis, congreſſum habuerunt duriſſimum cum eiſdem. Et cum eſſent Tartari numero pauciores; terga eis dare fingentes, verſus monticulum retrocedere inceperunt. Et dum ipſi cum larvis exierunt ſub monte, &, ut conditum erat, acie ordinata; Hungari hoc videntes, & opinantes eis inſidias factas, terga dederunt, & fugam velociter inierunt: Tartari autem, mox in illos converſi, illos ſequebantur, eoſdem proſternendo & interficiendo, prout nequius crudelitates poterant exercere. Epiſcopus autem, cum paucis reverſus eſt *Waradinum;* & aliquantula mora facta, collectis aliquibus militibus, tranſivit Danubium, & evaſit.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

De infelici Bello Regis Belæ cum Tartaris commiſſo.

Cumque Rex, ut dictum eſt, egreſſus de villa Peſth, progrederetur contra Tartaros, cum multitudine armatorum; illi, de combuſtionibus villarum reverſi, & ſubito inſimul congregati, per viam, per quam venerant, retroibant: & ſicut iſti paulatim perſequebantur eoſdem; ſic & illi, tantum ante ipſos ſe fugere ſimulabant. Et cum ad quandam aquam, quæ *Sayo* dicitur, & non multum longe de Agrienſi civitate fluit, & intrat Ticiam, perveniſſent; poſt aquæ tranſitum, qui fiebat per pontem, caſtra metati ſunt, & ſteterunt, ponentes in ponte cuſtodes, qui noctis vigilias cuſtodirent. Tartari quidem, poſt tranſitum ejuſdem paludis, circa aquam, ſe in planitie poſuerunt. Et cum aqua magna exiſteret & lutoſa; non erat eis credulitas, quod ſine ponte tranſitus alicui eſſe poſſet. Rex ſuos interim hortabatur, ut ad pugnam viriliter ſe haberent; vexilla non pauca, manu propria, Majoribus aſſignando. Hungari autem habebant hæc omnia in deriſum, de multitudine confidentes: ad pugnam tamen, propter rationes ſuperius aſſignatas, cor & animum non habebant. Volebant quidem, quod Rex perderet, ut ipſi chariores poſtmodum haberentur: credentes, plagam hujuſmodi particularem quibuſdam, & non omnibus generalem; ſicut audierant quandoque in Hungaria eſſe factum. Nam intrabant Comani ſubito, & aliquam partem terræ, antequam convenirent Hungari, deſtruebant, feſtinantes poſtmodum ad receſſum; & interdum Hungari idem de Comania faciebant. Sed non ſic; quia hæc ultima, primis minime reſponderunt. Tamen mille milites, omni nocte, ad cuſtodiam exercitus ponebantur. Quid plura? Tartari vadum invenientes, longe ab exercitu, una nocte unanimiter tranſierunt; & in aurora totum Regis exercitum circumdantes, ſagittas emittere in exercitum, ſicut grandines, inceperunt. Hungari vero, quia fuerunt taliter occupati, & illorum prævenți aſtutia, cum armati equos ſuos aſcendebant; nequibant milites ſuos Dominos, & Domini ſuos milites invenire. Et cum ad pugnam accederent, tepide ac remiſſe accedebant: tanta enim erat crebroſa emiſſio ſagittarum, quod fere umbram pugnantibus faciebant; & ſagittæ, ſicut locuſtæ & bruchus congregatim vadunt, per aera volabant. Et ſic ſagittarum ictus minime ſufferre valentes, infra circulum exercitus retroibant. Rex vero acies non poterat ordinare. Et ſi mixtim, ex quacunque parte, ibant Hungari ad pu-

Digitized by Google

pugnam: illi eis cum ſagittis obviam venientes, ipſos infra exercitum retrocedere faciebant, ita, quod ipſi ex calore nimio, & anguſtia maxima, ad tantam laſſitudinem venerant, ut Rex & Colocenſis Archiepiſcopus, qui anxii formidabant, nec minis neque adulationibus ac monitionibus, jam ad pugnam poterant aliquos deſtinare; ab aurora uſque ad meridiem, in tali anguſtia exiſtentes.

Tandem, cum jam deficere viderentur, *Dux Colomanus*, frater Regis, cum ſuis, quos in tanta preſſura habere potuit, conflictum duriſſimum, ex una parte exercitus, habuit cum eiſdem; pugnæ, per magnum ſpatium diei inſiſtendo: & dum crederet, ſe per reſiduam exercitus partem adjuvari, deceptus eſt. Nam cum ex altera parte, ad pugnam plurimi ire crederentur, ad pugnam non ibant; ſed Tartaris, ultro parum ſecedentibus, illis per ſui medium, viam, abſque aliquali ſagittarum emiſſione dabant. Quare Hungari plures & plures tali via potiti, ab exercitu ſe ſubtrahebant. Et quanto plures tranſibant, tanto latior via per Tartaros illis dabatur; & in tanto conflictu, non erat rumor vel verbum aliquod inter eos. Et cum Rex illos ad conflictum ire crederet; ipſi exibant ad fugam potius, quam ad pugnam. Tartari vero, expectantes Regis exercitum, nullatenus ſe movebant. Et cum jam de multis partibus, exercitui regio exitus pateret; Rex ab illis incognitus, cum paucis, viam habuit verſus ſilvam. Dux autem Colomanus, direxit, per aliam partem exercitus, ſuum iter, die noctuque in equis plurimis, uſque ad dictam *Peſth:* non per viam publicam, per quam Hungarica natio lubricabat; ſed per devium, laxatis equorum habenis, ad Portam Danubii feſtinabat. Et quanquam a Burgenſibus rogaretur, ut morulam faceret, quouſque ſaltem pararentur naves, ad tranſitum Dominarum uxorum illorum: teneri tamen non potuit, nec ad id induci; dicebat enim, quod de ſe quilibet cogitaret. Adventum enim perſequentium metuens, ſolus confeſtim tranſivit, & fugit in *Simigium*, ad quendam locum, qui dicitur *Fegusd.* (1). Et licet Burgenſes de Peſth, cum familia, ad tranſitum feſtinarent: prius tamen ſupervenerunt Tartari; & qui non fuerunt in Danubio ſuffocati de Burgenſibus, extiterunt gladio interemti.

(1) Edit. Brunn. *Seguſd.*

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

De Fuga Epiſcopi Quinque-Eccleſienſis.

Intuens autem *Bartholomæus Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis*, deſtructionem exercitus, & advertens, quod quidam de Tartaris in exercitum irruentes caſtra plurima comburerent: ſimiliter non per viam publicam; ſed per campum, cum multis militibus fugam iniit. Et cum pauci de Tartaris, equos poſt eos mitterent, pleno curſu; *Ladislaus Comes*, qui ad Regem, multis vexillis extenſis, cum ſua militia veniebat, nil de geſtis ipſis præſciens, ſupervenit. Epiſcopus, Hungarica vexilla cognoſcens, ad comitem declinavit; Tartari vero, multitudinem advertentes, abierunt retrorſum, & alios inſequi curaverunt; & ſic ipſe comes, cum Epiſcopo, abeuntes, ab ipſorum manibus evaſerunt:

CAPUT XXX.

De Eiſpcopis & aliis Clericis in dicto bello interfectis.

De fugientibus quoque, per amplam viam, verſus Peſth, & in exercitu remanentibus, facta eſt tanta ſtrages, totque millia ſunt hominum interemta, quod æſtimatio fieri non valet, nec referentibus fides, propter innumeram cladem, leviter adhibetur. Majores tamen de clericis cecidere, *Matthias Strigonienſis Archiepiſcopus*, quem Rex, tum propter fidelitatem, tum quia infimul nutriti erant, magis diligebat, & ejus conſiliis, magna ſub confidentia, in rebus arduis utebatur. *Ugolinus Colocenſis Archiepiſcopus*, nobiliſſima ortus proſapia, magna & ardua mundi negotia, omiſſis minimis, diſponens. Hic erat, ſub cujus fiducia, nobiles Hungariæ reſpirabant; hic erat, ſub cujus fiducia, majores & mediocres humiles ſe reddebant. *Georgius Epiſcopus Jaurienſis*, qui & nobilis fuit moribus, & peritus ſcientia litterarum. *Reynoldus Ultraſilvanus Epiſcopus*, & *Eccleſiæ Nitrienſis Epiſcopus*, qui fuerat laudabilis vitæ, & morum honeſtate præclarus. *Nicolaus Scibinienſis præpoſitus*, Regis Vicecancellarius, nobilibus natalibus ortus; qui unum de Majoribus, antequam ſe necis neceſſitati ſubjiceret, cruentato gladio jugulavit. *Eradius Archidiaconus Bachienſis*. Magiſter *Albertus Strigonienſis Archidiaconus*, qui circa fluenta juris prælatus, alios

me-

Digitized by Google

meruit edocere. Ipſorum quoque corpora diris mucronibus taliter ſunt mactata; quod poſt receſſum eorum, quanquam multum exquiſita fuerint, nequierunt ullatenus reperiri. De numero vero laicorum majorum & minorum, qui ſuffocati fuerunt paludibus & aquis, igne concremati, & gladio interemti, nulli mortalium poſſit fieri certitudo. Nam per campos & vias, iacebant corpora multorum mortuorum; aliqua capite diminuta, aliqua fruſtratim diviſa in villis & in Eccleſiis, ad quas recurſum habuerant, plurima concremata. Hoc exitium, hæc pernicies, & hæc ſtrages, tenebat duorum dierum itinera occupata; totaque terra erat ſanguine rubricata, & exiſtebant corpora ſuper terra, ſicut ſtant ad paſcua, per deſerta, greges pecorum, ovium & porcorum, & ſicut in lapicidinis, ſecti lapides ad ſtructuras. Habuit igitur aqua, corpora mortalium ſuffocata, hæc ſunt a piſcibus, a vermibus, ab avibus in aquis degentibus, devorata. Terra, illorum corporum Dominium eſt adepta, quæ occubuerunt venenatis lanceis, mucronibus & ſagittis; hæc ſanguine cruentatæ cæli aves, & dentatæ beſtiæ: tam domeſticæ quam ſilveſtres, morſu uſque ad oſſa nequiſſime corroſerunt. Ignis illa tenuit, quæ cremata ſunt in Eccleſiis & in villis. Interdum ignem, ex crematione hujuſmodi, pinguia extinguebant. Hæc conſumi nequeunt modico temporis intervallo. Nam inveniuntur in locis plurimis, uſque ad tempora longiora, oſſa denigratis pellibus non conſumtis involuta; pro eo, quod quibuſdam beſtiis, eſcæ placidæ non exiſtunt, niſi aliter deſtruantur. Cum autem in Dominium trium elementorum, univerſa corpora tranſiviſſent, videndum eſt, quid quarto reliquerint elemento. Ad aerem igitur, qui quartum dicitur elementum, alia tria, fœtorem omnium corporum transmiſerunt, & ſic ex fœtore corruptus eſt & infectus, quod homines, qui per campos, & vias, & ſilvas, ex vulneribus remanſerant ſemivivi, ex infectione aeris, qui forte vivere poterant, expiraverunt, & ſic aer, hujus crudelis exitii, non eſt expers. De auro igitur & de argento, equis, armis, veſtibus, & rebus aliis tot hominum, qui occubuerunt, tam in prælio, quam in fuga, quid dicetur? Equi cum ſellis & frenis, ſine ſeſſoribus, per prata & nemora diſcurrebant, & ex ſtrepitu erant facti adeo furibundi, ut inſanire penitus viderentur, & ſic eos territos, cum nequirent proprios Dominos reperire, oportebat aut mori gladio, aut ſubjicere ſe Dominio exterorum, quorum hinnitus, haberi poterat pro gemitu atque fletu. Argentea quoque vaſa & aurea, ſericeæ veſtes, & alia hominibus opportuna, per campos & ſilvas, a fugientibus projecta, ut ipſi velociori curſu manus inſequentium evaderent, non habebant aliquos collectores. Tartari tantum interfectionibus hominum inſiſtentes, de ſpoliis minime curare videbantur.

Digitized by Google

CAPUT XXXI.

Quomodo Tartari habita victoria ſpolia diviſerint, & invento Regis ſigillo, fictitias litteras ſcripſerint.

Habita de tanto exercitu victoria & triumpho, captaque deprædatione hujus modi cum tumultu, & veſtimentis mixtis ſanguine, equis, auro & argento, effuſa rubigine rubricatis, tanquam congeriebus lapidum, & acervis frugum inſimul adunatis, ad diviſionem & ad partitionem eorum: herus, cum elegantioribus de Tartaris, ex partitione hujuſmodi ſubſecuta, reperto ſigillo Regis penes cancellarium, cujus caput a corpore diro mucrone demerant, jam confiſi de terra, & timentes, ne populi, profligatione Regis audita, manus per fugam effugerent eorundem; diligenter advertite aſtutiam, quam fecerunt.

Primo totam Hungariam ultra Danubium dimiſerunt, & aſſignaverunt unicuique de majoribus Tartarorum Regibus, qui adhuc Hungariam non intraverant, partem ſuam, ſignificando eis rumores, & quod feſtinarent; quia jam eis obſtaculum nullum erat. Et fecerunt ſcribi per quoſdam clericos Hungaros, quos adhuc ad vitam ſervaverant, majoribus omnibus & popularibus, per totam Hungariam exiſtentibus, ſub nomine Regis, multifaria fictitia litterarum, ſub hac forma: *Canum feritatem & rabiem non timeatis; nec veſtris de domibus vos movere audeatis. Licet enim, propter quandam improviſionem, tum caſtra, tum tentoria reliquerimus: paulatim tamen, Deo nobis propitio, eadem recuperare intendimus, contra illos prælium virtuoſum inſtaurantes. Unde tantum orationi vacetis, ut miſericors Deus, adverſariorum noſtrorum capita a nobis permittat malleari.* Hæ fuerunt litteræ, per quoſdam Hungaros, qui jam eis adhæſerant, deſtinatæ: qui mé, ac totam Hungariam, deſtruxerunt. Nam tantam illarum certitudini litterarum fidem dedimus, quod, licet omni die, contrarium cerneretur: tamen, quia in terra illico guerrarum turbatio ſupervenit, ob hoc, ad ſciendum rumores, nuntios mittere nullatenus poteramus, contrariumque credere nequibamus. Et ſic Hungaria occupata, viam non potuit habere fugiendi. Sed quia proceſſum Regis dimiſimus indiſcuſſum: revertamur ad progreſſum ſuum, vel, quod verius eſt, ad egreſſum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXII.

Quid fecerit Rex Bela poſt debellationem ſui exercitus, & qualiter per Ducem Auſtriæ captus fuerit pariter & ſpoliatus.

Ipſo itaque Rege de exercitu profligato; die noctuque, cum pauciſſimis, verſus confinia Poloniæ, habuit iter ſuum: & inde directo tramite, ut Reginam poſſet attingere, quæ in confinio Auſtriæ morabatur, quantum poterat properabat. *Dux Auſtriæ*, hoc audito, iniqua in corde concipiens contra eum, ſub nomine amicitiæ, obvius ei fuit. Sed Rex armis exutus, dum prandium pararetur, modico temporis intervallo, ſomnii quietem capeſſebat juxta aquam: utpote, qui ſolo nutu Dei evaſerat, inter tot diras ſagittas & gladios venenatos, & tam longo fuerat itinere fatigatus. Qui tandem excitatus a ſomno, cum Ducem vidit, lætatus eſt valde. Dux autem, Regem, inter alia conſolatoria verba, petiit, ut Danubium tranſiret: ut ibidem ſecurius quieſcere, & morari poſſet. Rex vero, his auditis, tanquam innocens, nihil mali ſuſpicatus, dictis Ducis acquievit. Dicebat enim Dux, ſe caſtrum ex altera parte habere, & ibidem Regem melius honorare poſſe: cum tamen in animo, non honorare, ſed confundere illum, haberet propoſitum. Et cum ſe Rex ſcyllam vitare crederet, incidit in charybdim, & ſicut piſcis, volens vitare frixorium ne frigatur, ad aſſandum projicit ſe ad prunas; credens malum effugere, invenit nequius. Nam Dux Auſtriæ, aſtutia excogitata, cum Rege ſuum ad libitum potitus extitit; ab eo, quandam pecuniæ quantitatem, quam dicebat olim a ſe per ipſum extortam fuiſſe, repetiit. Quid plura? Rex manus illius evadere nequivit, quouſque partem ejuſdem pecuniæ in promto, partem in vaſis aureis & argenteis, illi perſolvit: pro parte autem, tres comitatus ſui regni, illius terræ contiguos, illi obligavit. Et licet ipſa vaſa aurea & argentea, majoris fuerint æſtimationis: tamen Dux, illa ſolum in duobus millibus marcarum, ſimul cum lapidibus pretioſis, recepit. Dux autem illico, caſtrorum illorum comitatus, corporali poſſeſſione eſt adeptus; & illa ex propriis pecuniis, contra Tartaros fecit reparare. Si quæratur, quanta fuerit pecuniæ quantitas? eſt ignotum: nam alii de ſeptem, quidam de novem, ceteri de decem marcarum millibus referebant. Sed de veritate liquere non poterat; quia ſecrete contractus fecerant, & firmaverant propriis juramentis. Quibus expeditis, ad Reginam, quæ non multum diſtabat, quantum potuit, feſtinavit: & una cum ipſa, ſine tractu moræ, *Stephanum*

Wu-

Digitized by Google

Wacienſem Epiſcopum, ad Imperialem & Romanam curiam, pro ſubſidio deſtinavit: & interim, circa *Segesdinum*, cum illis, quos aggregare potuit, moram traxit.

CAPUT XXXIII.

Quomodo Dux Auſtriæ ſpoliaverit fugitivos Hungaros; & de inſultu Teutonorum in Hungariam facta.

Dux, proſpecto jam, quod Hungari eſſent unanimiter in fuga; ſibi multos milites aggregavit, eos contra Hungaros in Hungariam tranſmittendo: & ſic, Tartari ex illa parte Danubii deſtruebant; & ex iſta Teutonici deprædabantur, & villas, prout poterant, comburebant, ita, ut *civitatem Jaurienſem* intrantes, caſtrum ceperint, & illud moliti ſint per violentiam obtinere. Hungari vero de partibus illis, convenientes in unum, ad civitatem manu armata euntes, civitatem ceperunt, & omnes in caſtro Teutonicos cremaverunt. Dux, nimio furore repletus, propter hoc candeſcens contra Hungaros, fugientes a facie Tartarorum, quos in Auſtria collegerat, & quibus fidem promiſerat, non contentus de eo, quod Regi fecerat, petiit ab eis, pro caſtrorum & civitatum cuſtodia, quandam pecuniæ quantitatem. Et ſic, hac occaſione inventa, cum tam Teutonici quam Hungari, eſſent multum divites in pecunia & rebus; eos, uſque ad extremam exinanitionem, nequiter ſpoliavit, & miſeri Hungari, devorabantur ubique morſu amariſſimo, a ſævis beſtiis dentatis, & poſtmodum, nudi in aridam projiciebantur, & evomebantur. Sed his expeditis, referamus de Regibus Tartarorum, qui poſtmodum Hungariam intraverunt.

CAPUT XXXIV.

Quomodo Tartari Waradienſem civitatem expugnaverint, & quomodo amplius ad pontem Thomæ & alios proceſſerint.

Cadan Rex, ut in alia parte dictum eſt, *Rudana* expugnata, & capto Ariſtaldo comite; elegantiores ſexcentos armatos Teutonicos elegit, qui ſub juriſdictione dicti comitis extiterunt. Hi, præſentibus ducatum Tartaris, per fil-

Digitized by Google

silvas & nemora, rupes & præcipitia, prope *Waradinum* civitatem, subito advenerunt. Et quia civitas multum erat in Hungaria nominata, undique illuc nobiles, tam dominæ quam mulieres populares, innumerabiles convenerant. Et licet Episcopus cum quibusdam Canonicis, exinde recessisset: ego tamen, cum remanentibus eram ibi. Et cum castrum, ex una parte dirutum cerneretur; amplo muro illud fecimus reparari: ut, si civitatem defendere non possemus, ad castrum refugium haberemus. Et cum uno dierum subito advenissent, & esset in civitate sub quodam dubio mora mea; castrum intrare nolui, sed aufugi in silvam, in qua diu, prout potui, latitavi. Ipsi tamen subito civitatem capientes, & pro majori parte comburentes; tandem, nihil extra muros castri penitus dimiserunt, & receptis spoliis tam viros, quam fœminas, minores & majores, interfecerunt, in plateis, domibus, & campis. Quid plura? non pepercerunt sexui vel ætati. Quibus peractis, subito exinde recesserunt, & omnia in recessu receperunt, & longe a castro, se per quinque milliaria posuerunt; & ad castrum, per multos dies, nullatenus accesserunt, sic, ut illi de castro cogitarent; eos propter castri fortitudinem recessisse. Nam magnis munitum erat fossatis, & turribus ligneis super muros, & multi loricati milites erant ibi; ita, ut dum Tartari ad respiciendum interdum accederent, milites Hungari, velociori cursu eos insequi procurarent. Et cum plurimis diebus ad castrum non accederent, & crederetur, quod ex toto exinde recessissent; milites & alii, qui in castro erant, de recessu eorum habentes fiduciam, castro quamplurimi exierunt, & domos, quæ remanserant extra castrum, ceperunt communiter habitare. Et sic in aurora eos Tartari, qui ubi essent, scire non poterant, invadentes; magnam ipsorum partem, qui nequierunt ad castrum fugere, necaverunt. Et castrum illico circumdantes, ex opposito ad murum novum, septem machinas posuerunt, & die noctuque cum eis emittere lapides, quousque novus murus dirutus est ex toto, nullatenus cessaverunt; & turribus dirutis atque muris, congressum dederunt: & castro per violentiam occupato, ceperunt milites, & Canonicos, & alios, qui non fuerunt in occupatione castri gladio interemti. Dominæ vero, domicellæ, & puellæ nobiles, se in Ecclesiam Cathedralem recipere voluerunt.

Ipsi vero Tartari, fecerunt arma a militibus sibi dari; & per tormenta durissima, quidquid habuerunt, a Canonicis extorserunt. Et quia Cathedralem Ecclesiam subito intrare nequierunt; igne appositio, Ecclesiam, & dominas, & quidquid erat in Ecclesia, combusserunt. In aliis vero Ecclesiis, tot scelera de mulieribus patrarunt; ut tutius sit, subticere, ne homines ad

Digitized by Google

nequiſſima inſtruantur. Nobiles, cives, milites, & Canonici, extra civitatem, in campo fuerunt omnes, ſine aliqua pietate, jugulati. Poſt hæc, Sanctorum ſepulchra totaliter everterunt, & pedibus ſceleratis reliquias calcaverunt; thuribula, cruces, & calices aureos, & vaſa aurea, & alia, dedita ad altaris miniſteria, comminuerunt. Introducebant in Eccleſias, mixtim viros & mulieres; & poſt turpem illorum abuſionem eosdem ibidem necabant. Poſtquam autem omnia everſa ſunt, & fœtor intolerabilis procederet ex corporibus defunctorum; exinde receſſerunt, & tantum locus ſolus remanſit. Homines, qui per ſilvas circumpoſitas latitabant, convenerunt ibidem, ut aliqua comeſtibilia invenirent. Et cum verterent lapides & corpora mortuorum; Tartari ſubito ſunt reverſi, & vivum, de viventibus, quos ibi reperiebant, neminem dimiſerunt. Et ſic uſque ad extremum, fiebant quotidie novæ ſtrages. Et cum plures interficere non haberent, ex toto abinde receſſerunt. Nos vero, qui in ſilvis, inter indagines morabamur, de nocte fugam inivimus, verſus *pontem Thomæ*, magnam Teutonicorum villam, ſuper fluvium *Criſii* poſitam. Sed Teutonici, nos tranſire per pontem nullatenus permiſerunt; immo, inſtiterunt quam plurimi, ut una cum eiſdem, villam eorum bene munitam, defenderemus. Quod plurimum diſplicebat. Tamen ad quandam divertimus inſulam, quæ contra Tartaros, per homines *de Agya*, & *Waydam de Gerok*, & de pluribus aliis circumjacentibus villis, ſortiter parabatur. Ego, cum ultra procedere non auderem, cepi, ad procuratoris & omnium loci illius inſtantiam, moram ibidem trahere cum eiſdem. Nam nullus in prætactam inſulam intrare poterat, niſi per quandam viam arctiſſimam & minutam; ita, ut per milliare, in illa via, tres portæ cum turribus factæ eſſent & præter has, ad milliare, fortiſſimæ indagines circumquaque. Et cum ita munitum locum adverterem, placuit mihi, & remanſi. Sed conſuetudo inſulæ illa erat, ut ingreſſum præberet ſingulis; ſed regreſſum omnibus denegaret. Et cum aliquibus diebus, ibi cum mea familia eſſem, per exploratores noſtros percepimus, quod propius Tartari venirent. Exivi ſecrete inſulam, ut viderem, quomodo equos poſſemus conſervare: & uno ductore conducto, & uno ſerviente, quoniam quilibet noſtrum tres equos habebat, de nocte, verſus *Chanadinum* civitatem, ſuper fluvium *Moriſi* poſitam, quæ diſtabat ab illo loco ad octo milliaria, properavimus. Et cum per totam noctem iremus, quantum equi poterant nos portare; in aurora pervenimus Chanadinum. Sed præcedenti die, a Tartaris, qui per aliam partem intraverant Hungariam, captum fuerat & deſtructum; & partes illas totaliter occupaverant, ita ut fluvium nequiverimus,

Digitized by Google

mus pertranſire. Et cum equi laſſi eſſent, & homines huc & illuc de partibus illis ſe abſconderent, retroceděre nullo modo poteramus, & ſic in quibusdam domiciliis, equis dimiſſis, in quibuſdam foveis, illo die nos oportuit latitare. Adveniente tandem nocte, ad locum priſtinum, non ſine difficultate nimia, cepimus in timore tranſire per medium Tartarorum, curvatoque ſupercilio, cum pudore, inſulam reintravimus. Et cum in tali periculo moraremur; ſervientes mei, qui ad equos exterius vigilabant, & alii, qui mecum erant, cum pecunia quam habebam, & veſtibus, de inſula aufugerunt: & in fuga inventi, per Tartaros ſunt gladio interemti, me, cum uno ſerviente, quaſi nudo in inſula permanente. Poſt hæc ſtatim invaluere rumores, quod dictum *pontem Thomæ*, Teutonicorum villam, in aurora Tartari occupaverunt; & quos tenere noluerant, horrenda crudelitas, acerbitatis gladio dire jugulavit. Quo audito, inhorruerunt pili carnis meæ, cepit corpus tremere ac pavere, lingua miſerabiliter balbutire; perſpiciens, quod diræ mortis articulus, qui jam vitari non poterat, imminebat. Trucidatores cordis oculis intuebar; caro ſudorem mortis frigidiſſimum emittebat. Videbam & mortales, mortem expectantes aſſidue, non poſſe manus ad arma extendere, erigere brachia, pedes ad defenſionis loca movere, oculis terram proſpicere. Et quid plura? homines conſpiciebam, ex timore nimio, ſemivivos. Et cum eſſem in ecſtaſi poſitus, adfuit mihi miſericordia Jeſu Chriſti, & tanquam unus de Majoribus, ut melius muniremur, Inſulæ populum convocavi. Cujus rei occaſione, cum populo ſum egreſſus inſulam; & acceptis duobus pueris, procuratoris & hoſpitis mei filiis, & unico ſerviente, qui mihi remanſerat, longius ire ſimulans, in ſilva, inter indagines latitavi: puerorum patri renuntians, quod propter timorem nolebam inſulam reintrare; & cogitans, quod ſi mecum abſconſos ſuos tenerem filios, ipſe mihi neceſſaria tranſmitteret. Et cum ſummo diluculo victualia mitterentur, illico Tartari advenerunt, inſulam circumdantes. Et cum darent intelligere, quod vellent per aquam inſulam expugnare, populus Inſulæ deceptus, ad protegendum illas partes flexus eſt. Tartari vero, ex alia parte, in portas præſidio nudatas irruentes, illas expugnarunt, & in inſulam intrantes, non invenerunt aliquem de noſtris, qui ſagittam emitteret, vel in equo, vel pedibus, obvius illis foret. Quæ & qualia, quot & quanta iniqua ibi & crudelia perpetraverunt, non ſolum viſui eſſent terribilia, ſed perhorreſcerent homines audire. Et exinde ſpoliis aſportatis, denudata mulierum & hominum corpora, quædam fruſtratim diviſa, quædam integra remanſerunt. Et cum plurimi, qui latitaverant, opinarentur, eos poſt diem tertium

Digitized by Google

receſſiſſe; pro acquirendis victualibus, recurſum ad inſulam habuerunt: & occupati a Tartaris, qui ſe ibi abſconderant, pauciſſimi evaſerunt. Ego vero per ſilvas, tanquam profugus, omnium deſtitutus auxilio, mendicabam; & cui magna donaveram, vix mihi eleemoſynam porrigebat: ita, quod neceſſitate famis & ſitis me acrius perurgente, de nocte compellebar intrare inſulam, & corpora evertere mortuorum, ut ſepultam farinam & carnes, ad eſum mihi, vel aliud comeſtibile invenirem, & de nocte, quidquid inveniebam, id ad ſilvas longius aſportabam. O attendite & videte, quam illa peſſima vita erat? Poſt decimum vel vigeſimum diem intravi inſulam, evertere corpora mortuorum: quantus ibi poterat eſſe luctus? quantus ibi poterat eſſe fœtor? quantus poterat eſſe timor? advertite. Non eſt homo, ut opinor, qui tantis in animum reductis pœnarum generibus, non terreretur. Oportebat me invenire cavernas, vel foveas facere, vel arbores quærere perforatas, in quas me poſſem recipere, cum illi denſitatem veprium, opaca nemorum, aquarum profunda, intima ſolitudinum, tanquam canes, lepores & apros inveſtigantes, percurrere videbantur. Silvas has, per menſem & amplius quæſierunt. Et cum per ipſa loca, populos nequirent interimere univerſos, ſe ad novum genus fraudis, taliter converterunt.

CAPUT XXXV.

Quomodo Tartari illos, qui ſe in ſilvis abſconderant, deceperint.

Ceperunt aliquos, per ſilvas latitantes, & eoſdem ſub hac voce miſerunt; quod quiſquis vellet ad fidem eorum ſe dare, ſecurus reditus, infra certum terminum, ad propria veniendi, daretur ei. Quorum verbis, cum homines jam propter victualium penuriam morerentur, totaliter crediderunt, & ſic omnes, qui remanſerant, ad domos proprias ſunt reverſi. Et cum ſilvæ magnæ eſſent, erat adhuc populus infinitus qui latitabat; ita, quod ad tres diætas terra facta eſt populoſa: & quælibet villa, elegit ſibi Regem de Tartaris, quem optavit. Quo facto, cum eſſent tempora meſſium, fruges unanimiter collegerunt, & eas, ac ſtramina, & fœnum, & alia, ad horrea congregabant. Stabant nobiſcum Tartari & Comani ſimul: videbant quamplurimi, & gaudebant, lætabantur, quod patres per filias, mariti per uxores, fratres per ſorores pulchras, vitam redimebant: illas ad libitum eorum conſervan-

Digitized by Google

vantes, & pro quodam illis fiebat ſolatio, ut in conſpectu patris vel mariti, uxor vel filia ſtuprabatur. Conſtituerunt *Caneſios*, id eſt Balivos, qui juſtitiam facerent, & eis equos, animalia, arma, xenia, & veſtimenta utilia procurarent. Et ſic procurator meus, de iſtis Dominis erat unus: & pene mille villas regebat, & erant Caneſii fere centum. Pacem habebamus, & fora, juſtaque unicuique juſtitia ſervabatur. Eis mittebantur pulcherrimæ puellarum; ſed oves, boves, vel equos, ductores pro tali xenio reducebant. Conveniebant Caneſii pene qualibet ſeptimana. Ego vero ſæpius, ut vitam eorum aſpicerem, & aliquos de majoribus noſcerem, & ut addiſcerem, ſi via redemtionis aliqua ſe offeret, ad eos, cum meo Caneſio accedebam. Quadam vice præceperunt omnes Caneſii in mandatis, ut de certis villis, viri & mulieres, puerique ſimul, cum muneribus, in eorum præſentiam venirent. Timebamus de hoc rumore non modicum, cauſam rei penitus ignorantes. Elegi igitur, potius cum ipſis Caneſiis ad exercitum ire, quam ſub tali dubio, in villa remanere. Quare nudi & diſcalceati, ad cuſtodiam curruum, in quibuſdam tentoriis Hungarorum, qui jam Tartari in ſuis operibus effecti erant, remanſimus. Caneſii vero, ad recipienda munera acceſſerunt; qui muneribus receptis, omnes præſentantes, in quandam vallem duxerunt, enormiterque ſpoliatos & denudatos, ibidem interfecerunt.

CAPUT XXXVI.

Quomodo præſentis carminis Auctor ad manus Tartarorum devenerit.

Et cum ad me rumores hujuſmodi pervenirent, ditioni cujuſdam Hungari, facti, ut dixi, operibus Tartari, me ſubmiſi, qui in ſuum ſervum admittere, pro magna gratia, me eſt dignatus. Et cum per aliquot dies cum ipſo permanſiſſem, mortem ſemper præ corde, præque oculis habebam. Conſpexi inter hæc Comanos infinitos, & Tartaros, cum curribus ſpoliis oneratis, pecoribus, jumentis, & aliis utenſilibus, undique revertentes. Et cum inquirerem, quid hoc eſſet? reſponſum eſt, quod ipſi una nocte, dimiſſas omnes & ſingulas villas circumdantes, inebriaſſent gladios in ſanguine occiſorum; ita ut in omnibus illis villis, pauciſſimi evaſiſſent, qui in ſilvis & cavernis ſe abſcondere potuiſſent, ita remanſit provincia totaliter deſolata. Verumtamen nec ſruges, nec ſtramina, nec domos aliquas combuſſerunt; ſed in præ-

Digitized by Google

ſervationem vitæ, omnia hæc induxerunt. Pro eo conjeci firmiter, velle in illis partibus hyemare; vel familias ſuas dimittere, ut in hyeme pro equis domos & victualia invenirent. Quod totum poſtmodum didici eſſe verum. Nam populos vivere ad tempus dimiſerant ad cautelam, ut in unum ſegetes congregarent, & vindemiarent vineas; ſed nolebant, ut illi conſumerent congregata.

CAPUT XXXVII.

De Deſtructione novæ Villæ & monaſterii de Egres.

Quid plura? verſus *Orodinum* & *Chanadinum* procedere inceperunt, in medio eorum, nova villa dimiſſa, nomen cujus *Perg* fuerat; in qua homines ſeptuaginta villarum fuerant congregati, & dimiſſo *monaſterio Egres* Ciſtercienſis ordinis, in quod tanquam munitum caſtrum, ſe milites & multæ dominæ receperant. Nec Tartari loca illa aggredi voluerunt, quouſque circumcirca eſſet terra totaliter deſolata. Sed interdum aliqui accedebant, & ab Hungaris militibus, per magnum terræ ſpatium fugabantur; ita quod credebant firmiter, ſe intactos, propter ſuam potentiam remanere. Tandem, poſt totius, terræ illius deſolationem, Ruthenorum, Comanorum, Hungarorum captivorum, paucorum etiam Tartarorum multitudine adunata: villam magnam undique circumdantes, ad pugnam captivos Hungaros præmiſerunt; & illis interemtis totaliter, Rutheni, Iſmahelitæ, Comani poſtmodum, pugnaverunt. Tartari vero retro poſt omnes ſtantes, ridebant de caſu & ruina illorum, & retrocedentes a pugna, ſuorum dabant quamplurimos voragini gladiorum: ita quod ipſis diebus & noctibus. pugnantibus per unam ſeptimanam, & foſſatis impletis, ceperunt villam. Milites igitur & dominas, quæ multæ erant extra in campo, in una parte, & ruſticos in alia poſuerunt, ac pecunia, armis, veſtibus, & aliis bonis receptis ab eis, & quibuſdam duabus puellis reſervatis ad vitam, & ad luſum eorum deductis, eum ſecuribus & gladiis omnes crudeliter interfecerunt. Illi quidem ſolummodo remanſerant, qui inter mortuos, repentino caſu decidentes, alieno ſanguine cruentati, ſe occultare valuerunt. O dolor! o crudelitas & rabies immanis populi immenſa! nam qui tantæ gentis cladem, ſana mente conſideraret, hunc locum, agrum ſanguinis debite dicere poſſet. Tandem poſt paucos dies, dictum clauſtrum ſive mo-

Digitized by Google

monaſterium *Egres* obſederunt, & appoſitis eidem multis machinis, cum in ipſo exiſtentes nequirent reſiſtere; ad manus & fidem ipſorum, ſe, ut vita potirentur, reddiderunt. Sed de ipſis, quod & de aliis, factum eſt, exceptis quibuſdam monachis, quos abire libenter permiſerunt, & ad abuſum eorum, retentis quibuſdam dominabus & pulcherrimis puellis. Quid amplius? ſi deſcriberentur ſingulariter, pugnæ ſingulæ, & crudelitates nimiæ, quæ fiebant; legentium corda perterrerent, & terribili ſonitu, tinnire facerent aures. Si hujuſmodi rumores horribiles, eſſent diffuſi per orbem, mundi principes aliter cogitarent. Ecce, per æſtatem illam, uſque ad confinia Auſtriæ, Bohemiæ, Moraviæ, Poloniæ, Sileſiæ, & Comaniæ, uſque ad Danubium, communiter omnia deſtruxerunt.

CAPUT XXXVIII.

De Aſtutia Tartarorum ad tranſeundum Danubium exquiſita.

Sed cum *Strigonium*, in Hungaria, omnes & ſingulas præcelleret civitates; maxime cogitabant tranſire Danubium, & ibi figere caſtra ſua. Et ecce, in hyeme, nivis & glaciei abundantia ſupervenit; ita quod *Danubius*, quod non acciderat a multis retroactis temporibus, gelabatur. Sed Hungari, ex ipſorum parte, ſingulis diebus frangebant glacies, & cuſtodiebant Danubium; ita quod aſſidue fiebat pugna peditum ſuper gelu. Tamen, cum diræ glacies advenerunt, totus Danubius congelatus eſt; ſed iſti, tranſire cum equis, nullatenus attentabant. Advertite igitur, quid fecerint? Multos equos & animalia, ſuper ripam Danubii adduxerunt, & neminem per tres dies ad eorum cuſtodiam dimiſerunt; ita quod beſtiæ ſine cuſtodibus pergere videbantur, nec aliquis eorum in illis partibus apparebat. Tunc Hungari, credentes Tartaros receſſiſſe, ſubito tranſierunt, & omnia illa animalia per glacies tranſduxerunt. Quod Tartari advertentes, cogitarunt poſſe in equis tranſire libere ſuper gelu; quod & factum eſt, & tot uno impetu tranſierunt, quot ex iſta parte Danubii, terræ faciem impleverunt. Rex autem *Cadan*, poſt Regem Hungariæ properavit; qui in Sclavonia, tanquam qui nullum habebat ſubſidium, morabatur. Sed ipſe hujus facti præſcius, fugam iniit, & cum ipſe maritima caſtra acceptare nequiret, ad inſulas pertranſivit; ita quod uſque ad receſſum eorum, eum in

ſulæ

fulæ tenuerunt. Videns Cadan Rex, quod eum habere non poſſet, deſtruxit *Boznam*, *regnum Raſciæ*, & inde in *Bulgariam* pertranſivit.

CAPUT XXXIX.

Quomodo Tartari Strigonium deſtruxerint.

Alia vero pars exercitus, verſus nominatum *Strigonium* habuit iter ſuum, & uſque ad illud pauciſſimi acceſſerunt; ſed ſe longius poſuerunt, & uſque ad triginta machinas paraverunt. Strigonienſes interim, ſe cum foſſatis, muris, & turribus ligneis, fortiſſime munierant. Et erat in civitate illa populus infinitus, & Burgenſes ditiſſimi, milites nobiles, & dominæ, quæ illic convenerant, velut ad præſidium ſingulare, tantaque eorum erat ſuperbia, quod credebant, ſe reſiſtere poſſe toti mundo. Ecce una dierum, civitatem Tartari circumdederunt, & captivi, qui cum eis erant, tot ramorum faſciculos portaverunt, quibus in una parte civitatis, ſupra foſſati ſupercilium, altum murum ſimul & ſemel de faſciculis conſtruxerunt, & ſtatim poſt murum illum, dictas triginta machinas poſuerunt; ita quod die noctuque, ad civitatem & ad turres ligneas, lapides emittebant. Et propter hoc, tantus in civitate cepit eſſe tumultus, & tanta fuerunt caligine obumbrati, quod jam memoriam amiſerant ſe defendendi, & inter ſe, tanquam cæci & fatui, vexabantur. Cum vero Tartari, munitiones ligneas deſtruxiſſent, faccos plenos terra, ad implendum foſſata, cum machinis emittebant. Verum nullus ex Hungaris & aliis, audebat in foſſati ſupercilio comparere, propter lapides & ſagittas. Hungari vero, & Francigenæ, ac Lombardi, qui quaſi erant Domini civitatis, ſe non poſſe defendere advertentes; combuſſerunt ſuburbia & domos ligneas, quæ multæ erant, uſque ad palatia civitatis. Pannos quoque & veſtes combuſſerunt, in domibus, infinitas; interfecerunt equos, aurum & argentum ad terram foderunt, & quidquid boni habuerunt, abſconderunt; & ut ſe in palatiis defenderent, in eadem ſe receperunt. Sed Tartari præſcientes, quod combuſta erant omnia, de quibus ſe ditari credebant; contra nos magnam ſuccenſi in iram, claudendo civitatem cum phalangis ligneis ſubito circumcirca, ut nullus evaderet, quin per os gladii pertranſiret. Ceperunt poſtmodum palatia expugnare. Quibus velociter expugnatis, non credo, ut verum fatear, quod quindecim de tota remanſerunt civitate; qui non

fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſent, tam intus, quam extra, omnes nequiter interfecti. Ibi inebriaverunt gladios ſuos in ſanguine; & ex calore, quem conceperant contra eos, vivos aſſabant homines ſicut porcos.

CAPUT XL.

Quomodo poſtea Tartari deſtructa pene omni Hungaria ad propria redierint.

Dominæ autem magnæ, ſicut melius poterant, ornatæ, in uno palatio ſe collegerant. Et cum capi & interfici deberent, ad audientiam magni principis appellaverunt. Omnes itaque ſunt, fere trecentæ, extra civitatem ad principem adductæ; quæ pro munere petierunt, ut eas vitæ, ſub ſuo dominio, conſervaret. Qui iratus, pro eo, quod nihil lucrati fuerant, præcepit, ut receptis ſpoliis earum, capite truncarentur; quod ſubito factum fuit, caſtro civitatis non expugnato, in quo erat *comes Symeon Hiſpanus*, cum multis baliſtariis, qui ſe viriliter defendebat. Et cum ad *Albam Regiam* civitatem accederent, quæ eſt paludibus circumſepta, cum eſſet in diſſolutione nivis & glaciei, nequierunt eam occupare. Et cum *caſtrum ſancti Martini de Pannonia* expugnarent, Abbate ſe viriliter defendente, fuerunt ſubito revocati; ita quod iſta tria loca tantum, inexpugnata in illis partibus, remanſerunt. Et terram, tam ultra Danubium, quam citra, eorum in manibus habuerunt; ſed citra non fuit ſic funditus deſolata, quia ibi ſua tentoria non fixerunt; ſed tranſeundo, quidquid invenerunt, unanimiter deſtruxerunt. Auditis itaque rumoribus, quod Tartari aſpernabantur Teutoniam expugnare; quamplurimum dolui, quia ibi manus occidentium evadere opinabar, & gaviſus fui non modicum, quia Chriſtianorum excidium vitabatur. Sed majorum Regum de mandato, incepimus per depopulatam terram retrocedere, cum curribus oneratis ſpoliis & armamentis, jumentorum & pecorum gregibus, pedetentim latebras & opaca ſaltuum exquirendo, ut, quæ reperta in progreſſibus non fuerant, in regreſſibus invenirentur. Et ſic retrocedendo paulatim, pervenimus ultra ſilvas, ubi remanſerat populi multitudo, & erant ibi, poſt eorum tranſitum, caſtra plurima præparata. Et quid ultra? exceptis caſtris quibuſdam, terram totaliter occuparunt, & eam, procedentes, deſolatam & vacuam reliquerunt. Jam cum exirent Hungariam, Comaniam intrare ceperunt. Non ſinebant, ut prius, quod ſine delectu interficerentur beſtiæ pro captivis: ſed inteſtina, & pedes

Digitized by Google

beſtiarum, & capita tantum, dabant eis. Tunc cepimus cogitare, ut etiam interpretes referebant, quod nobis Hungariam exeuntibus, daturi eſſent nos omnes voragini gladiorum. Et cum jam mihi vivendi fiducia nulla eſſet, & mors dira & aſpera in januis haberetur, cogitavi, melius ibi mori, quam procedendo, aſſiduis morſibus cruciari. Et ſic via publica derelicta, ire ad opus naturale ſimulans, ad denſitatem ſaltus, feſtinis greſſibus, cum ſerviente unico, properavi; & ſubintrans cujuſdam rivuli concavum, me feci ramis & foliis cooperiri. Abſconditque ſe ſerviens meus remotius, ne unius inopinata inventio, mœſtam operaretur alterius captionem. Et ſic jacuimus duobus diebus naturalibus, non levantes capita, ſicut in ſepulchris, audientes voces illorum horribiles, qui propius per ſaltum, poſt erroneum iter pecorum abibant, captivos ſæpius, qui ſe abſcondebant, acclamantes. Non valentibus autem nobis ulterius, famis juſtiſſimum appetitum, & edendi anxiam voluntatem, infra clauſtra cordis, taciturnitatis nodo perſtringere, levavimus capita, & more ſerpentium, pedibus & manibus reptavimus ſuper terra. Convenimus tandem, & voce debili ac ſubmiſſa mœſtas querelas importunæ famis, alternatim cepimus referare, ac gemitibus & fletibus explicare, quod gladio mori, minoris excidii fuiſſet, quam per inediam, compagines membrorum, ac unionem corporis & animæ diſſolvere. Et cum pios ſermones hujuſmodi conferemus; adſuit unus homo, ad quem, cum ſe noſtrorum acies extenderet oculorum, fugam inivimus timoroſam: nec avertimus oculos fugiendo, ut intueremur, ſi nobis brevius eſſe poſſet, vel foret nobis fugientibus ſubſequela. Sed non minus ipſum vidimus vices aſſumere præcurſoris; credebat enim, quod virtus noſtra prævalida, inſidias ſibi poneret per obliquum. Et cum communis inſpector traderet, & teneret, quod fugitivi conſpicerent fugitivum, armorumque delatio apud illos nulla foret; ſtetimus, advocantes nos ad invicem, nutibus atque ſignis. Et cum unus daret de ſe ipſo alteri notionem, prolixis ſermonibus atque piis, deliberando decrevimus, quid agere deberemus? Sed anguſtia geminata, videlicet fame execrabili, & timore mortis, anxie torquebamur; ita quod privari videbamur penitus lumine oculorum. Nam nequibamus ſuccum herbarum ſylveſtrium deglutire, vel ipſas herbas, uti faciunt beſtiæ, maſticare. Et licet nos tanta fames perurgeret, & ſtupendæ mortis aculeus immineret; præſtabat tamen nobis, vivendi fiducia fulcimentum, & evadendi ſpes fortitudinem miniſtrabat. Et ſic aſſumta fiducia, in Domino confortati, ad extrema ſilvæ pervenimus; affectuoſe aſcendimuſque arborem eminentem, & terram conſpeximus a Tartaris deſolatam, quam non deſtruxerant veniendo. O dolor! terram depopulatam & vacuam

ce-

Digitized by Google

cepimus peragrare, quam in eundo dimiserant desolatam. Basilicarum siquidem, campanilia, de loco ad locum, erant nobis signa ducentia; & ipsa, viam nobis satis horridam, præsignabant. Nam erant viæ & semitæ antiquatæ, & ab herbis & vepribus totaliter occupatæ. Porrum, cepæ, & alia, quæ in rusticorum remanserant hortis, quando reperiri poterant, mihi pro maximis deliciis ferebantur; ceteri, malva, cicardis, & cicutarum radicibus utebantur. His ventres famelici replebantur, & spiritus vegetabilis, in exsangui corpore, resocillabatur. Lassis requies non dabatur; utpote qui absque tecto, operimentum, quo nostra tegeremus capita, non habentes, nocturno tempore quiescebamus. Tandem vix octavo die, a silvæ recessu, ad *Albam* venimus civitatem, in qua nihil potuit reperiri, præterquam ossa & capita occisorum, basilicarum & palatiorum muros diruptos & subfossos, quos nimia Christiani cruoris effusio maculabat. Et licet terra, innoxium sanguinem, quem inebriata suxerat, non monstraret; ostendebant se lapides, adhuc cruore roseo purpurati, per quos absque continuato gemitu amaris suspiriis, festinus transitus non fiebat. Et erat ibi ad decem milliaria, juxta silvam, villa, quæ *Frata* dicitur in vulgari; & infra silvam, ad quatuor milliaria, mons mirabilis & excelsus, in cujus summitate, lapis & petra fundabatur terribilis: magna eo hominum & mulierum confugerat multitudo, qui nos gratanter, cum fletu receperunt, interrogabantque nos, de nostris periculis, quæ nos omnia illis, paucis verbis, declarare nequibamus. Obtulerunt tandem nobis nigrum panem, de farina & contritis corticibus quercuum pistum; sed nobis dulcor illius, supra similas, quandocunque per nos comestas, suavior videbatur. Mansimus igitur ibidem uno mense, nec fuimus ausi discedere; sed mittebamus semper speculatores, ex hominibus levioribus, videre & rescire, si adhuc aliqua pars Tartarorum in Hungaria remansisset, aut si arte deceptoria, ut prius, instructi, pro capiendis reliquiis fuga lapsis, reverterentur. Et quamvis sæpius, necessitate quærendi victualia cogente, loca petierimus quondam habitata: nunquam tamen noster tutus fuit descensus, donec *Rex Bela*, maritimis de partibus, per *crucíferos de insula Rhodi*, & Dominos *de Frangapanibus*, multis agminibus militum adjutus, certificatus prius per Hungaros de recessu Tartarorum, in Hungariam venit. Scripsi igitur hæc, paternitati vestræ, absque admixtione falsitatis; ut eadem vestra paternitas, quæ, prosperitatis meæ sit rota, sciat, & adversitatis ac periculi quidditatem. Valeat p. v.

Digitized by Google

CARMEN ANONYMI

CUJUSDAM, BREVITER DOCENS, QUEM QUIS FRUCTUM, EX HAC DE HUNGARIS HISTORIA, PERCIPERE QUEAT.

Quanta ſit invicti terrena potentia ſceptri,
Gloria, majeſtas, fama, perennis honor;
Quis favor in meritos, terret quæ pœna malignos,
Regnicolas fidos gratia quanta fovet;
Pace ſub optata quæ copia deliciarum,
Marte ſub adverſo quantus ad arma vigor;
Quam celebres etiam victo ſuper hoſte triumphi,
Denique funebris quæ quoque pompa ſiet;
Cuncta hæc Hunnorum monſtrat narratio præſens:
Lectorem alliciens ardua geſta ſequi.
Rurſus & inſinuat fatum ſi flebile, ſive
Murice veſtitum ſollicitudo premat,
Scilicet infidæ prædura rebellio plebis;
Lurida prætendunt ſæpe aconita necem.
Inſidiæ triſtes, mendacia, proditiones,
Purpureum aſſidue dant trepidare caput.
Lectorem reddent aliena pericula cautum;
Sunt namque in cunctis triſtia mixta jocis.

FINIS.

Digitized by Google

IV. PETRI RANZANI,

SICULI, EPISCOPI LUCERINI,

APUD MATHIAM I. OLIM HUNGARIÆ REGEM PER TRIENNIUM LEGATI,

EPITOME
RERUM UNGARICARUM,

PER INDICES DESCRIPTA.

A

JOANNE SAMBUCO,

Tyrnavienſi Pannone quondam continuata, & ab eodem A. C. MDLVIII. Viennæ Auſtriæ primum edita:

Nunc vero tam ad primæ hujus Editionis, quam aliorum Auctorum fidem, diligenter recognita, emendata, & præmiſſis cuilibet Indici Argumentorum compendiis, diſtincta.

DEDICATIO.

Sereniſſimo ac Illuſtriſſimo

PRINCIPI MAXIMILIANO,

REGI BOHEMIÆ, ARCHIDUCIQUE AUSTRIÆ, &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

S. D.

Variæ apud antiquos rationes colligendarum Hiſtoriarum, quibus omnibus res præclare geſtas conſervare, atque memoriam tueri poſſint, fuiſſe videntur. Hic vero Author, per indices quoſdam Regum, a Beatrice ſibi

Digitized by Google

Viennæ datos, ex iiſdem, unde Bonfinius ſua deſcripſerat, ita deduxit, ac illuſtravit; ut, qui de rebus Ungaricis aliquid prodiderunt, nulla ex parte ſit illis poſtponendus. Etenim, hac brevitate, cuncta eleganter eſt complexus; ac nihil, quod in Hiſtoria requiritur, uſpiam omiſit. Atque hoc nomine, hic Scriptor, vel præcipue cognoſcendus: quod aliqua in Bonfinio vel interrupta, vel mendoſa librariorum incuria cum ſint; hinc omnium admoneri, & non parum, ad ſinceram & integram veritatis cognitionem, juvari queamus. Taceo, quod animus noſter, hoc magis acquieſcit, quo plurimum conſentientes ſunt narrationes. Non idcirco tamen Bonfinius ipſe negligendus, qui ampliſſime, res quoque externas, proſecutus eſt: ſed ob brevitatem hic etiam commendabilis, & in quibuſdam omnino præferendus. Qui cum diu latuiſſet, uti adhuc reliqua ejus deſiderantur, quippe qui annales omnium temporum alios LX. ſcriptos, & hunc LXI. & ultimum reliquerit, a me, opera quorundam amicorum, denique lucem aſpicit; dignus, qui ante Bonfinii natalem apparuiſſet. Ejus indicem ultimum, duobus continenter adjectis, ſupplevi, atque tertium quoque inchoatum addidi, idque ſimpliciter, & quam breviſſime: donec ea ipſa continuatio, vel a me, vel ab aliis copioſius deſcripta, aliquando prodeat. Tibi autem Maximiliane, Rex Potentiſſime, qualemcunque hanc meam diligentiam, velim probari: ita in Hiſtoriarum lectione, ubi quid otii nactus es, libenter & jucundiſſime verſaris. Non ignoras, ſcilicet, cum recentia, tum vetuſtiſſima quæque exempla, ad hanc Imperii dignitatem potius, quam obſcuram, & quæſtioni-

Digitized by Google

nibus involutam Philoſophiæ diſputationem, pertinere. Plus enim interdum unicum exemplum Hiſtoriarum, quam infinitæ diſputandi ſubtilitates, ad laudem, & victoriam, principibus viris adferre ſolet. Unde, quum Hannibali apud Pruſiam exulanti, pugnare placeret; atque ille, neſcio quibus extis, & diſciplina de augurum libris hauſta, prohibere ſe dixiſſet: reſpondiſſe Hannibalem: An tu caruncułæ vitulinæ mavis, quam Imperatori veteri credere? Tantum in exemplis & experientia, ad obtinendam rerum ſummam, & gubernationem, poſitum eſt. Neque tamen propterea non beatam Rempublicam dicemus, quia ejus Principes, quæſtionibus Philoſophicis, quæ otioſorum ſunt, minime acquieſcunt. Siquidem in Hiſtoriis quoque Philoſophia tractatur, verum ea craſſior, & explicata, quæque magis docet, & ad quoſvis caſus inſtruit. Sapientius enim, tempore, ut Thales ajebat, nihil ipſum lateat, & cuncta in lucem produxerit. Ut, quod ab innumeris retro ſeculis actum ſit, cuſtodiat, poſteritati, veluti præſenti, ſumma cum voluptate atque commodo, exhibeat. Cui veritas ipſa, quoniam conjungitur, quæ ſimplex, ac omnium rerum eſt princeps ſapientia: quis non Hiſtoriam, ejus interpretem ac teſtem jure amplectatur, & in uſum ſevocet ſuum? Cujus utilitatis tu non neſcius, Hiſtorias lectitare, indeque conatus, & conſilia ſemper communire, laudabiliter conſueviſti. Nam, ut paucis de te, tuiſque regiis animi & corporis dotibus, aliquid coactus dicam: quis adeo iniquus, & a judicio averſus eſt, qui opinione ingenii, totaque adeo iſta majeſtate oris tui, & virtutibus, in admirationem non trahatur, teque

ſibi

Digitized by Google

ſibi Regem non velit? Quæ pars, quæſo, eſt virtutis in principe laudabilis, quam tu non ſolum colas, ſed exemplis, toti orbi terrarum, mirabiliter teſteris? Etenim, præter ſingularem in Deum pietatem, erga doctos, & litterarum ſtudia, quemadmodum afficiare, quilibet animadvertit, & voluntatem præclaram celebrat; quod litteris ipſe, docte & juſtiſſime eruditus, de conquirendis antiquitatum monumentis, & inſtruenda Bibliotheca, dies noctesque cogites, vel potius, jam ejuſce rei fundamenta regia poſueris. Politicæ ſtudia ita diligis, ita meditaris, ut abs te uno leges, ſi nullæ ſcriptæ eſſent, inveniri, ac rationes civiles exponi, facile poſſint. Rem vero militarem, ac ſi perpetuo bella geſſiſſes, intelligis. Etenim, haud ſemel audivi, cum vel a Domino noſtro Clementiſſimo, Cæſare Ferdinando, Chriſtianorum Archigeta, Parente tuo, in conſilium adhiberis, vel ſeorſum illud convocas: aliorum ſententiis ordine acceptis, ita poſtremo ad rem propoſitam loqui ſolitum, ut cum Domino Genitore, cuncti pene obmuteſcant. Quæ cognitio rerum varia, cum judicio excellenti, quia in te perpetua extat, quis te non amet, quis imperium tuum, tanto præſidio ac uſu firmatum, detrectarit? ſed hæc nunc mitto. Quamobrem, Sereniſſime Rex Maximiliane, librum hunc, de tuo cliente, quem nuper adeo gratioſe alloqui, & in patrocinium admittere es dignatus, accipito. Non, quod hiſce te indigere judicem; ſed ut clementia, & commune litteris patrocinium Tuum, huic quoque libro adjungatur, & aliquando majora, te præſertim auſpice, in publicum emittere ipſe audeam. Quod ſi quid forte hic le-

Digitized by Google

legeris, quod te vel doceat, vel moneat, vel confirmare adeo poſſit: navaſſe operam tanto majorem publicæ utilitati, edendo hoc ſcriptore, me putabo. Vale decus, & ſeculi noſtri, ſive domi, ſive foris, expectatio. Viennæ XV. Martii.

S. V. M. cliens

JOANNES SAMBUCUS.

Digitized by Google

JOANNES LISTHIUS

CÆSAREÆ ET REGIÆ MAJESTATIS, &c. SECRETARIUS.

IN RANZANI EPITOMEN

A

JOANNE SAMBUCO EDITAM.

Autorum monimenta qui bonorum
Altis abdita noctium tenebris,
Et livore resecta, vel sepulta
Indagat, satagens ut optimorum
In lucem veniant virum labores,
Laudum præmia promeretur ampla:
Sed majora meretur, atque præstat,
Istum qui patriæ locat laborem;
Majorum bene gesta quum suorum
Ætati celebranda dat futuræ.

Claros Pannonii soli triumphos
Bello paceque splendide peractos,
In compendia digerens, latebat
Multos Ranzanus hic Petrus per annos:
Dignus secula quem legant in ævum,
Laudent, concelebrent, ament, honorent.
Sambucus tamen hunc sua repertum
Cura, restituit, deditque luci;
Illustrare suos volens & ista
Parte Pannonios, Gradivi alumnos.
Hinc grates merito, simulque laudes
Idem perpetuas habet suorum
Omni posteritate ab Ungarorum.

EPITO-

Digitized by Google

EPITOMES
RERUM HUNGARICARUM

INDEX I.

De Pannonia, seu Hungaria Antiqua & Nova.

Regionem illam Europæ, quam hodie appellamus *Hungariam*, *Pannoniam* veteres nominarunt. Quam autem ob causam, aut per quæ tempora, mutatum sit illud priscum ac nobile nomen, quo usi olim sunt vetusti Poetæ, & oratores, atque Historici, Geographique clarissimi, tum nostri, tum Græci fiet satis superque perspicuum ex iis, quæ infra memorabuntur. Ante tamen, quam ad ea ostendenda me conferam; non Hungariæ, sed Pannoniæ vocabulo utar. Quæ his clauditur regionibus: *Norico*, cujus partem non exiguam, hac ætate vocitant *Austriam*; *Magna Germania*, quam vulgus cognominat *Alemaniam*; *Jazigibus*, quæ Germanica natio & ipsa est, sed vulgo verbo corrupto, *Jáz* se ipsi appellant; *Dacia*, cujus pars ea una est, quæ dicitur *Transilvania*, altera quam nuncupant *Valachiam*. Clauditur præterea *superiore Mœsia*, cujus quoque nomen mutatum est, *Serviaque*, atque aliqua ex parte *Rascia*; ab incolis dicitur. Postremo concluditur *Alpibus*, quæ a Carvante monte incipientibus, partim occidentem, partim meridiem versus, continuatis jugis, ad fines usque Illyrici protenduntur. Talibus itaque Pannonia concluſa locis; his mundi plagis a Claudio Ptolomæo circumscribitur. *Ab occasu*, limites habet Cetium montem, partemque Carvantis; qui mons ipse, Cetio continuatur. *A Meridie* partem Istriæ, partem maximam Illyridis; utpote ad flexum usque Danubii, juxta quem Savus fluvius scinditur. *Ad Septentrionem* montes Noricos, decursumque Danubii, quousque Savus in illum irrumpit. *Ab oriente* similiter habet Danubii partem, usque ad eandem Savi in eundem amnem irruptionem. Placere equidem mihi fateor, eam Ptolomæi descriptionem; propterea, quod suis illis nobilibus tabulis, ponit ante oculos veterem, hoc est suorum temporum Pannoniam, cujus regionis, nos non modo juxta veterum, sed juxta etiam tempestatis nostræ descriptionem, hoc loco tradere notitiam instituimus: non prius eam tamen, juxta tanti Geographi ordinem, explicabo; quam ea afferam, quæ de Pannonia ipsa mentionem habentes, tradiderunt alii nonnulli terrarum descriptores illustres, illo vetustiores. Id autem facio eo

Digitized by Google

consilio: ut pernoscant, qui opus hoc legerint, quantum sit discriminis, inter illa quæ sunt hodie, & quæ in usu olim fuerant apud veteres, locorum Pannoniæ nomina. Omnium primus adducatur *Strabo*, quem constat Tiberii Cæsaris ætate claruisse. Is operis sui, de situ orbis, libro septimo, facta mentione de locis Illyricis, quæ prodidit esse Istro Alpibusque contigua, intraque Italiam, Germaniamque jacentia, quæ ait incipere a lacu Vindeliciorum, ac Rhetiorum, aliis deinde nonnullis adjectis, ad Thraces & Galatas, Dacosque pertinentibus: *reliquam*, inquit, *plagam*, *Pannonii obtinent*, *usque ad Segesticam atque Istrum*, *ad Septentrionem atque Orientem. Ad alias vero partes amplius etiam porriguntur.* Pergensque idem auctor: *Segestica*, inquit, *urbs est Pannoniorum, ubi fluvii plures confluunt, omnes sane navigationibus idonei, arxque in gerendo contra Dacos bello, natura perutilis.* Aliis præterea, haud satis a locorum peritis probanda, de Savo Dravoque fluminibus, interjectis: *Penes*, inquit, *Segesticam, castellum est Siscium, & Sirmium, ea situm in via, quæ ducit in Italiam.* Pannoniorum autem populos, ait esse *Breucos*, *Andizetios*, *Diascones*, *Piruscas*, *Mazeos*, *Dæsitiatas; quibus Bato imperavit. Esse* ait & *conventus alios ignobiles, in Dalmatiam usque distentos. Esse & Sardiæos ad meridiem procedenti;* præterea multa alia scripsit de plaga Illyrica, tum montana, tum maritima. *In altioribus*, inquit, & *amplioribus locis*, *sunt montanæ planities*, *quas Pannonii tenent, in austrum usque, ad Dalmatas Ardieosque porrectæ: quæ a Septentrione Istro terminantur; ad orientem vero*, *Scordiscis sunt proximæ*, *qua Macedonum Thracumque montes sunt.* Hæc habuit Strabo, quæ describens sui seculi Pannoniam, diceret; obscura quidem, & rem ad vivum nosse cupientibus, haud satis utilia. Ostendendum igitur hinc est, quid de eadem regione scripserit, longe sane melius, magisque & plenius, *Plinius* noster, Strabone recentior: cum constet ipsum annis post illum duobus ferme & sexaginta, hoc est, Trajani, Romani Principis, temporibus floruisse. Tot enim anni a Tiberii morte, cujus ætate claruit Strabo, ad Trajani usque imperium, ni fallor, colliguntur. Qui namque naturalis Historiæ libro tertio, postea quam memoravit, ea quæ fuerunt ei demonstranda de *Noricis*, quorum regio est Pannoniæ contermina: *habitantur*, inquit, *inde glandiferæ Pannoniæ*, *qua mitescentia Alpium juga*, *per medium Illyricum*, *a Septentrione ad Meridiem versa*, *molli in dextra ac læva devexitate confidunt.* Pauloque post: *quæ pars*, inquit, *ad mare spectat Adriaticum*, *appellatur Dalmatia*, & *Illyricum supradictum. Ad Septentriones Pannonia vergit: finitur inde Danubio. In ea Coloniæ*, *Æmona & Siscia. Amnes clari & navigabiles, in Danubium defluunt*, *Dravus e Noricis violentior*, *Savus ex Carnicis alpibus placi-*

cidior, centum XX. M. P. intervallo: Dravus per Serretes, Serrapilos, Jusos, Andizetes; Savus per Colapianos, Breucosque. Populorum hæc capita: præterea Arivates. Azali, Amantes, Belgites, Catari, Cornacates, Eraviſci, Hercuniates, Ladovici, Oſeriates, Varciani; mons claudius, in cujus fronte Scordiſci, in tergo Tauriſci. Inſula in Savo Metubarris, amnicarum maxima; præterea amnes memorandi, Colapis, quæ culpa hodie dicitur, *in Savum influens, juxta Siſciam, gemino alveo, inſulam ibi efficit; quæ Segeſtica appellatur. Alter amnis Bacuntius, in Savum, Sirmio oppido influit; ubi civitas Sirmienſium & Amantinorum. Inde ad XLV, M. P. Taurunum, ubi Danubio miſcetur Savus. Supra influunt Valdaſus, Urpanus, & ipſi non ignobiles amnes. Pannoniæ jungitur Provincia, quæ Mœſia appellatur, ad Pontum uſque, cum Danubio decurrens.* Huc uſque Plinius. At fuerunt ex antiquis Geographis; qui Pannoniæ longe minores, terminos, quam Strabo, Ptolomæuſque tribuerint: quippe qui ipſam, intra Savum & Danubium, claudi prodidere. *Appianus* autem *Alexandrinus*, ſui operis libro VI. tradit: *Pannoniam, a Græcis auctoribus, ſub Illyrico olim fuiſſe comprehenſam.* Quam vero magnum fuerit apud veteres ipſum Illyricum, oſtenſum mihi fuit ſupra, Suetonii verbis, libro, quo de regno ſcripſi Romanorum. Sed afferendum eſt Appiani teſtimonium, cujus hæc ſunt verba: *Ab Iſtri ortu, ad mare uſque Ponticum, Illyrii fines eſſe voluerunt.* Adjectis deinde paucis, quibus de Pannoniæ nomine ac magnitudine habuit mentionem: *Pæones*, inquit, *ingens natio, circa Iſtrum per longum incolens, ab Japodum populis, ſupra Dardanos protenditur. Hi, Pæones a Græcis; a Romanis Pannonii appellantur.* Sed de his dicendum mihi eſt infra, paulo plenius, ubi de Pannoniæ nomine meminero. Sed redeo ad *Ptolomæum*, ut detur a me notitia, quonam ordine, per ſua tempora, *Pannonia* deſcribebatur. Totam eam regionem diviſit in duas partes. Unam ſuperiorem, alteram inferiorem Pannoniam cognominavit. *Superiorem*, hoc pacto circumſcripſit. Habere eam dixit limites illos, quos ſupra oſtendimus, cum de univerſa Pannonia loqueremur: hoc eſt, ab occaſu Cetium montem, partemque Carvancæ, qui mons diſterminat Noricum ab Iſtria, & a parte quadam Illyridis; a meridie partem Iſtriæ, Illyridis; a Septentrione partem Noricorum montium, partemque Danubii, quæ eſt a Cetio monte, uſque ad locum, ubi Arabo, ſive Raba amnis, in ipſum influit; ab ortu ſolis inferiorem Pannoniam, per lineam, quam ipſa conſtituit, ad utriuſque portionis diviſionem. Teneri dixit ſuperiorem Pannoniam, a parte Septentrionis, ab Azalis & Cytnis; a meridie ſub Norico, a Latobicis; & ortum verſus, a Vartianis. Intra eos, verſus occidentem, ait eſſe Boeos, & ſub his, Coletianos. Verſus

Digitized by Google

autem orientem, Jaſſios, & ſub eis, Oſſeriates. Civitates has eſſe ſub Danubio ſitas: Juliobonam, Carnum, Phlexum, Chertobalum, Bregætium. Procul autem a Danubio civitates has: Salam, Pœtovium, Savariam, Rhiſpiam, Vinundriam, Bononiam, Andautonium, Novidunum, Scarabantiam, Muroelam, Lentudum, Carrodunum, Siſciam, Olimacum, Vallinam, Bolentium, Sorogam, Siſopam, Viſontium, Prætorium, Magnianam. Inter Italiam ſub Norico vero, Emonam.

Alteram, hoc eſt *inferiorem Pannoniam*, hoc pacto circumſcribit. Ab occaſu terminari eam ait, ſuperiore Pannonia, a linea, quam a ſciſſione Arabonis fluvius, ut ante dictum eſt, ipſe conſtituit, quemadmodum ſuis oſtenditur tabulis. A meridie partem Illyridis, quæ eſt a dicto limite, ad flexum uſque Danubii, juxta quem ſcinditur Savus fluvius. A ſeptentrione & oriente, partem Danubii, quæ eſt a ſciſſione Arabonis, uſque ad ſciſſionem Savi. Hanc autem Pannoniæ partem, hunc ſitum habere docuit. Poſt Arabonem eſſe ait, Danubii flexum, qui fit juxta Curtam oppidum. Maxime deinde ſeptentrionalia Danubii, poſtea ejuſdem amnis converſionem, juxta Acumincum oppidum: poſtea ejuſdem converſionem, juxta oppidum Ritium nomine. Eandem Pannoniam teneri, ait, ab his populis: in locis quidem occidentalibus, ab Amantinis, ſub quibus Hercuniates, poſt eos Andiantes, poſt hos Breucos. In locis vero orientalibus, maxime ſeptentrionales eſſe Araviſcos, maxime autem meridionales Scordiſcos. Has civitates ſub Danubio poſitas: Curtam, Salvam, Capim, Aquicum, Salinum, Luſſonium, Lugionum, Teutoburgium, Cornacum, Acumincum, Rittium, Taururum. Procul ab eodem amne, has civitates: Berbim, Serbinum, Juollum, Certiſſam, Murſellam, Cibalim, Marſoniam, Vacontium, Murſiam, Salim, Baſſianam, Tharſium, Sirmium.

Oſtenſis jam Pannoniæ limitibus, quos ei conſtituerunt priſci terrarum deſcriptores, explicatiſque nominibus, ſituque vetuſtarum civitatum: noſtræ tempeſtatis nihil de ejus limitibus dicendum eſt. Iidem enim ſunt hodie, qui Ptolomæi ſeculo fuerant; quanquam non eſt ambiguum, Pannonum Reges, ſuos exceſſiſſe fines, atque ad alias quaſdam nationes, eorum imperium propagaſſe, ut infra ſuis in locis, quantum ſatis fuerit, oſtendetur. Verum cum aliæ quædam gentes, ex Europæ Sarmatia profectæ, utpote Hunniprius pulſis præſidiis Ramanorum, quorum ditionis tunc erat, ſubactiſque Pannonibus; poſtea Hungari, deletis a Carolo magno Hunnis, ut infra Deo bene favente demonſtrabo, Pannonias ipſas, poſtea longe lateque tenuerint, ac propterea ab illis, & mutata ſunt multa priſcorum locorum nomina, & per plures conditæ civitates:

Digitized by Google

tes: videtur adhortari locus, ut explicentur nomina, novorum tum populorum, tum civitatum, quas ibi condidere. Fateor, me non ea, vel cura vel diligentia, totas peragraſſe Pannonias, ut ea de re, quam hoc loco ſcripturum me polliceor, nimis exactam poſſim dare notitiam: mihi tamen ita ipſe conſului, ut ex Hungaris hominibus aliquot mihi adhiberem, qui eſſent locorum periti, a quibus acciperem, ac perdiſcerem nomina ſitumque locorum, de quibus inſtitui meminiſſe. Hungarorum hominum, quadruplex omnino ordo eſt. Pars eorum Deo dicati viri, utpote Sacerdotes ſunt, quorum Antiſtites, præcipua apud nationem pollent auctoritate. Alii rei inſerviunt militari, quorum qui ex armorum uſu, aliquod egregium facinus ediderunt, ii Duces ſunt copiarum, ſub quibus ingens e vulgo delecta manus, ſtipendia faciunt. Multi nobilitate generis clari, *Barones*, vulgatiſſimo nomine dicuntur, qui ex majorum ſucceſſione, ſuis vel vicis, vel arcibus & caſtellis, vel oppidis dominantur. Ceteri, in excolendis agris, vitam conſumunt. Opifices, hoc eſt eos, qui dant operam mechanicis artibus, ſi & multitudinem incolarum, & regionis conſideres amplitudinem, perpaucos inveneris. Longitudo quippe atque latitudo terrarum, quas Hungarorum Rex Matthias hodie poſſidet, tanta eſt, ut quoquo verſum tetenderis, non minus octingentis millibus Romanorum paſſuum iter confeceris. Ceterum qui ſunt, qui aut mercatura, aut artium, quas dixi, uſu vivunt; eorum plerique, Germanici ſunt, non Hungarici generis homines. Nam propter propinquitatem regionum, innumeri e Germania mortales, tranſmiſſo Danubio, in Hungaria, propter ſoli ejus feracitatem, habitandi ſibi locum jam pridem elegerunt. Quo fit, ut Germanus, cum Hungaro mixtam vitam degens, habitu moribuſque magna ex parte conveniat; utque alter alterius lingua loquatur. Univerſam Hungariam, in pagos conventuſque dividunt, quos cum appellent *Comitatus*, fit, ut & tota ipſa regio, in Comitatus diviſa ſit. Ipſi conventus, a civitatibus nomen accepere. Sunt autem Comitatus complurimi, numero LXXIII. Eorum multi a dextra, multi a læva Danubii poſiti ſunt. Sed eos primum, qui a dextra; deinde, qui ſunt ad lævam, enumerabo. *Sirmienſis*, dictus a Sirmio, antiquiſſima, & hodie Epiſcopalis ſedis dignitate præſtanti civitate. Patria fuit, & *Probi* Romani Imperatoris, & *Beati Demetrii* Martyris. Antiquæ urbis apparent adhuc multa veſtigia; quibus, quæ fuerit ipſius magnitudo, ſatis declaratur. Præeſt Sirmienſi Eccleſiæ, *Stephanus Criſpus*, natione Hungarus, vir bonarum artium ſtudiis apprime deditus, mira præſtans humanitate, aliarumque multarum virtutum excellentia, liberalitate præſertim. In eadem regiuncula, Comitatus eſt *Valconienſis*, ubi

eſt

Digitized by Google

eſt oppidum, *Villacum* nomine, dignitate & ipſum Epiſcopali nobile. Ejus Antiſtiti, non pauca ſuperioris Mœſiæ, id eſt Serviæ, olim paruere. Quæ amiſſa ſunt propterea, quod noſtro ſeculo Turcæ, totam eam regionem ſibi occupavere. Poſt eum Comitatus eſt *Poſeganenſis*, a *Poſega* appellatus oppido, qui intra Savum Dravumque diffunditur. *Baranienſis*, multis fertilibuſque exornatus vicis eſt; & in eo *Peuce*, civitas opulenta, & nobile totius regionis emporium, a veterum Peucinorum reliquiis ædificata, quam nunc a quinque ſacris ædibus, *Quinque Eccleſias* urbem cognominat. Ejus Antiſtes eſt *Joannes*, vir doctus, & in primis humanus, generiſque nobilitate præclarus. *Báchienſis* a *Báta* nominatus, qui vicus quidem eſt, ſed nobilis, ob ſitum; in eo monachorum ordinis ſancti Benedicti monaſterium, quod fama illuſtriſſimum eſt, propter evidens illud miraculum, quo in ſacra hoſtia, ſanguis cum portiuncula quadam Chriſti carnis videtur, ut affirmant innumeri, qui viderunt. *Simigienſis*, *a Simigio* dictus; qui pagus eſt, in cujus agro poſita olim fuit *Segeſta*, vetuſtiſſima civitas, cujus Geographi veteres meminerunt. Eſtque idem ager frequens vicis, quos tenent accolæ *lacus*, qui dicitur *Balatonis*. Eſt is lacus mire piſcoſus, tantaque eſt amplitudine, ut ducentorum M. P. ejus ambitus eſſe feratur. *Tolnenſis* a *Tolna*, quod oppidum ſitum eſt, penes Danubium; & illic tria ſunt vetuſta monaſteria, quæ pagis compluribus circumſunduntur, *Albenſis*, ab urbe, quam vocant *Albam Regalem*, nomen accepit; quæ, cum in paludoſis ſit poſita locis, redditur expugnatu difficilis. Eſt illic Baſilica, olim a Beato Stephano condita, ut infra ſuo loco narrabitur, eo nobiliſſima, quod in ea conditur ejuſdem Regis, ac Beati Emerici, filii ejus, venerabile corpus. Ubi jacent & alia complura corpora eorum, qui poſt iſtum, regnum in Hungaria tenuere. Nobiliſſima quoque eſt, quod illic Reges & Reginæ Hungariæ, ſolent regni diadema ſuſcipere. Auget eam hoc tempore, Divus Matthias, opere ſuperbiſſimo, tanto videlicet erecto artificio, atque ædificii pulchritudine, ut non ſatis ſit, illud ſemel & iterum, ſine admiratione vidiſſe. Dignum profecto, quod quibuſvis totius orbis Baſilicis poſſit jure conferri. Statuit in ea condere pari opere ſepulchrum, ubi mortuus ſepeliatur. In eodem Comitatu eſt *Colotia*, Archiepiſcopali dignitate, memoratu digna civitas. Nomen civitati inditum eſt, a *Colotianis*, qui Bartholomæo teſte, populi, intra Savum & Danubium, haud procul a Petovio, ſedes olim habuere. Huic e conſpectu, ad occaſum, eſt *Veſprimienſis* dictus, quæ & ipſa Epiſcopali dignitate inſignis eſt; eo præterea præclara, quod ad ejus antiſtitem ſpectat, coronare Hungariæ Reginas. *Zaladienſis* quoque comitatus eſt, cujus memini, ad

Ba-

Digitized by Google

Balatonis lacum; ejus ager, vinetis abundat, ex quibus fiunt vina laudatiſſima. Uſque ad Dravum fluvium, protenditur is comitatus. Inde autem via eſt *Zagrabiam* verſus, Epiſcopali ſede, civitatem nobilem. Illud eſt hoc loco mentione dignum: quidquid agrorum eſt inter Dravum & Savum, cognominari ab incolis *Sclavoniam*, corrupto tamen a vulgo vocabulo, ut nonnuli autumant; *Savoniam* enim, abſque literis *c* & *l*, pronuntiandum fuit, a *Savo* fluvio. Id ſi verum eſſet, *Savones* non *Sclavones*, & *Savoniam* non *Sclavoniam*, dicendum nobis eſſet. Ea autem Regio hoc ſibi vendicavit claritudinis, ut ab ipſa nomen acceperit univerſa *Dalmatia*, cum ibi conterminis, *Illyride* atque *Liburnia*; quæ uno vocabulo, ab omnibus pene orbis nationibus, vulgo ita vocitantur, qui vero ipſas tenent, *Sclavones*. Quidquid præterea eſt agrorum trans Savum, per quos fit iter Italiam verſus, *Croatiam* nominant. Qua in regione eſt *Modruſium* cujus civitatis Epiſcopus, eſt *Chriſtophorus*, natione Raguſienſis, vir pontificii juris peritus, & in primis humanus: ideoque divæ Beatrici, Hungarorum Reginæ, incredibiliter charus; mihi autem, magna conjunctus benevolentia. A Modruſio, intervallo M. P. XXX. fit iter *Segniam* civitatem, eo nobilem, quod caput eſt comitatus ab ea dicti, *Segnienſis*, & ſedem habet Epiſcopalem, & quod maritima eſt; quod præterea per eam, eſt ad ceterum Hungariæ regnum aditus. Hungarorum enim Rex Matthias, tantum habet Imperii, ut hinc Adriaticum, illinc Sarmaticum attingat mare, & ab ortu quidem, parum diſtant a mari Pontico; terræ, quas poſſidet. Redeo ad id, unde exceſſi. In eodem, de quo dicebam Zaladienſi comitatu, eſt & *Citonii* peninſula, ubi mira piſcium multiplicis generis abundantia. Eſt autem illic nobilis Baſilica, ab Andrea Rege, uti ſuo loco memoratur, condita. *Piliſienſis*, Danubio propinquat. Montana Regio eſt, & tota vitifera: cum tamen ſolum ejus ſit ſulphureum, fit, ut vina, quæ ferat, ſint & ipſa ſulphurea. E multis ejus agri locis, aquæ manant calidæ, quarum nonnullæ, humanis ægris corporibus, ſalubres ſunt. Ad eum comitatum pertinet utraque *Buda*, vetus & nova, penes Danubium poſitæ. Dicta fuit illa, ut nonnullis placet, a *Bleda*, Attylæ Regis fratre, vel ut malunt alii, a *Budinis*, vetuſtiſſimis Scytharum populis, qui cum Attyla & Bleda, Pannonias domuere. Illi tamen verius mihi ſenſiſſe videntur, qui Bledam, non ex ſuo nomine vocaſſe Budam affirmant; ſed ex vocabulo legionis Budinorum, qui ſub ipſo militaverunt. Et ab illa veteri, ea, quæ dicitur nova Buda, nomen accepit. Deleta namque illa, vel bello, vel alio eventu adverſæ fortunæ, reliquiæ civium inde excedentes, commigraverunt ad locum: qui illis eſt viſus natura munitior: ubi poſuere ſedes, ac paulatim ædi-

Digitized by Google

ficando, eo perducta est res eorum, ut urbem tandem, etsi parum amplam, pulchram tamen nobilemque condiderint, quam ab antiqua patria nominaverunt. In illa veteri Buda, quæ vicatim hodie habitatur, Basilica quædam est, ædificiis, opereque, atque artificio superba, digna profecto, quæ non in illo loco pene deserto, sed in quavis egregia urbe fuisset erecta. Præest ei, præposituræ titulo, *Franciscus* cognomine *Mester*, natione Hungarus, qui bonarum artium, & humanitatis præsertim, callet notitiam. Ideoque & in soluta oratione, & in componendis carminibus, ejus est elegans ingenium. Nec est prætermittendum, quod ibidem est virginum, ordinis Beati Francisci, monasterium, cujus magnitudini, ædificiorumque magnificentiæ, ac pulchritudini, multitudinique pretiosarum rerum, divino pertinentium cultui, pauca puto esse in orbe Christiano ejuscemodi virginum cœnobia, quæ huic possent anteferri. Supra eandem Budam, in eadem Danubii ripa, extant adhuc vetustissimæ cujusdam urbis vestigia, referentia magnum muri ambitum; *Sicambria* is locus vocitatur. Sunt, qui credunt, fuisse ei nomen inditum a *Sicambris*, Germaniæ olim populis, quorum auxiliaria quædam legio, Romanorum Imperatorum temporibus in Pannonias profecta, sedes ibi posuerat: sed & Franci, ab ipsis quoque Sicambris, se habuisse originem affirmant, uti supra, habens regni Francorum mentionem, ostendi. Haud multo supra, penes quoque Danubium, est *Vicegradum*, oppidum quondam nobile; hodie, ubi situm ante fuerat, ædificata est a divo Matthia, regia, veteribus quibusvis ejus generis æquanda ædificiis. Imminet ei loco mons, in cujus vertice posita est arx, ubi asservatur diadema illud apud Hungaros sacrum, quo solent eorum Reges coronari. Supra Zaladiensem, est comitatus *Castriferensis*, dictus ab oppidulo, quod *Castrum ferreum* nominatur, cum sit expugnatu difficile. Norici portiuncula est. Illic est *Sabaria*, vetusta olim civitas, cujus apparent adhuc multa vestigia: inter quæ spectantur columnæ eximiæ magnitudinis. Ibi natus est Beatus *Martinus*, ubi & transegit pueriles annos; quanquam in Italia suam peregit adolescentiam. Hunc attingit *Sempronienſis*; appellatus est a Sopronio oppido, ut pronuntiat vulgus: *Sempronium* enim dicendum esset, ut credunt doctiores. Namque oppinantur, Sempronium, virum nobilissimum, Romanam illuc eduxisse coloniam. Conterminum est ei comitatui oppidum, quod est in Austria, *Nova civitas* nomine. Sunt in eo aliquot munitissima oppida, & pagi quamplurimi. Comitatus *Sancti Georgii*, ad quem pertinet oppidum, nomine *Castrum antiquum*. Si illinc Danubium versus iter fiat: occurret *Jaurienſis*, nominatus a *Jaurio* civitate, quam alluit *Arabon* fluvius, ita nominatus a veteribus, sed *Raba* dicitur hodie ab accolis,

Digitized by Google

lis, qui eodem in loco Danubium ingreditur. Haud procul ab Jaurio, *mons* eſt, quem nonnulli vocant *Pannonium*, & ab eo cognominatam dicunt fuiſſe *Pannoniam*, quod docti viri non probant; quippe qui non *Pannoniam*, ſed *Pannonium* genitivo caſu, dicendum malunt, ut ſit intellectus: Pannonum hominum eſſe ipſum montem; non ab eo nomen, quando quidem parvi momenti res eſt tam amplam regionem aſſumſiſſe. Alii *ſacrum montem* appellant, propterea, quod in ejus vertice ſitum eſt monaſterium, in Beati Martini honorem, a Beato Stephano, Hungarorum olim Rege, conditum. Vinetis is mons vinoque ornatur. Ipſum vero monaſterium, tenent monachi ordinis Beati Benedicti: *Archiabbatia* appellatur ab Hungaris, cum ejus Abbas, dignitate, univerſis, qui ſunt in Hungaria Abbatibus, antecellat, nec ulli ſubſit, niſi Romano pontifici. Conterminus eſt huic comitatus *Comarienſis*: cui a *Comaro* oppido, vocabulum inditum eſt. In eodem comitatu eſt *Tata*, nobile olim oppidum, ſed bellorum aſſiduitate ſublatum, non tamen adeo deſertum, quin ſint hodie pagi pulcherrimi, circa loca vetuſtæ arci propinqua. Arcem autem ipſam, jam ſolo æquatam, miro opere, divus Matthias, intra paucos annos inſtauravit; quod ſuo in loco, nos, Deo bene juvante, attingemus, ubi & memorabimus, a quo is locus acceperit nomen. *Strigonienſis* hunc attingit, dictus a *Strigonio*, totius Hungariæ Metropoli, quam ab *Iſtro* & *Grono* fluvio, qui urbem præterlabuntur, cognominatam nonnulli putant, prima ex Iſtro detracta littera.

Hactenus de Comitatibus, qui ſunt ab una Danubii parte, utpote dextra, ab illius fonte, ſecundo fluvio navigantibus; eos, qui ſunt a læva, hinc enumeremus. Quanquam non comprehenduntur in deſcriptionibus illis, quæ ſupra allatæ ſunt, veterum Pannoniarum, ſeu mavis veteris Hungariæ dicere: ea namque, a magna Germania, Danubio magna ex parte olim diſterminabatur. Quidquid igitur terrarum, trans Danubium poſſident Hungarorum Reges, id totum eorum eſſe conſtat, aucti poſtea ab illis fines Imperii. Et jam ab eo, qui nominatur *Peſtienſis* a *Peſto* oppido, ſumamus initium præcipue: quia rerum copia, redituumque, locus abundatiſſimus. Eo quoque eſt is locus apud univerſos Hungaros fama inclytus, quod in ejus agro, eligi Reges Hungariæ conſueverunt. Quo enim tempore eligunt ſibi Regem, fieri ſolet totius regni, & optimatum, & capitum populorum, conventus adeo frequens; ut numerus convenientium, ſæpe excedat ſummam octoginta millium armatorum hominum, quorum pars maxima equis vehuntur. Et quod eſt admiratione dignum, nihil ulli deeſt, quod ad victum abunde pertineat. Supra Peſtenſem, ad M. Romanorum paſſuum ferme centum, abeſt *Poſonienſis*, nomen habens a vetuſta urbe,

Digitized by Google

Piſonium, ut credo, aliquando, ab aliquo e Romanorum Piſonum familia, nominata. Sed vulgus poſtea, *i* mutata in *o* littera, pronuntiavit *Poſonium*. Perpulchrum oppidum eſt, & fertilitate agri, ob Danubii vicinitatem, inſigne. In monte, qui & imminet, ſita eſt arx munitiſſima, in que puteus eſt, & amplitudine & altitudine memorabilis. Supra Poſonium eſt *Nitrienſis*, Epiſcopali ſede præclarus. Quem ſequitur *Barſienſis*, ubi eſt *Reviſchium* oppidum. *Trinchinienſis* ei conterminus eſt, nomen habens ab oppido illic ſito. Ibi quoque eſt oppidum, quod dicitur *Ternavia*. Ad *Hontenſem* inde venitur, ubi eſt *Satum*, non ignobile oppidum. Hunc excipit *Neugradienſis*, cujus ſoli ubertas, in primis commendatur ab Hungaris. *Batia* illic eſt, quæ antiquitus clara civitas fuit, eo præcipue, quod ei nomen inditum eſt ab *Otone*, viro apud veteres illuſtri, qui Pannonibus olim imperavit. Ad regionem *Marmatiam* antiquitus dictam, nunc appe latam *Marmaruſam*, *Gömorienſis* Comitatus ſecedit. Effoditur illic æs, ferrum, & argentum. *Zolienſis* ibidem eſt, a vico quodam denominationem aſſecutus, in cujus agro, ſodina eſt ferri laudatiſſimi. *Zolinenſis* quoque in eadem regione eſt, qui nomen accepit ab oppido, cujus ager, feracitate argenti & auri, inſignis eſt. *Saroſienſis*, qui fines ſpectat Ruſſiæ, a caſtello quodam in eo poſito nomen accepit. *Scepuſienſis*, dictus a *Scepuſio* oppido, Poloniæ conterminus eſt. In montibus, prope Marmaruſam, eſt *Unghenſis*, quem nonnuli putant accepiſſe nomen ab *Hunnis*: ſed a vulgo corruptum fuiſſe vocabulum, *Ungenſem* pro *Hummenſem* pronuntiante. Id autem ego neque affirmo, neque reſello. Sub eiſdem montibus, in campeſtribus locis, eſt *Heveſienſis*, ubi eſt *Agria* civitas, Epiſcopali ſede nobilis. Ei præeſt *Urbanus* Antiſtes, theſauri Matthiæ Regis conſervator fideliſſimus, vir acuto ingenio, multis præditus virtutibus, prudentia præſertim, quæ tanta ei ineſt, ut ob eam, idem Rex, ipſum & amet incredibiliter, & ſecretorum ſuorum det eſſe participem. *Borſodienſis* deinde, ubi *Dioſiur*, caſtellum non ignobile. Trans Tibiſcum fluvium eſt *Zabolcſienſis* & *Zolnocenſis*. Tibiſci autem accolæ, ſales foſſiles e Marmaruſa, ubi ſunt ejus rei fodinæ complures, convehunt in Danubium, unde ad alia regni Hungariæ loca tranſportantur. Haud procul hinc, comitatus eſt *Bihorienſis*, ubi eſt *Varadinum* oppidum, illuſtre Baſilica, in qua Beati Ladislai ſacrum corpus ſepultum eſt. Præſidet ei Eccleſiæ *Joannes Boemus*, vir acuto ingenio, bonarumque diſciplinarum ſtudioſus, ac multarum rerum experientia ſummus. Ideoque divo Matthiæ percharus, cujus juſſu functus eſt compluribus honeſtiſſimis legationibus, quarum gratia, magnum ſuit honorem & gloriam conſecutus. Struebat Varadini arcem inexpugnabilem, cujus ingens

mu-

Digitized by Google

murus turreſque, & idoneæ tanto operi manſiones, ſatis planè oſtendunt, magnitudiuem animi conditoris. Sacram, cujus eſt Antiſtes, ædem, ditavit pretioſis tum ſacerdotum veſtibus, tum argenteis vaſis, libris præterea magnis, quos vocant graduarios & antiphonarios, omni ex parte adeo mire exornatos, ut magni ac ditiſſimi alicujus Regis, dicata Deo dona, poſſint non immerito judicari. *Bekeſienſis* deinde, recedit ad Tranſilvaniam; & conterminus eſt *Orodienſis*, qui nomen accepit ab *Orodio* oppido, ubi eſt Belæ Regis, qui fuit cæcus, ſepulchrum. Huic vicini ſunt *Zarandienſis*, & *Torontalenſis*, & penes Tibiſcum fluvium, *Chongradienſis*, & *Chanadienſis*. *Themeſienſis* vergit ad ſuperiorem Mœſiam, dictus ab oppido *Temeſo* nomine, quod frequentibus circumdatur vicis. *Bachienſis* huic conterminus eſt, Epiſcopali dignitate nobilis. *Bodroghenſis*, in Danubii ripa, nomen habet a caſtello, quod illic eſt. *Zathmarienſis*, ſodinarum auri & argenti maxime abundans, per montes extenditur. Eſt ibi oppidum, quod *Rivulum minerarum* vocitant. *Bereghenſis* habet oppidum *Munkatſium* nomine, in monte altiſſimo poſitum; conterminus ei eſt *Ugochienſis*: hi autem Comitatus ſunt in Marmatia, quam regionem, dixi ego ſupra vulgum appellare Marmaruſam. In Moraviæ, quæ regio nomen accepit a Mora fluvio, & Poloniæ finibus, *Liptovienſis* eſt, dictus ab urbe *Liptovia*, & *Arvenſis*, & *Turocenſis*. Cui regioni conterminus eſt *Abavivarienſis*, ubi eſt urbs *Caſſovia*, & *Eperies*, ſed illa nobilitate huic antecellit; eſt enim totius regionis ſama inclytum emporium. *Zemplinienſis* hunc attingit, in cujus agro, Hungari in Pannonias venientes, dicuntur primas ſibi ſedes poſuiſſe. *Marmaruſienſis*, ubi ſalis ſodinæ ſunt, & quinque oppida, compluresque vici. *Tranſilvanienſis*, ubi ſunt ſeptem Saxonum Civitates. Ex his hæ ſunt inſigniores: *Saxonia*, *Cibinium*, *Braſſovia*, *Biſtricia*, *Coloſvarum*: quod Sarmatarum lingua, interpretatur *ſcholaſticum oppidum*, quo in loco natus eſt divus Matthias, cui nos librum hunc dedicavimus. *Alba Julia* præterea, ubi ſodinæ ſalis, & *Scytulorum* patria, de qua populos, verbo corrupto, ut nonnulli autumant, appellant *Siculos*. Ajunt enim, eos a Scythis habuiſſe originem. Sunt nihilominus, qui vetuſtiora repetentes, putent, Siculos revera eos dicendos eſſe, non Scythulos. Ejus namque gentis genus, referri volunt in Siculos, qui tenent Siciliam inſulam, in extremis Italiæ locis poſitam. De qua ſupra, multis in locis, ubi poſtulare viſa res eſt, habui mentionem. Perhibent igitur, ejus nationis quondam legionem, ſub Attyla, olim Pannoniarum domitore, militaſſe: ut enim ex aliis compluribus orbis terrarum regionibus, ita ex Sicilia, multi convenere mortales ad exercitum Attylæ, ut mererent ſub Duce, quo nullus tunc

Digitized by Google

erat toto orbe præclarior. Illo poſtea extincto, ingentique illius exercitu, maxima ex parte, ut idoneo in loco infra memorabitur, deleto: aliis alio contendentibus Siculorum legio, in hoc, de quo nunc eſt mentio, loco, ſedes ſibi locavit. Commixti deinde, objuncta matrimonia, cum finitimis, mutata nationis ſuæ lingua aliam acceperunt, illaque in hanc diem uſi ſunt. Genus hominum ferox, ita mutato patrio ſolo, imbutique alienigenarum gentium moribus, exaſperati ſunt, qui ex Sicilia fuerant oriundi. Regi nulla pendunt vectigalia, niſi aliquando domitum bovem, nullo eis imperatum edicto, ſed a Rege exoratum, quaſi id regni aliqua urgeat vel neceſſitas, vel utilitas. Memini jam non modo Hungariæ, ſed totius etiam regni. Regum Hungarorum, comitatuum nec ignoro, & alios eſſe complures, quos non invitus miſſos facio. Quamvis enim perquiſiverim perquam diligenter; nunquam tamen nactus fui hominem, qui mihi totum eorum numerum ordine retuliſſet. Poſt hæc in laudibus regionis, quam poſſident Hungarorum Reges, paucis libet verſari. *Hungaria*, mira ſoli ubertate, rerumque humanò victui tum utilium, tum neceſſariarum copia, a natura donata eſt. Multæ illic auri, argenti, æris, ſalis, minii fodinæ; in aliquot fluminibus, auri puri ramenta inveniuntur. Et, quod eſt mirabile, in vinetis, in aurifero loco ſatis, aureæ virgunculæ, & ad digiti, & ad ſemipedis longitudinem quandoque leguntur, cujus generis complures nos vidiſſe, fatemur. Boum, equorum, porcorum, frumenti, pabuli, leguminis, vini, denique aliquot bonorum ad veſcendum fructum, mira abundantia. Unde nonnulli a pane, quo veſcuntur homines, ob ſoli videlicet fœcunditatem, affirmant nominatam. Alii propter eandem cauſam, utpote propter ſoli pecorumque fœcunditatem, appellatam affirmant a pane, quem vetuſtas dixit Deum eſſe paſtorum. Id autem vero poteſt eſſe ſimile. Ceterum Appiani Alexandrini, de ejuſdem regionis vocabulo, ſequor ego, eam, quam ſupra attuli, traditionem. Hungarico ſolo, ea, inquam, a natura donata eſt ubertas: ut ſi aliunde alia multa, fationi apta, comportarentur, ad ea ferenda eſſet haud dubie accommodatiſſima. Sunt multa loca, in quibus ſcaturiunt calidæ aquæ, ad curandos humanos morbos ſalubres. Aquarum vero dulcium, tum copia, tum opportunitas, in regno Hungariæ maxima: quippe cum ſit irriguum, non modo maximis, qui ſupra ſunt a me nominati, amnibus; ſed quam plurimis etiam modicis, & ſine nomine fluminibus. Quo fit, ut maxima abundet copia piſcium amnicorum. Hominum ingenia acuta, & excellentia; ceterum armis, quam liberarum artium ſtudiis, propenſiora. Mira hæc regnum habet Hungarorum. Haud procul ab urbe

Caſ-

Digitized by Google

Caſſovia, rivus eſt, in quem poſitum ferrum, mutatur in cuprum. Nec longo ab eo loco, eſt aqua, in qua gignitur genus illius metalli, quod vocant vitriolum. Ad aliquot millia paſſuum ſupra Caſſoviam, gignitur criſtallum, ac genus illud lapillorum, qui appellantur topacii. Haud procul a *Zolio*, a quo oppido denominatum Comitatum dixi ſupra, eſt locus concavus, unde emanat vapor, omnis generis animalibus pernicioſus: eo namque infecta, illico moriuntur. Prope *Scepuſium* ſunt rupes, unde ſtillantes aquæ guttæ, æſtate glaciantur. Sunt loca, in quibus terra ſuperficie tenus abunde evomit ſulphur. Sunt & ſalis prærupti montes, quem fert natura. Sunt aquæ ferentes piſces, qui, cum coquuntur, ſolvuntur in fumum. In Tranſilvania ſunt cavernæ, in quibus ſunt & multa & integra, licet nuda cute, capita, ceteraque oſſa mortuorum draconum. Nec ſatis reddi poteſt cauſa, vel unde, vel quomodo, talia monſtra fuerint ad ea loca delata: eo præſertim, quod in ea regione, ejuſce generis animalia, nequaquam gignuntur. Quanquam ſunt, qui opinantur, per diluvium, ex Africa, aut ex locis aliis, ubi gignuntur dracones, exundantium aquarum impetu, ea corpora illuc fuiſſe correpta. Ex capitibus autem illis, unum mihi dono datum eſt, quod in rei tum fidem, tum memoriam, meis Italis oſtendendum reſervo.

INDEX II.

De Danubii fluminis origine, & decurſu.

Ita deſcriptis Pannoniis, cum ſupra multis in locis meminerim *Danubii*, qui fluvius eſt omnium, qui ſunt in tota Europa, clariſſimus, imo omnium, qui ſunt in toto orbe terrarum, præter Gangem & Nilum, ut nonnulli ſcriptores affirmant, maximus: non erit abs re, ſi ipſum hoc loco quoque deſcripſero. Huic amni, duó nomina veteres indidere, quod quam paucis expreſſit, *de Ponto*, *libro ſecundo*, *Ovidius*, his verbis: *Vicina binominis Iſtri.* Namque a loco ſui ortus, ad magna multarum regionum, per quas labitur, intervalla, *Danubium* ipſum appellaverunt. A locis autem vicinis mari Pontico, in quod influit, cognominaverunt eum *Iſtrum*, ab *Iſtria*, quæ regio quidem olim fuit juxta Pontum, quam tenuerant coloni Mileſiorum, ut proditum eſt *ab Herodoto*, *Hiſtoriarum libro ſecundo.* Fuerunt nihilominus, qui tradiderunt, in quibus eſt *Plinius*, ipſum Iſtri nomen accipere in locis, in qui-

Digitized by Google

quibus incipit illyricum attingere, utpote haud procul a *Bebiis montibus:* quibus dirimitur inferior Pannonia, ab ipsa Illyride, juxta Ptolomæi descriptionem. At vero *Ptolomæus* ipse ait: *Appellari Istrum a loco, ubi est Axium, civitas inferioris Mœsiæ, penes Danubium posita:* unde hic amnis incipit labi in orientem, donec perveniat ad urbem *Dinogetiam*, a quo loco convertitur in meridiem, & ad eam plagam in mare exit Ponticum. Oritur, teste *Plinio, natur. Hist. lib. quarto*, idemque in suis tabulis ostendit *Ptolomæus*, in Germaniæ jugis montis Anobæ, ex adverso Rauraci, quod fuit olim Gallorum oppidum. Hodie ab ejus fonte XL. ferme M. P. intervallo, sita tamen ad ipsius fluvii ripam, distat *Ulma*, nobilis civitas Germanorum. Labitur multis ultra Alpes millibus, sed primum quidem Septentrionem, deinde meridiem versus, per numeras gentes. Linquit autem a sinistris Germanos, a dextris Teutones, & eas gentes, quas vetustas nominavit *Vindelicos* & *Noricos*, *Suevos*, *Bavaros*, *Austrienses*. Deinde a dextris quidem habens *Pannonias* ac totam superiorem, magnamque partem inferioris *Mœsiæ*, a sinistris vero *Jaziges Metanastas*: talibus enim nominibus eos appellavit antiquitas; *Daciam* præterea, & partem quandam Mœsiæ inferioris, quæ hodie dicitur *Bulgaria*, longissimo peracto cursu, septemque divisus ostiis, ut *Solinus* ait; ut autem *Plinius*, *Ptolomæusque* auctores sunt, sex in mare Ponticum defluit. Sed & placet afferre, quæ de ejus ortu, atque vocabulis, magnitudineque ac decursu, Pomponius Mela, pauciſſimis prodidit his verbis: *Ille fluvius, qui Scythiæ populos, a sequentibus dirimit, apertis in Germania fontibus, alio quam definit nomine, exoritur. Nam per immania magnarum gentium, diu Danubius est; deinde aliter appellantibus accolis, Ister fit, acceptisque aliquot amnibus, ingens jam, & eorum, qui in nostrum decidunt mare, tantum Nilo minor, totidem ille ostiis, sed tribus tenuibus, cæteris navigabilibus, in mare Ponticum effluit.* Sed magis particulatim demonstranda res est. Oritur fonte mediocri, accessu multorum amnium exauctus, brumalem orientem versus, magnis voluminibus spatiatur, patentibus maxima ex parte campis, quoad attingit urbem *Budam*, nostro tempore dictam, sed *Bledam* olim appellatam, a Bleda fratre Attylæ Regis antiquissimi Pannoniæ conditam, & nunc regni Hungarorum sede clarissimam. Hinc ad meridiem tendens, labitur semper angustior. At ubi per aliquot passuum millia, infra urbem, quam vocant *Quinque Ecclesias*, Dravum excipit, & ipsum quidem insignem fluvium, iterum cursum ad hyemalem ortum dirigit, *Villacumque*, ac *Vaciam*, & alia nonnulla clara Hungarorum præterlabitur oppida, donec apud *Taurinum*, Triballorum olim emporium, quod hodie dicitur *Belgradum*, Tybis-

Digitized by Google

hiſco amne, ex Scythicis montibus recepto, Savo flumini commiſcetur. Hic relicta Pannonia, Mœſiam dextra, ut ante dictum eſt, pertingens; paulatim ad æſtivum ortum, inſtar pelagi, tacitus perfluit, multis in locis flectitur, ſæpeque terras vel perumpens, vel altius ſubmovens, ad *Nicopolim* tandem evadit, oppidum, Heraclii Imperatoris victoria, & morte filii Goſdruæ, Regis Perſarum, nobile. Ex eo loco deflectitur in notum, in vicinum procul dubio caſurus Euxinum Pontum, apud *Meſembriam*, ni vaſtis montium lateribus, prohibitus attingere Thraciam, ab *Aſprocaſtro* oppido, viam in ſeptentrionem deflectere compelleretur. Quam viam, multis millibus paſſuum emenſus, ubi primum obices montium, ipſum a pelago arcentes, pervincere potuit; in patentes excurrens campos, inter ripenſem Daciam, *Vallachia* hodie dicitur, & inferiorem *Mœſiam*, oſtiis, quorum numerus ſupra explicatus eſt, in *Pontum* evolvitur. In mare autem ipſum influens, octo efficit ingentes inſulas; ſeptem in itinere derelinquit: duas videlicet in Germaniæ Pannoniæque finibus, totidem apud Strigonium, Pannoniæ metropolim, unam infra Budam, alteram apud Belgradum, tertiam omnium maximam apud ripenſem Daciam; quanquam aliis multis in locis ſciſſus, alias multas parvulas inſulas efficit. Totus ejus decurſus, frequentibus vicis, celebriſque nominis oppidis, utraque ripa exornatus, mille & quadringentis paſſibus protenditur. Toto autem eo ſpatio, ſexaginta quatuor, haud ignobilia flumina in ipſum labuntur. Nec tot ſolum, verum etiam alia omnia parum celebria flumina: quæ ſicut illa nobilia, cadunt & a Noricis & ab Illyricis montibus, quæque e Mœſia, ac Dacia, & a Scythicis regionibus, meridiem verſus decurrunt. Patet compluribus in locis, latitudine plus quam mille paſſibus. Multis in locis, ad ducentos pedes altus. Piſcium, varii ut generis, ita & magnitudinis, feraciſſimus. Totus fere navigabilis, hyeme excepta. Eo namque tempore, tam alta, tamque potenti glacie perſæpe ſolidatur, ut quam graviſſimis curribus, maximiſque exercitibus, tuto tranſire liceat. *Ariſtot. Meteoror. libro ſecundo* ait: *hujus amnis ſingula ora, tanta eſſe, ut ab ipſis, ad ſexaginta millia paſſuum longitudine, mare vincatur.* Urbes autem & oppida, quæ ad ejus ripas, a locis fonti propinquis, uſque ad oſtia illa, vel ſex vel ſeptem, de quibus ſupra eſt jam habita mentio, poſita ſunt, enumerare difficile eſt. Quorum tamen eſt fama celebrior, quantum ad meam potuit pervenire notitiam, prout accepi a locorum peritis, hæc ſunt. Sub *Ulma*, de qua urbe eſt jam facta mentio, ad XII. ferme paſſuum millia, eſt oppidum nomine *Leipham*, utor enim & vocabulis, & litteratura, quibus utuntur accolæ

Digitized by Google

eorum, Germana lingua. Sub eo ad X. M. P. *Gundelfing;* ſub quo ad duo M. P. *Lauginghe.* Inde ad V. M. P. abeſt *Tilinghen.* Poſtea intervallo V. P. M. *Hechſtetten*, cujus nominis ſignificatio eſt, *alta civitas.* Sub ea ad M. P. X. *Schuebiſchwerdt*, quæ interpretantur, *Schueva peninſula.* Ea omnia loca, ab ipſo Danubii fonte huc uſque, pertinent ad regionem, quam antiquitas appellavit *Vindeliciam;* quæ cum ſit Rhetiæ contermina, fit, ut utraque in unam coeant provinciam, quam hodie appellant *Sueviam.* Vindeliciam perhibent Germani, dictam a duobus fluviis in Danubium labentibus: quorum alter, licet nominetur *Lycus*, vulgo tamen apud eam nationem *Lech* pronuntiatur; alter amnis dicitur vulgo, & *Vertach*, & *Vinda*, quod vocabulum gentis lingua, a vulgo *Finga* profertur. Ex utroque nomine, hoc eſt *Vinda* & *Lycus*, deductum eſt vocabulum, quod eſt *Vindelicia.* In ea regione cum ſit *Auguſta*, clariſſima totius provinciæ Metropolis, fit, ut ea civitas *Auguſta vindelica* cognominetur. Illius nobile nomen, ſatis indicat, eam fuiſſe ab aliquo Romanorum Imperatore conditam. Quisnam autem fuerit ille, ignorare plane me, fateor. Quanquam plerique Germanorum, nimium vetera repetentes, in Octavium Auguſtum illius referant conditionem. Incipit inde regio, *Noricum* a veteribus; noſtris vero temporibus cognominata *Bavaria.* Ceterum, nonnulli Germani periti locorum, ajunt, *Noricam Provinciam*, in duas dividi portiones; in *ſuperiorem*, & *inferiorem.* Et in illa quidem eſſe *Bavariam*, in hac vero *Auſtriam.* Primum igitur ad ipſum ſuperius Noricum, peneſque Danubium poſitum oppidum, nuncupatur *Neuburgh;* quod abeſt ab ea, cujus eſt mentio facta, peninſula, M. P. XXV. Poſtea XX. M. P. intervallo eſt *Inghelſtadia*, ſtudiis liberalium diſciplinarum inclyta civitas, *Auriapolis* antiquitus dicta. Inde haud procul abeſt parvula peninſula, nomine *Fohburgh*, ubi eſt arx munitiſſima; ex quo loco ortum habuere Bavarorum Marchiones. Modico ab eo intervallo, diſtat oppidum, quod vocitant *Kelhem.* Sub quo *Reghenſpurgh*, quæ civitas, vulgatiſſimo nomine dicitur *Ratiſpona*, Epiſcopatu *Alberti Magni* olim clariſſima, propter viri doctrinam, vitæque ſanctitatem, & apud Philoſophos auctoritatem, illuſtrem. Diſtat autem ab Inghelſtadia, cujus modo meminimus, M. P. ferme XL. Ratiſponæ multa eſſe indita nomina, indigenæ affirmant. *Quadratam* quippe ab eorum majoribus, eo dictam ipſam dicunt, vel quod ejus murus, quadrato ſit ſtructus ſaxo; vel quod in quadrati forma, fuerit a conditore ædificata. *Tiberinam*, a Tiberio, ex quo tempore geſſit adverſus Rhetios & Vindelicos bellum. *Hiataſpolim*, ab Hiataſo, qui Dux ei civitati olim imperavit. *Regenopolim*, a flumine Regen appellato; quod modico ab

ea

ea urbe intervallo, labitur in Danubium. Præterea *Imbripolim*, ab eodem flumine, cui Imbri quoque eſt nomen. Nomen autem ejuſdem civitatis vulgatiſſimum, nonnulli indigenarum ſcribunt per *p* litteram; alii per *b* ſcribendum malunt. Duplicem igitur eſſe volunt ejus nominis interpretationem. Namque Ratiſponam dictam volunt, propter lapideum, & eximiæ magnitudinis pontem, ſupra Danubium, qui urbem ipſam interfluit, miro ſtructum artificio. Dici itaque perhibent Ratiſponam, quod eo in loco, per pontem non minus, quam per ratem, tutus ac facilis ſit, euntium atque venientium tranſitus. Qui vero dicere malunt Ratisbonam, hi vocabulum ipſum, ratam bonam interpretantur. Idque propterea, quod non mediocris concurſus, ratium ac navium, eſt ad eam urbem, mercimonii gratia. Ibi vero, hominum frequentiam maximam jam olim fuiſſe, Ratiſponenſes ferunt; cum eſſet hic locus, nobile totius regionis emporium. Sub ea urbe, ad M. P. V. arx eſt rebus omnibus munitiſſima, *Stauf* nomine. Ad M. dehinc paſſuum XXV. *Straubingh*; ſub ea ad XX. M. P. *Dekendorf*. Inde ad totidem millia, *Filzhoven*; inde ad tot altera millia, *Paſſau*, quæ latino verbo dicitur *Patavia*, ab Italo Patavio, ut perhibent accolæ, cognominata: poſteri namque Antenoris, feruntur ipſam condidiſſe, ut plerique Germanorum adſtruunt. Eſt totius Auſtriæ Metropolis clariſſima, vetuſtiſſimam eam eſſe, aſſerunt indigenæ. Tres in ipſam influunt amnes, *Enus*, *Ilzt*, *Danubius*; quibus ipſa in tres eſt diviſa partes. Sub ea ad totidem M. P. intervallum, *Zell*, cujus oppidi agro terminatur Bavaria. Principium deinde eſt Norici inferioris, quod a nonnullis dicitur *Noricum ripenſe*, ab aliis *Auſtria ſuperior*, a quibuſdam *terra ſupra Anaſum* fluvium. Quanquam eſt & *Anaſum*, Archiepiſcopali ſede inſignis civitas, quod *Laureacum* olim appellatum eſt. Hujus regionis prius occurrens oppidum dicitur *Lintz*, quod abeſt ab urbe Vienna centum ferme P. M. Intra quod intervallum, ſita ſunt hæc oppida, in hunc ordinem: *Crain*, *Ens*, quod & *Anaſum*, de qua civitate modo mentio facta eſt, *Pechlern*, id eſt *præclara*, in cujus fronte, ex altera Danubii ripa, poſitum eſt *Altpechlern*, cujus vocabuli ſignificantia eſt, *antiquum præclarum*, *Mölck*, *Neuburgh*, *Spitz*, *Tirenſtain*, *Stain*, *Crems*, contra quod ex altera fluvii parte, ſitum eſt *Mautern*. Sub Crems, *Tulna*. Poſtea *Coſter*, id eſt Clauſtralis *Neuburgh*; cum ibi ſit nobile Canonicorum regularium monaſterium, ubi conditum eſt Sancti Leopoldi corpus. Ex loci hujus conſpectu, trans eundem amnem, ſitum eſt *Corn-neuburgh*, id eſt forenſis Neuburgh; ita nominatum, quod is locus ſit forum rerum venalium. Inde ad M. P. ferme V. eſt *Vienna*, totius non

Digitized by Google

modo ſuperioris, verum etiam inferioris Auſtriæ, clariſſimi nominis urbs, quæ olim *Flavianum* nuncupata eſt. Satis ſit jam, hæc de ipſa nunc attigiſſe; ſuo namque loco, de tanta urbe, multa mentione digna, memoranda mihi ſunt. Principium ab ea ſit Auſtriæ inferioris, quæ ibi definit, unde ſuperior incipit Pannonia. Sub Vienna, ad M. P. octo, *Enciſdorf*, a quo haud procul abeſt *Fiſchemund*. Sub quo ad XII. M. P. *Petronella*, quæ ob magnitudinem appellata olim fuit *Troja minor*, ab indigenis, appellata quoque fuit & *Celetia*, & *Celectum*: hodie, licet jaceat, diruta namque fuerunt ejus ædificia, bello geſto a Matthia Hungarorum Rege, adverſus Fredericum Romanorum Imperatorem: ſemper tamen erit illuſtris, ortu *Sancti Maximiliani*, Patavienſis Antiſtitis. Sub ea ad M. P. VIII. *Haimburgh*, quod deſignat *Caſtellum Hunnorum*. In hoc tantum loco remanſit Hunnæ gentis nomen, quod olim fuerat terrori, uniVerſis orbis terræ nationibus. Ejus autem caſtelli agro, Auſtria dirimitur a Pannonia. Illic enim deſinunt Norici montes, quibus Pannoniam ipſam ab occidente terminari, nos ſupra oſtendimus. Licet enim montes, ad quorum radices ſitum eſt id oppidum, non ſint nimiæ excelſitatis: protenduntur tamen, intra occidentem & aquilonem, quo uſque ſe conjungant Noricis aliis, qui ſunt illis excelſiores. Ex pertinentibus autem ad Pannoniam, ſeu malueris dicere Hungariam, primum omnium occurrit *Poſonium*, a ſiniſtra fluvii poſitum oppidum, quod pulchritudine, arceque, loci natura atque opere munitiſſima, inſigne admodum eſt, & diſtat ab Haimburgh VIII. M. P. Inde ad M. P. X. *Altemburgh*, quod latine interpretatum, dicitur *vetus caſtellum*. Poſtea ad M. P. XXX. a fluvii dextra, ſita eſt civitas, Germanorum lingua appellata *Rab*; ſed vulgatiſſimo apud Hungaros nomine, dicitur *Jaurinum*, *Jarnum* dictum a veteribus. Præeſt Epiſcopali dignitate, ejus Eccleſiæ, *Thomas Erdeudy*, vir excellenti ingenio, & cum litterarum latinarum peritiam callens, tum in ceteris laude dignis diſciplinis, in primis eruditus. Spectata ejus fide, Matthias Corvinus Hungarorum Rex, animadverſa; ipſum inter omnes ampliſſimi regni ſui Eccleſiarum Antiſtites, elegit, qui apud ſe ſecretarii uteretur officio. Ab eo loco abeſt *Cumara*, vetuſtum adhuc retinens nomen, quod in Aſiatica Scythia olim ei fuerat, M. P. XXV. Sub eo, XX. M. P. intervallo *Labatlan*; ſub quo ad M. P. XXV. *Strigonium*, *Iſtripolis* antiquitus dicta, totius Hungariæ præclara Metropolis, cui præeſt hodie *Hippolitus Eſtenſis*, eximiæ indolis adoleſcens, Herculis Ferrarienſium Ducis filius, ac Ferdinandi Siciliæ citra Pharum Regis, ex Dianora filia, nepos. Sub ea civitate, ad M. P. X. ſitum eſt *Vicegradum*, pulcherrima & ornatiſſima, a divo Matthia ſtructa regia; ſub eo, a læva Danubii, *Batia*, Epiſcopali ſede illuſtris

ci-

Digitized by Google

civitas. In dextra deinde ejuſdem, *Pagus Sancti Andreæ*, in Romanæ legionis ſitum veſtigiis, ubi complura Romanorum extant Epitaphia. Sub quo, M. P. XLIII. intervallo, occurrit *Buda*, regni Hungariæ caput, & ſedes illuſtris. In ejus contraria ripa, ſitum eſt oppidum, quod *Peſtum* appellatur, fama & ipſum, propter Budæ vicinitatem, non ignobile. A Buda abeſt *Nándoralba*, qui locus dicitur alio nomine *Belgradum*, millia, quibus utuntur Hungari, quatuor & quadraginta: quæ ſunt Romanorum, quibus hoc opere utimur, M. P. CCXX. Intra quod intervallum, multa quidem ſunt loca culta, ſed mentione digniora, hoc ſita ſunt ordine. *Tolna*, *Sexfart*, *Baja*, *Bata*, *Bodrog*, *Apat*, *Erduit*, *Bore*, *Sata*, *Axia*, *Draſſat*, *Bakmonoſtra*. Quibus in locis eſt ea regiuncula, quam vocitant *Sirmiam*, ita cognominatam ab oppido vetuſtiſſimo, quod *Sirmium* apud veteres Geographos dicitur. Terra ferax eſt vini, apud Hungaros quam laudatiſſimi. Occurrit deinde *Vylak*, in quo oppido, *Joannis Capiſtrani*, viri Dei, corpus conditur; quod divina virtute, multis fertur clarere miraculis. Sub eo loco *Xerut*, ſub quo *Bejem*. Contra quod hoc eſt, ab adverſa Danubii ripa, ſitum eſt *Futach*. Ab altera parte poſt Bejem, *Chamans*, poſtea *Petri Varadina*, *Charum*, *Sallankhemen*, *Zemlin*. Hiſque in locis inferior deſinit Pannonia; hic ſe Savus Danubio miſcet, quibus fluminibus, ſuperior Mœſia, a Pannonia ipſa dirimitur. Dicitur autem vulgo ea Mœſia, *Servia*. Cujus primam occurrentem, ex his locis, partem, appellant hodie *Raſciam*. Hujus vero primum, contraque Pannoniam poſitum oppidum, eſt *Belgradum*, quod licet ſit ultra Hungariæ terminos, tenetur tamen ditione Regum Hungarorum. Eſt id oppidum, natura loci, atque opere munitiſſimum, & inſigne ea clariſſima victoria, qua Joannes Corvinus, profligavit Mahumetem Turcarum Imperatorem, verſo illo in fugam, illiuſque numeroſo fuſo exercitu; ut libro hujus operis primo & quadrageſimo prodidimus, prodemuſque hoc volumine, cum in ejuſdem victoriæ prolixam mentionem pervenerimus. Inde ad M. P. ferme XX. diſtat *Smédris*, hoc eſt Sancti Andreæ nobile Raſcianorum oppidum, quod ita loci natura munitum eſt, ut ſit expugnatu difficile. Paret imperio Turcarum, quod noſtra memoria, ea gens in ſuam redegit poteſtatem Inde ad locum, unde eſt Mœſiæ inferioris, utpote regionis Bulgarorum principium, eſt oppidum *Bdiognum* nomine: parvum quidem, ſed ſitum in loco, ita ſuapte natura idonea, ut pene ſit inexpugnabile, quod & ipſum ditione tenetur Turcarum. A ſiniſtra deinde Danubii, in regione Vallachorum, eſt oppidum cum arce munitiſſima, cui *Severino* eſt nomen, eſtque ditionis Matthiæ Regis Hungarorum. Poſtea ad intervallum ſu-

Digitized by Google

pra centum M. P. a Danubii dextera, posita est urbs, totius Bulgariæ opulentissima, *Nicopolis* nomine, ita Græco verbo appellata a victoria, quam adeptus olim fuit Romanorum Imperator Heraclius, deleto ingenti Cosdroæ, Persarum Regis exercitu, illiusque filio interfecto, ut & ante dictum est. Ea autem civitas, una cum tota regione, in qua est sita, Turcarum paret Imperatori. Postremo, ab ejusdem amnis læva, sita est in finibus Europæorum Sarmatarum, civitas, quam appellant *Dieliam*, a qua, intervallo M. P. ferme quatuor, Danubius in mare Ponticum, septem ostiis, ut supra ostendimus, irrumpit. Quæ civitas, Turcarum quoque ditioni subjicitur. Ita descripta utraque Pannonia, atque Danubio; consequens est, ut juxta ordinem, qui nobis initio constitutus est, Hungarorum Regum seriem, ab Hunnis, eorumque duce Attyla, principium facientes, ordiamur.

INDEX III.

De Hunnis, eorumque Ingressu in Pannoniam.

Postulat autem res, ut pro dicendarum rerum exactiore notitia, hæc pauca altius repetamus. Romano olim illo ampliſſimo Imperio paulatim declinante, surrexerunt barbaræ quædam efferatæque nationes, diversis tamen temporibus, quæ Romanas provincias, multis variisque vastationibus & cladibus afflictas, sibi occupavere. Ex illis hæ fuerunt, quæ præ ceteris, a rerum scriptoribus, maxime celebratæ sunt. *Persæ*, *Gothi*, *Vandali*, *Hunni*, *Quadi*, *Alani*, *Marcomani*, *Eruli*, *Suevi*, *Turingi*, *Hungari*, *Longobardi*, *Franci*, *Burgundi*, *Saxones*, *Alemani*, *Saraceni*, *Tartari*, *Turcæ*. Qua vero tempestate unaquæque earum surrexerit, quibusque e locis earum fuerit origo atque profectio, quis præterea, qualesque fuisse ferantur singularum progressus, ac finis rerum gestarum, suis in locis, superioribus libris, satis ostendimus. Ceterum, eas omnes nationes missas nunc facimus, de *Hunnis* tantum habenda est nobis mentio, quæ gens, Valentis Romani principis ætate, Duce *Attyla*, subegit suæ ditioni *Pannonias*, ubi & sedes sibi postea, magna cum gloria, rerumque gestarum felicitate, locavit. Quanquam aliquot ante eundem Principem annis, utpote sub seniore Theodosio, ea natio, magnos, in quibusdam aliis Europæ locis, motus exciverat. Sed non erit abs re, si hoc quoque loco ostendamus, unde Hunni profecti sint in ipsas Pannonias: quamvis repetere nos

Digitized by Google

nos oporteat, perpauca ex eis, quæ ſupra a nobis ſunt explicata prolixius. Memoriæ nobis eſt, nos libro hujus operis VII. quo deſcripſimus, quæ pertinuerunt ad Scythiam, regnumque Scytharum, meminiſſe Sarmaticarum regionum atque locorum, quæ ſunt Riphæis montibus proxima, & haud procul ab illis, Hunnos, ſolum habuiſſe natale. Docuimuſque, eam gentem ita cognominatam, non a patria, cum nulla ſit ibi regio, quæ nominatur *Hunnia*; ſed ab illorum duce, qui *Hunnus* vocatus eſt. Cumque ex eo loco, fuerit eorum profectio, idcirco eodem libro prodidimus ipſos nationem fuiſſe Sarmaticam. Nec tamen ea noſtra traditio, adverſatur ei, quod Hungari quidam affirmant, perhibentes, Scythici generis ſe majores habuiſſe. Namque Sarmatarum nationes, quæ duæ ſunt, Europæa videlicet & Aſiatica, ex Scytharum genere defluxerunt. Affirmantes itaque nos, Hungaros exortos fuiſſe natione Sarmatica; non propterea inficiamur, ipſos a Scythis habuiſſe originem. Scribens præterea ego ea, quæ obtigerunt memoratu digna, anno ſalutis humanæ CCCLXXIII. prodidiſſe me memini, quemadmodum abundante multitudine Sarmatarum, tenentium loca Riphæis propinqua montibus, multa millia illorum deſeruere patriam, ſeque conjunxere exercitui Gothorum, qui & ipſi, aliquot ante annis, ſuis ſedibus exceſſerant. Ortis deinde inter ſe capitalibus odiis, alteri ab alteris abalienati, inter ſe contulerunt arma; ſed Gothis tandem victis, qua via data eſt, Sarmatæ locis illis exceſſere, duceque Hunno, id enim erat viro, uti paulo ante dixi, nomen, proceſſerunt ulterius, ac pervaſtatis ſubactiſque mediis regionibus, pervenerunt tandem uſque in Pannonias, quas & ſubegerunt, & in eis ſedes poſuerunt. Primos, qui ei genti perſuaſere, ut deſererent patriam, fuiſſe eodem libro oſtendimus, *Hunnum* prius, a quo genti nomen eſt datum, poſt quem, *Cottarem* & *Rhoam* fratres, *Mundæ Zeturi* filios. Quibus mortuis, *Attylam* & *Bledam* fratres, regio exortos genere, illorum fuiſſe duces: quorum auſpiciis, eam gentem, contra alios Europæos Sarmatas, bella fortiter feliciterque geſſiſſe. Diximus præterea, eos multa, per totam fere Europam, poſtea geſſiſſe bella, adverſus & Romanos Principes, & populos Chriſti cultores, quorum multas provincias perdomuere. En, perventum eſt nobis jam in mentionem Attylæ, qui primus Sarmaticæ gentis, Romanorum Imperium, ac omnes quotquot erant veri Dei cultores, ſubmovit e Pannoniis, primuſque in eis, regnum poſt illos obtinuit, regnum præterea Hunnorum ibidem conſtituit. Satis igitur fuerit nobis, paucis de ipſo, deque ſuis Hunnis, ea nunc repetiviſſe, quæ ſupra, libro, qui dictus eſt, oſtenderamus. Itaque prætermiſſis aliis, quæ ibi prodidimus, texere hinc incipiemus, Hunnorum Hungarorumque Regum ac ducum

ca-

Digitized by Google

catalogum: quo tandem perveniamus ad divum Matthiam Corvinum, qui per hæc tempora regnat in Hungaria. Sed ante omnia, quinam fuerint Attylæ mores, qualeque ingenium, doceamus.

INDEX IV.

De Attyla & Bleda fratribus.

Is ingenio fuit feroci, sævusque & audax supra quam explicare quisquam posset. Adeo elato animo, ut non modo se superiorem, sed ne parem quidem sibi, toto orbe quempiam, & esse, & haberi pateretur. Rei bellicæ, omnium sui temporis ducum, peritissimus. Mire astutus, parandarum in hostem insidiarum egregius excogitator; militarium quorumcunque laborum patientissimus; in inveniendis instruendisque bellicis machinis, ac multorum generum armorum, ingeniosissimus. Fuit exiguo corpore, capite grandiore, parvis glaucisque oculis, simo naso, rara, sed prolixa barba, lato pectore, colore ad fuscum declinante, vultu horrendo, utpote qui innatam præ se ferebat immanitatem, avaritia insatiabilis. Quo nihilominus famam sibi apud mortales compararet viri benefici, viros nobilitate insignes, ad se, vel visendi studio, vel legationis gratia venientes, egregie donatos, domum persæpe remisit. In re gerenda, ut prudens & strenuus, ita & in primis fortunatus. Maxime præceps in venerem; vino plus nimio indulgebat; in hominum necem supra modum propensus. Christiani nominis hostis acerrimus, ad quorum memoriam ex orbe delendam, dicebat se a Deo missum fuisse, eamque ob rem, *flagellum Dei* se cognominari volebat. Fertur, supra viginti millia hominum, sua ipsius peremisse manu; a suis autem copiis, ad octingenta millia interfecta traduntur. Bledam fratrem, dolo occidit. Quam ob causam id scelus admiserit, varie traditur. Perhibent nonnulli, causam eam fuisse, quod magna erat utriusque fratrum morum diversitas. Miti erat ingenio Bleda, Attyla feroci; pacem amabat Bleda, bellum Attyla; humanus ille erat, hic truculentus & sanguinarius; ille beneficus, hic congerendarum opum cupidissimus; abstinebat ille alieno, hic nec domesticorum parcebat opibus. Bleda sæpe suadebat fratri, ut abstineret armis, satis enim sibi esse, quod magnam Sarmaciæ, Germaniæque partem, universam Thraciam, Macedoniam, duas Mœsias, duasque Pannonias, Noricum, & Illyricum, Achajamque, suæ ditio-

Digitized by Google

tionis feciſſent. Satis jam gloriæ genti Hunnorum comparatum, qui Romanos, rerum olim in orbe potitos, e ſuis provinciis pepuliſſent: in regnis igitur, fuſo tanto Hunnorum cruore partis, eſſe quieſcendum. His, atque aliis multis, quæ in rem fuerunt viſa idonea, Bleda, Attylæ fratri, longinquiorem diuturnioremque militiam ſæpe diſſuadebat. Id ille perquam moleſte ferens, clam imperat nonnullis e ſuis, quos ad hoc judicavit aptiſſimos, ut cum primum nanciſcerentur opportunum tempus, Bledam incautum interficerent. Dum itaque ille viſeret opifices, qui muro circumdabant *Bledam*, quam urbem tunc ipſe condebat, & ex ſe cognominari decreverat, *Budam* poſtea veterem nuncupatam, ut ſupra oſtendimus: ſatellites improviſi, ad eum venientes locum, ipſum, nihil tale ſibi metuentem, obtruncavere. Alii produnt, Bledam, quem Attyla adſciverat jam ad regni conſortium, bellum ille dum gereret in Gallia; fines ſibi Imperii conſtitutos fuiſſe tranſgreſſum; ideoque, ubi redivit in Pannonias, ipſum in fratrem manum intuliſſe, illiuſque cadaver jeciſſe in Danubium, ne unquam ſepulturæ tradendum inveniretur.

INDEX V.

De bellicis Expeditionibus Attylæ, ejuſque Coronatione & Morte.

Bleda igitur ita mortuo, convertit *Attyla* cogitationes ſuas omnes, ad ſubigendas alias Romanorum Principum provincias. Contractis itaque, undecunque potuit copiis, atque inſtaurato veteri ſuorum exercitu, primum invadit propinquum Pannoniis *Illyricum*, deinde conterminas ei, *Liburniam*, atque *Dalmatiam*. Quidquid agrorum occurrit, ferro ignique pervaſtat. Delet urbes & civitates, quæ ſtatim, hoc eſt, cum primum fuit profectus ejus exercitus, deditionem non fecerunt. In his fuere *Tragurium*, *Sibinicum*, *Jadria*, *Senia*, *Pola*. Quæ civitates poſtea, progreſſu temporum proſperiorum, reſtitutæ ſunt; Jadria præſertim, quæ pulchritudine, opibus, & auctoritate, ceteris præſtat. *Italiam* poſtremo verſus contendit. Delet *Aquilejam*, capit ac diripit *Patavium*, *Vicentiam*, *Veronam*, *Brixiam*, *Bergomum*, *Mediolanum*, *Comum*, *Ticinum*, *Pannoniam*; breviter ſubigit *Flaminiam*, *agrum Picenum*, *Hetruriam*. Urbem *Florentiam* funditus ſuſtulit, licet ultro deditionem fecerit. Fuit habitatore vacua, uſque ad Caroli Magni tempora, a quo reſtituta eſt. Rediit poſtea in *Galliam ciſalpinam*, ut illic inſtaurato exercitu, magnam enim

Digitized by Google

militum partem eo bello amiſerat, ad delendam Romam ſe inde converteret. At vero *Leo*, hujus nominis primus, Pontifex maximus, vir ut doctrina, ita vitæ ſanctitate inſignis, divinitus inſpiratus, ſimul adductus Valentiniani Romani Principis precibus, urbe, cum Clericorum magno numero excedens, ad Attylam proficiſcitur. Ille, de Pontificis adventu factus certior, obviam ei procdit, non plane honoris gratia, ſed eo animo, ut ipſum ſua manu jugularet. Pervenerat jam Pontifex, uſque locum, a quo haud procul *Mintius* amnis in *Padum* influit. Tum illo ſalutato: *Hoc tibi*, inquit, *jubeo*, *Attyla*, *in nomine Jeſu Chriſti*, *Dei omnipotentis filii*, *cujus ego ſum cultor*, *& ſervus*, *& in terris vicarius*; *ſiſte pedem*, *ac deſine ſævire in Italiam*. *Averte animum ab urbe Roma*, *quam delere te poſſe ſperaſti*. *Sunt jam te multo potentiores*, *qui ipſam tueantur*; *ſatis ſuperque flagellum Dei te eſſe comprobaſti*. *Huc uſque Romano Imperio*, *Chriſtianiſque nationibus*, *fuiſſe te infeſtum*, *Deo permittente*, *licuit*. *Abi hinc*, *nemini nocituras*, *in Pannonias*, *ubi datum tibi a Deo eſt*, *tuorum Humorum ſedes poſuiſſe*. *Sin feceris aliter*, *haud mora*, *in te tuaſque copias*, *malorum omnium ultor Deus*, *mihi crede*, *animadvertet*. Hæc ubi Pontifex dixit, ille omni ferocitate depoſita, velle ſe parere reſpondit. Petita igitur a ſancto viro excedendi venia, nihil moratus, jubet per præconem univerſo exercitui, ut innoxius ab Italia abeat. Caſtris itaque propere motis, ſe itineri committit, ut obedienter Pontificis pareat imperio. Rediens autem, ut primum pervenit in *Noricum*, diem ſuum obivit. De ejus morte, duas ſcio ferri opiniones. Fuerunt, qui affirmaverint, ipſum ob morum aſperitatem, occiſum fuiſſe, ſuorum militum manu. Ab aliis proditum eſt, quod plerique aſſerendum malunt, ipſum, dum dormiret, ſuffocatum fuiſſe ſanguinis profluvio, qui ore naribuſque ejus plurimus emanavit. Profluvii cauſam ajunt fuiſſe vini crapulam: jacuiſſe ea nocte cum eo, perhibent, *Ildiconam*, ceterarum, quæ ei erant, uxorum pulcherrimam, in quam mortis ejus cauſam nonnulli retulere. Fuerunt tamen, qui puellam tuerentur, & quidem non injuria; propterea, quod nulla vel illata vulnera, vel dati veneni indicia, in exanimi corpore viſa ſunt. Sanguinis autem, quem quod dixi profluvium, inficiari nemo potuit, tanta fuit rei evidentia. Illud vero nequaquam præteriiſſe volui ſilentio, cum ſit & mentione dignum: mirantibus barbaris, quibus ipſe ſolebat uti familiarius, cur adeo celeriter ac modeſte obtemperaſſet, viſioni Chriſtiani ſacerdotis. *Vidi*, inquit, *ſupra caput illius*, *duos viros*, *viſu terribiles*, *qui*, *nudatos ſtrictoſque gladios manu tenentes*, *necem mihi*, *cunctiſque vobis minitabantur*, *niſi haud cunctanter illius imperio paruiſſem*. *Ex illius præterea ore*, *neſcio*, *quid terrificum in me effluxit*; *quo ita expavi*, *ut neſcirem*, *quo me*

ver-

Digitized by Google

verterem. Ut itaque meæ veſtræque conſulerem ſaluti, parui, ut videtis: & perquam facile, & quam celerrime, ab Italia igitur, in noſtras omnino Pannonias, commigrandum nobis eſt. Id ubi reſcivere Clerici, & alii, qui fuerant comitati Pontificem, quæſierunt ex eo: *Quidnam ſibi vellet, quod Attyla ſe vidiſſe ſupra illius caput fateretur*: reſpondit Pontifex, *Beatos Apoſtolos, Petrum & Paulum, Dei voluntate ita apparuiſſe, qui tanti eſſent, ut ſæviſſimi tyranni vim poſſent prohibere, ne urbem Romam, quæ in eorum eſt tutela, invadat, ac deleat, ut ſe facturum decreverat.* Qua autem nocte interiit, *Martianus* Imperator, agens in urbe Conſtantinopoli, fertur illius arcum fractum per quietem vidiſſe: ſomno vero excuſſus, dixiſſe domeſticis, quod viderat; conjecturaque ſe ait aſſequi, vita illum exceſſiſſe. Regnavit in Pannoniis, annos quatuor & quadraginta: quanquam Ducis nomine, annos quinque præfuerat exercitui Hunnorum, antequam in Pannoniis, regni diadema recepiſſet. Fuit corona donatus, Hunnorum omnium uno conſenſu, *anno ab Ortu Jeſu Chriſti, CCCCI.* ab adventu vero ipſius in Pannonias, anno octavo & viceſimo. Vitam perduxit ad annum ætatis centeſimum & viceſimum quartum, qui fuit, poſt perdomitas ab ipſo Pannonias, annus ſecundus & ſeptuageſimus. Sub eo occiſa fuiſſe nonnulli putant, undecim illa millia virginum, quarum Dux fuit *Beata Urſula*, Regis Brittonum filia. Ab exercitu namque Hunnorum, qui per id temporis Agrippinam Coloniam obſidebant, interfectæ fuere. Hunnorum Dux erat *Romanus* quidam, *Julius* nomine: qui alienatus a patriæ charitate, defecit ad Attylam. Alii perhibent, Hunnos, a quibus interemtæ ſunt illæ virgines, deſciviſſe ab Attyla, ipſoſque ſub duce Julio poſtea millitaſſe, atque pro Romanis, Coloniam, quæ defecerat ad Attylam, circumſediſſe. Propterea traditum eſſe ab eo, qui ſcripſit Beatæ Urſulæ Martyrium, Maximum Romanum Principem, miſiſſe nuntium ad Julium Hunnorum ducem; ut educto contra illam virginum multitudinem exercitu, eas, cum Roma redeuntes venirent Coloniam, ad unum interficerent. Memorant, ipſum Attylam, in exercitu ſuo, ex ſolis Hunnis, ad decies centena millia armatorum habuiſſe; ex aliis nationibus, ſupra quingenta millia curruum, & quibus rerum, quæ eſſent uſui neceſſaria, onera comportarentur, & qui eſſent ad rem gerendam idonei, decem millia. Arma omnis generis, ac variæ tum formæ, tum magnitudinis tentoria, quæcunque præterea eſſent uſui rei bellicæ, regaliſque luxus ſplendori, & ornamento, atque voluptati, pretii erant prorſus inæſtimabilis. Fuerunt, qui arbitrati ſunt, ipſum in cunctis, quæ pertinent ad rei militaris ſcientiam, barbararum gentium omnium duces, qui ante ſe unquam in orbe fuerunt, & in primis Hannibalem

Digitized by Google

ſuperaſſe, Satis jam de Attyla: memoranda hic ſunt, quæ ipſo mortuo, Hunnorum tam numeroſo exercitui acciderint, quemadmodum videlicet, mutata fortuna totus pene deletus ſit.

INDEX VI.

De Diſcordia filiorum Attylæ; & Hunnorum aliarumque gentium mutua Cæde.

Multi ei fuere liberi, quos ex diverſis ſuſceperat uxoribus. Eorum natu maximi, virtuteque omium præſtantiſſimi, *Chabas* & *Adalarius;* cum eſſent de paterni regni ſucceſſione diſcordes, ad arma venerunt. Nec deſuerunt ex Hunnis, atque ex ceterarum gentium maxima illa multitudine, qui utriuſque fratris partes ſequerentur. Multa atrociſſima prælia commiſſa, multi utrinque deſiderati. Breviter, intra pauciſſimos dies, tot millia virorum cæſa ſunt; ut ex illo tam numeroſo exercitu, vix quinquaginta millia & nongenti, fuerint a cladibus ſuperſtites. Ad extremum, Chabas ab Adalario victus, cum ſexaginta ſuis fratribus, & quindecim Hunnorum millibus, quæ ipſius favebant partibus fugiunt e Pannoniis. Rediit ad eam Sarmatiæ regionem, unde eam gentem fuiſſe profectam, ſupra prodidimus. Ibi autem & ipſe, & qui ipſum ſecuti ſunt, reliquum vitæ tempus tranſegere. Sed multi, ſuis conterraneis, ceteriſque Sarmatarum populis, de Pannoniis narraverunt: magna videlicet cum laude commendantes, regionum amœnitatem, ſolique ejus complurium optimarum rerum feracitatem præcipuam; gigni illic argentum, & aurum, & omnia ceterorum metallorum genera; vineta ibidem, & viſu pulcherrima, & quæ vina ferant laudatiſſima. Ea commendatione, permulti ex illis mire pelecti, perſæpe decrevere in Pannoniam, relicta Sarmatia, proficiſci. Ceterum, eo ſe domi continuere, quod non facile cogi ab illis potuit, vel ea multitudo, vel id robur juventutis; quo vi, ſi rei neceſſitas exigeret, penetrarent ad terras, quæ nimium procul ab eorum patria abeſſent. Atque ita filii illorum, filiorumque filii, atque illorum poſteri, incenſa ea animi cupidine ſemper fuere, ut peterent Pannonias, quas olim tenuiſſe ſuos majores, accepiſſent. Turpe namque ducebant, non reminiſci nobiliſſimæ patriæ; quam eorum patres, armis glorioſe quæſitam, olim tenuerant, diuque, Romanis invitis, poſſederant. Ingratam eſſe nationem Sarmatarum, quam Attylæ

Digitized by Google

tylæ cepiſſet oblivio: quippe cum fuerit vir ſempiterna memoria dignus, quo nunquam fuit, vel erit, bellica virtute major; qui nationi, qua fuit exortus, immortale nomen, & quæ nunquam oblitteraretur, gloriam comparavit. Reviſendam igitur, ac recuperandam, virtuteque tenendam patriam, quæ tanti viri corpus ſepulchrumque ſervaret. Anno itaque ab Attylæ morte primo ſupra centeſimum, qui fuit *annus a Jeſu Chriſti ortu quadrageſimus quartus, ſupra ſeptingenteſimum*: Sarmatarum ingens multitudo, pellecta rebus, quæ mihi commemoratæ ſunt, nacta quendam rei militaris haud mediocri peritia, *Hungar*, non proprio, ſed a patriæ, ubi natus eſt, nomine appellatum, quod latine ſignificat *ſtrenuum*, natali excedunt ſolo. Excedunt, inquam, a parte quadam Europeæ Sarmatiæ, quam hodie quoque Sarmatæ ipſi vocitant *Hungariam*: cujus regionis incolæ, magna ex parte loquuntur, ut affirmant complures, qui inter eam nationem verſati ſunt, lingua, qua noſtri Hungari utuntur. Id verum eſſe, eo etiam confirmari poteſt; quod Joannes Sarmatarum Imperator, quem vocitant Moſchoviæ Ducem, inter ceteros Principatus ſui inſignes titulos, Hungariæ quoque ſe Ducem appellat, ut & libro VII. rei hujus habentes mentionem, oſtendimus. Non autem noſtræ hujus Hungariæ, Ducem ſe dicit: ſed illius Sarmaticæ, unde profecti ſunt Hungari, qui Pannonias tenent. Duce igitur Hungare, quem ea natio, ita a patriæ nomine, ad æternam rei memoriam vocari voluit, Sarmaticis finibus Hungari egrediuntur. Quacunque fuit eis tranſeundum; ferro ſibi aperuere viam. Quid multis moror? ad optatæ tandem terræ pervenerunt fines; quam hoſtiliter ingreſſi, atque adverſus incolas bella gerentes, brevi eos perdomuere. Ipſam autem *Pannoniam*, priſco mutato vocabulo, *Hungariam*, non tantum ab eorum Duce, ſed ex ſe etiam cognominavere. Quod nomen, in hanc diem, ut eſt toti orbi notiſſimum, permanet. Gloriari plane poſſunt Hungari, ſe fuiſſe conſecutos, quod Hunni conſequi ante nequaquam potuere: utpote qui nequiverunt efficere; ut ipſis regnantibus, antiquiſſimum Pannoniæ nomen, a vulgi memoria aboleretur. Non tamen me fugit, quendam Hungararum rerum ſcriptorem prodidiſſe, nihil eſſe diſcriminis inter *Hunnorum* & *Hungarorum* appellationem: ſed latino quidem verbo, dici *Hungaros*, peculiari autem nationis lingua, eandem gentem vocitari, tum *Magyaros*, tum *Humos*. Ego nihil ea in re diſputare auſim; ne hominibus Hungaris, gentis ſuæ rerum ſcriptoribus, reluctari videar. Ceterum ejus, quod hoc loco affirmo, habeo auctorem, quem ſequi non vereor, *Elinium* videlicet, probatum Hiſtoricum, natione Francum, quem aliquot in locis ſuperiorum librorum, ubi hortata res eſt, ſum ipſe ſecutus. Is *anno Jeſu Chri-*

Digitized by Google

ſti MCCLXXII. ſcripſit opus egregium, licet rudi ſermone, quo explicuit originem gentium omnium barbararum, quæ a Magni Conſtantini temporibus, ad ſuam uſque tempeſtatem, varias orbis terræ partes tenuere. Prodidit igitur ſcriptor is diligentiſſimus, operis ſui libro V. ubi tradidit, quæ pertinent ad originem Tartarorum, & Gothorum, Vandalorumque, atque Longobardorum, Hunnorum, & Hungarorum: *Hunnos* & *Hungaros*, eandem quidem fuiſſe gentem, utpote *Scythicam*, ſeu mavis dicere *Sarmaticam*: ſed *Hunnos* fuiſſe cognominatos, a Duce *Hunno* nomine; *Hungaros* vero a Sarmatica quadam regione, unde in Pannonias venerunt, quam ex patriæ ſuæ vocabulo, nominari voluerunt *Hungariam*. Hoc habui, quod de Hungarorum, & origine & nomine ſcriberem. At vero nequaquam ego eis reluctor, qui ſentiunt aliter de Hungaris; præſertim quos credendum eſt, multo magis ad vivum res eorum pernoſcere, quam vel me, vel quemvis alium, ab eorum patria vel gente alienum. Ei igitur, quæ magis placuerit, quiſque habeat fidem. Sed ad *Adalarium*, Chabæ fratrem & Attylæ filium, quem videbamur prætermiſiſſe, redeamus. Ex copiis, quæ partes ejus fuerant ſecutæ, haud multo poſt Chabæ fugam, tot interiere, ob accepta in præliis vulnera; ut non plures viginti millibus hominum, morte erepti ſint. Eam ob rem, qui ſuperſtites extiterunt, adducti odio patriæ, in qua, ab univerſo Hunnorum exercitu, eſſet tam infeliciter dimicatum: inde excedunt, aliique alio, prout ſua quemque tulit voluntas, ire contendunt. Adalarius itaque, cum eſſet natus matre Germana, nobilitate inclyta, perrexit in Germaniam, ubi tandem diem obiit. Ita ob fratrum, quam dixi, diſcordiam, cruentumque bellum, Attylæ ille numeroſiſſimus exercitus, qui fuerat generi humano formidini, fuit partim morte deletus, partim verſus in fugam, partimque ad diverſa orbis terræ loca diſperſus. At vero *Angelus Acciaiolus*, *Florentinus*, vir multarum doctrinarum peritia, noſtra ætate inſignis, atque alii, qui ante eum ſcripſerunt Caroli Magni vitam, tradideruut: Hunnos fuiſſe ab illo deletos, uti nos ſupra, de Francorum regno ſcribentes, operis hujus libro quinto & quadrageſimo, oſtendimus. Ibi nos docuiſſe meminimus, ipſum Carolum, poſt ſubactas aliquot barbaras gentes, in extremis magnæ Germaniæ locis habitantes, intuliſſe Hunnis bellum, octoque annos, adverſus eam nationem belligerando conſumſiſſe, illosque tandem, non modo ſuperaſſe, verum etiam ita omnino deleviſſe, ut priſtinæ eorum potentiæ, nullum remanſerit veſtigium: nec unquam alias Carolum cepiſſe arma, quibus plures hoſtium cecidiſſent; nunquam præterea vel tot, vel tam pretioſa ſpolia aliunde, quam victis Hunnis, in Gallias, redeuntes

tes Francos transportasse. Eamque, eodem libro, dixi fuisse causam, ut Hunnorum deleta potentia, totius quoque gentis nomen deleretur. Et idcirco Scythæ, in Pannonias post annos trecentos reversi, nullam habentem nominis Hunnorum mentionem, ab eorum duce, ac patria, Hungaros se, & recuperatam Pannoniam cognominavere. Jam enim Hunnorum nomen, etiam apud Scythicas gentes, fuerat, multo ante Hungarorum in Pannonias adventum, extinctum, id omnino habet veritas. Sed ad intermissam redeamus Historiam. Non propterea tamen adeo absumta, desertaque Pannonia fuit, ut inculta prorsus relinqueretur: fuerunt enim ex illarum copiarum reliquiis, quos tæduit exercitii militiæ diuturnioris, qui neque Scythiam, cum Chaba, neque Germaniam, cum Adalario petivere. Perstiterunt igitur, in patria, quam non ignorabant abundare copia complurium optimarum rerum, quæ sunt usui humanæ vitæ necessariæ: cum indigenis fœminis conjunxere connubia, ex quibus susceptí liberi, brevi coaluere. Dederunt operam, ut agri, diligenti cura colerentur: cum finitimis fuerunt eis benigna commercia, juncta præterea, quæ inter vicinos esse solet, amicitia. Accessit, quod progressu postea temporum, multi ex utraque Mœsia, & ex Dacia, atque magna Germania, exque propinquis aliis aliquot populis, soli feracitate adducti, ad eandem regionem, habitandi illic animo, paulatim convenerunt, delegeruntque sibi, prout fuit cuique placitum, loca habitatu idonea. Ceterum cum nemo dominatum apud ipsos teneret, perdite, sine legibus, proque suo quisque arbitrio, vitam transegerunt. Cumque mire ubique, per omnem longe lateque regionem, populi multiplicarentur, nec sine moderatore possent honeste justeque vivere: omnium consensu, præficiunt sibi virum quendam, natione Sarmatam, *Suatepolugum* nomine, qui apud eos habebatur singulari præditus prudentia, eratque genere clarissimus. *Maroto*, patri ejus fuit nomen, qui & ipse, in primis prudens, & consilio, belligerandique peritia, magnus adeo erat, ut suorum temporum mortales omnes superaret. Eo ita principatum tenente, Hungarorum exercitus, de quo mentio facta est, Pannonias ingressus est. Quibus, cum incolæ, duce Suatepolugo, armis occurrissent: commissa atrocissima pugna, haud procul a ponte *Bono*, id enim est loco nomen, Hungari victoriam adepti sunt. Atque ita in Pannoniis, Sarmatarum seu Scytharum natio, denuo rerum potita est. Ostensis jam causis, quibus est effectum, ut Hunnorum exercitus deletus pene totus esset, ex quarum narratione, eo usque nostram produximus orationem, ut doceremus, alterum in Pannonias, Scytharum, qui Hungari appellati sunt, adventum reliquum est, ut demonstremus,

Digitized by Google

mus, quo ordine, ac per quos, poſt occupatam eam regionem, eorum Rempublicam Hungari, uſque ad Sancti Stephani regnum adminiſtravere.

INDEX VII.

De ſeptem Hunnorum Capitaneis, eorumque Rebus geſtis.

Paucis poſt annis, eorum Duce mortuo, cum exercitus tantus eſſet, ut unius viri imperio, facile regi non poſſet, ſeptem ſibi viros, ex omni multitudine conſtituunt, quos vocavere Capitaneos, nos autem latina appellatione, *copiarum Duces* diceremus; diviſiſque in ſeptem partes copiis, ſingulis eorum, ſuos Capitaneos præficiunt. Erat inter eos vir, & inſigni corpore, & claritudine generis, ac virtute omnium eminentiſſimus, *Arpadus* nomine, filius *Alomi*, viri, apud eam gentem, ſumma auctoritate præſtantiſſimi, qui ex Attylæ genere ortus fuiſſe dicebatur. Conſtans autem fama tunc apud Hungaros erat fuiſſe huic viro, a matre, auſpicatum inditum nomen. Ante enim, quam partu ipſum edidiſſet, vidiſſe illam per quietem affirmabant, aſturem avem ad illam volaſſe, ſeque inſinuaſſe in illius uterum, ex quo fuiſſe mox ortum torrentem, nimio ſplendore corruſcum, illudque magna cum luce fluxiſſe, ad remotiſſimam quandam orbis terræ partem, ibique perſtitiſſe quidem, ſed emiſiſſe ex ſe undique radios, quibus loca omnia circumjecta, lucem accipere videbantur. Quia vero Hunnorum lingua, *ſomnus* vocabatur *Alom*: natum ex ſe filium, illam nominaſſe *Alomum*. Ejus filius fuit, ut diximus, Arpadus, a quo poſtea, Hungarorum Regum præclara progenies, ordine, quem hinc explicabimus, derivavit. Redeamus ad VII. Duces, ſeu, ut illorum utamur vocabulo, Capitaneos. Uniuſcujusque eorum exercitum, tradunt continuiſſe armatorum triginta millia, & quinquaginta ſupra ſeptingentos. Cumque unicuique exercitui, ſuus fuiſſet deſignatus caſtra metandi locus, ac propterea VII. locari caſtra ipſos oportuerit; uſurpavit vulgus, ut locus, ubi ſeptem illa caſtra poſita ſunt, Germanorum lingua *Sibenburg*, id eſt *ſeptem caſtra*, appellaretur: idque loco nomen in hanc diem permanſit. Paulatim poſtea vel interfectis, vel pulſis, ut nonnulli tradunt, vel, quod eſt credibilius, in poteſtatem redactis habitatoribus, qui magna ex parte, ejuſdem erant cum auctoribus generis, ut credendum eſt: Arpadius, ante ceteros Duces, pervenit ad montem, qui *Noe* tunc appellabatur, in qua Hungariæ parte, ſuarum co-

Digitized by Google

copiarum, ſuæque habitationis ſibi locum elegit. Ibi interjectis poſtea temporibus, *Beatus Stephanus*, Hungarorum primus hujus nominis Rex, qui ex genere defluxit Arpadi; *Albam* urbem condidit. Ceteri Capitanei, prout cuique ſatius eſt viſum, ſua & ipſi habitandi loca delegerunt. Ex illorum autem genere, nobiliſſima quæque Hungarorum procerum familia orta eſt. Ubi deinde, rem eorum Hungari haud mediocriter & auxerunt, & firmaverunt: ſelecto e ſingulis exercitibus militum flore, domo egreſſi, armis propinquas regiones invadunt, diripiuntque atque pervaſtant; ita parta omnis generis præda, domum regrediuntur. Id autem ab illis eo factum eſt, ut Hungarorum nomen, quemadmodum & Hunnorum olim fuerat, terrori eſſet cunctis Europæ nationibus. Aliquot poſt annis, cum eis Chriſtiana religio maxime eſſet inviſa: adverſus *Italos*, a quibus Chriſtus ubique tum colebatur, expeditionem ſuſcipiunt. Parato igitur exercitu, per *forum Julii*, *Venetias* proficiſcuntur: in ea regione, ferro atque igni omnia abſumunt, urbem *Patavium*, ſubjectis multis in locis incendiis, totam comburunt. Excurrunt deinde in *Lombardiam*, eo namque nomine, ſupra docuimus, ſeculo noſtro vocari *Galliam ciſalpinam*: eam autem regionem, multipliciter vexant affliguntque. Diruunt enim complurium nobiliſſimarum urbium ædificia, templa præſertim Dei, & Sanctorum; nulli ſexui, nulli ætati, ac dignitati hominum, parcunt; obtruncant Vercellenſis Eccleſiæ Antiſtitem; illius, ac ceterarum Eccleſiarum theſauros, diripiunt. Ita crudeliſſima clade ubique edita, cum inæſtimabili præda, eo, unde venerant, rediere. Deinde interjectis annis, traductis extra Hungariam copiis, adverſus *Saxones*, a quibus nunquam fuerant antea vel levi laceſſiti injuria, arma ſuſcipiunt. Quibus victis, in *Thuringos* ſe convertunt, mox in *Suevos*, poſtea in *Francos*, & *Burgundiones*, inque alios multos, & Germaniæ populos. Tantus tunc Hungaros favor fortunæ aſpexit, ut nullum unquam cum hoſtibus commiſerint prælium, de quo non fuerint gloriosam adepti victoriam. Ita fiebat, ut omnes Europæ nationes, audito Hungarorum nomine, exitium ſibi metuerent. Gentibus autem, quas commemoravi, non ſine miſerabilibus cædibus ſuperatis: patriam, pretioſiſſimis onuſti ſpoliis, petiere. Viceſimo dehinc anno, duce *Opourdo*, id enim erat viro nomen, ingreſſi utramque Mœſiam, omnia longe lateque populantur. Ingrediuntur & Thraciam, perque eas, excurſiones & varias & infeſtiſſimas facientes, perveniunt ad urbem *Conſtantinopolim*, quam aliquot diebus circumſederunt. Sed animadvertentes, fruſtra ſe niti, vaſta namque & populoſiſſima civitas, neque brevi, neque facile expugnari poſſe videbatur: inde, vaſtato agro,

Digitized by Google

discedunt quidem; sed universæ *Græciæ*, inæstimabili illato detrimento. Hæc & alia permulta, dictu audituque terribilia, atque admiratione digniſſima, feliciter geſſere Hungari; non modo ſub ſeptem illis copiarum, de quibus eſt facta mentio, ſed ſub aliis quoque Ducibus, qui illis ſucceſſere, quorum imperiis paruerunt, ex quo tempore ſibi ſubegere Pannonias, uſque ad *Toxum*, virum profecto, ſingulari virtute præſtantem, ex Arpadii ductum genere. Eo namque Duce, adminiſtrata eſt res eorum publica, magna fide, ac ſumma prudentia, ad tempeſtatem uſque *Geichæ*, patris Stephani Regis, de quo habenda hic eſt mihi mentio. Ceterum, prius eſt demonſtrandum, qui, qualeſque ipſum parentes genuere.

INDEX VIII.

De Hungaria, per Geicham Ducem, ad Chriſtum converſa; & de ejus filio S. Stephano Rege.

Toxi, cujus modo memini, filius fuit *Geicha*, Dux & ipſe Hungarorum. Fuit is vir Deo in primis acceptus, cœlo & immortalitate digniſſimus. Primus namque Hungarorum omnium, credidit in Chriſtum, ejuſque obedivit Evangelio. Quod Dei beneficium, quemadmodum illi contigerit, ita conſtat ex eis, quæ ſcriptores vitæ Beati Stephani, Hungarorum olim Regis, tradiderunt. Cum primum Geicha cepit res Hungaricas adminiſtrare; multa egit ſevere, atque crudeliter, cum adverſus populares ſuos, tum præcipue adverſus finitimos, & alios multos homines, qui negotiandi gratia, in Hungariæ civitatibus commorabantur: cum Chriſtianis autem egit mitius. Cum enim pro quadam ingenii ſui ſolertia, quæſiviſſet ex multis peregrinis, quænam, qualiſque eſſet religio Chriſtianorum, accepiſſetque tandem multa de ipſa, quæ ab eo judicata ſunt probatu veneratuque digna: non modo non ſæviendum in illos cenſuit, ut ſævitum ab ejus majoribus fuerat; ſed transmiſſis etiam litteris, dataque fide publica, illos, undecunque potuit, ad ſe accerſivit. Quibus perhumaniter ſuſceptis, multiſque, ultro citroque de Chriſti cultu dictis; ad extremum fecit eis poteſtatem, ut Chriſtum libere colerent, utque illis liceret, ubicunque vellent, Chriſtianas erigere Eccleſias. Inter hæc quadam nocte, viſa eſt illi per quietem mulier pulcherrima, miro circumſepta lumine, quam multæ ſpecioſæ virgines comitabantur. Ea his ipſum verbis alloquuta eſt: *Bono eſto animo Geicha, ego ſum Maria, illa intacta virgo, quam Chriſtiani*

Digitized by Google

ni homines tibi dixerunt, esse Jesu Christi, filii Dei, matrem. Nosse te volo, filio meo, tuum erga ejus cultores animum, gratum acceptumque fuisse. Ob honorem igitur, quem illis impendisti, præmia ipse tibi reddet cumulatissima. Majores, quorum genere tu exortus es, in tenebris, id est mentis oculis capti, versati sunt; quippe qui nulla habita veri Dei cognitione, a via deviavere veritatis. Pro temporali igitur honore, singulari Dei dono, inspiraberis cœlesti lumine, quo effugata omni mentis caligine, Deum, qui te creavit, agnosces. Et, quod nunc te latet, scias, te susceperum ex uxore filium, qui Regis appellatione dominabitur Hungaris, eritque veri Dei præcipuus cultor. Ob ingenii vero excellentiam, atque sui regni administrandi scientiam, atque ob miram vitæ sanctitatem, suum seculum, Christianamque religionem, ac suam patriam, & Hungaricæ nationis nomen, haud mediocri, apud Deum & homines, laude exornabit. Ego autem, ab ipsius excellentia apud meum filium merita tibi polliceor, fore me regni tui fautricem, patronamque præcipuam. Ceterum, hoc tibi est cura intentissima agendum: est in Bohemia, vir morum integritate, Christianaque doctrina, & Ecclesiastica dignitate insignis, Adelbertus nomine; huic Deus inspiravit mentem, & animum, ut veniat in Hungariam, tibi, tuæque genti, viam consequendæ veræ salutis ostensurus; hunc tu humane, benigneque suscipito. Quæcunque autem docuerit, & audito attente, & agito diligenter. Hæc ubi dicta sunt, imago illa veneranda discessit, somnoque Geicha solutus, incredibili gaudio, lætitiaque afficitur. Nec minus lætanter; animo sibi proponit, ea se velle exequi obnixissime, quæ ei per quietem, Beata Virgo suaserat. Eadem præterea nocte, illius uxori quiescenti, visus est juvenis, magna luce resplendens, amictus veste, qua solent ornari Diacones, quum diebus festis, apud Christianos, res divinæ, hoc est missarum mysteria celebrantur, quam alloquutus: *Ego*, inquit, *sum Stephanus, qui ob veritatis testimonium, mortalium omnium primus, mortem corporis, pro Jesu Christo, Beatæ Mariæ Virginis filio, passus sum; quamobrem ab hominibus Christianis, protomartyr appellor: illius imperio tibi, ut per quietem nunc vides, aparui, qui hoc tibi nuntiarem. Non multis post hanc horam diebus, Evangelium tibi, per Adelbertum, Pragensis Ecclesiæ Antistitem, prædicabitur. Itaque veri Dei fide, ac religione accepta, tu, virque tuus, ac multi e popularibus vestris, sacrum baptisma suscipient. Ita mente illuminati, Deoque gratiosi redditi, digni eritis, Deo atque mortalibus acceptissima sobole. Paries enim filium, quem ex sacro fonte baptismi, ex meo nomine, vocabis Stephanum. Is in hoc erit mihi similis, quod sicut ego, omnium discipulorum Christi sui primus Martyrii corona decoratus in cœlis, ita ipse primus erit Hungarorum Principum, qui in terris, & titulo, & diademate regio decorabitur. Erit au-*

Digitized by Google

tem Deo hominibusque dilectus; & ob laude dignam regni administrationem, atque ob sanctæ vitæ merita, immortalem sibi memoriam comparabit. Hæc ubi dicta mulier audivit, expergefacta, secum volutare mente cepit, quid sibi vellet ejusmodi somnium, verine videlicet aliquid afferret, an aliquid inane, cui nihil esset fidei habendum. Ceterum, quum primum illuxit, viro ordine refert, quæ somnians, & viderat & audiverat: nec minus vir conjugi narravit, quod somniaverat. Læti igitur illi, & præ rei promissæ tum novitate, tum magnitudine, stupefacti; rem eorum, qualiscumque esset eventura, divino commisere consilio. Eis deinde expectantibus, miroque sperantibus desiderio, ut divina in ipsis adimpleretur providentia: venit in Hungariam Dei servus *Adelbertus*, de quo paulo ante mentionem habuimus. Exceptus est ab Geicha perbenigne, & omni, quo decuit, honore atque reverentia. Postea vero, quam inter se communicaverunt, quæ rei, cujus causa, divina jussione, venerat Sanctus Antistes, visa sunt utilia: Geicha ejusque uxor, nihil morati, ad suscipiendæ Christianæ pietatis fidei sacramenta, vehementer inflammantur. Quid multis opus est verbis? constitutus est dies, quo & ipsi, & multi viri nobiles, multique alii, tum mediocris, tum humilis generis homines, sacro Baptismate in Christo renati sunt. Voto se tunc fecit obnoxium, jureque jurando promisit Geicha: quamprimum daturum se operam, ut omnes ditioni suæ parentes populi, exemplo suo, Christi cultores efficerentur. Omni itaque via, modo, arte, diligentia curat, ut voti fieret compos. Multi ipsum secuti sunt; sed pene innumeri, imitari sanctum ejus propositum, recusaverunt: idolorum enim cultui inservire malebant. Cum igitur illi, nulla tanti Principis habita ratione, non desinerent versari in errore illo tenebrarum: animadvertit prudentissimus princeps, armis opus esse, quorum vi, illorum domaretur & ferocitas, & perdita audacia. Sed cum non essent ei tantæ vires, quibus fieret a se facile, quod rei exigebat necessitas: clam dat literas, ad plerosque principes Christianos, per quas aperit laudabile suum sanctumque consilium; ac propterea petit, ut in tanta rerum mole, sua quisque idonea mittat auxilia. Mittuntur igitur undique in Hungariam, Christianorum principum copiæ. Ex ipsis quoque Principibus nonnulli confluunt, non solum ut ferant viro Christianissimo opem: verum etiam ut videant, submitti jugo Christi colla, ferorcis efferatæque nationis. Illius namque nomen, toti Europæ tunc erat invisum, ac formidolosum: Christianis præcipue populis, in quos, superioribus temporibus, crudelissime sævierat. Illud vero nosse volumus cunctos, qui scripta nostra hæc legerint: multos e Pannonibus illis veteribus, qui fuerunt antiquis temporibus

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani, non prorſus a Chriſti cultu abhorruiſſe. Ideo potiſſimum poſſumus perfacile conjicere, quod de Beato *Martino*, Eccleſiaſticis ſcriptoribus traditur, a Gallo præſertim, & Severo, qui profecerunt ſub illius diſciplina, & de ſancta vita, miriſque illius operibus, prolixum egregiumque volumen condidere. Tradunt hi, natum illum fuiſſe *Sabariæ*, quod eſt Pannoniorum oppidum, extatque adhuc, & vetuſtum ejus nomen perſeverat in hanc diem. Illumque affirmant, cum annum ageret ætatis decimum, ad Eccleſiam, invitis parentibus, confugiſſe, ut fieret catechumenus. Ea igitur conjectura poſſumus quam facillime aſſequi, fuiſſe jam tunc conſtitutas per Pannoniæ civitates a ſanctis majoribus noſtris, Eccleſias, in quibus Chriſtiani ſacerdotes, Sacramenta ſalutis cunctis, qui ea petiviſſent, conferebant: adulti namque tunc homines, non parvuli, baptizabantur. Invaſis tamen Pannoniis, prius ab Hunnis, poſtea ab Hungaris, quibus erat inviſa Chriſtiana Religio: deſierunt eſſe in civitatibus Eccleſiæ; propterea, quod illæ gentes impiæ, partim trucidatis, partim ad fugam compulſis, partimque a veri Dei cultu, ob metum, averſis hominibus noſtris, quidquid fuerat in Pannoniis Chriſtianæ pietatis, deleverunt. Remanſit autem ejuſce nationis impietas, uſque ad Geicham, de quo hoc loco nobis eſt mentio. Multi tunc nobilitate generis inclyti viri, e diverſis orbis locis, Hungariam petivere. Eorum autem aliquot, pellecti amœnitate regionis, poſteaquam peracta res, cujus cauſa fuerant accerſiti, eo redire, unde venerant, noluerunt. Namque affinitate indigenis conjuncti, quod reliquum vitæ cuique fuit, egerunt in Hungaria.

Sed redeo ad id, unde exceſſeram. Intra paucos annos, tot millia externorum militum convenerunt, ut Hungaris, a Chriſti cultu abhorrentibus, eſſent illi armis, ac numero longe ſuperiores. Dum vero ea auxilia comparantur, *Geicha* ſuſcipit filium ex *Sarolta*, Giulai viri nobiliſſimi filia, *anno ab ortu Domini noſtri generis humani ſalvatoris, ſexageſimo nono ſupra nongenteſimum.* Hic eſt *Beatus* ille *Stephanus*, de quo mentionem hoc loco me facturum, paulo ante pollicitus ſum: qui poſtea ad regiæ dignitatis culmen evectus, omne vitæ ſuæ tempus, bene ſancteque peregit, ut infra ſuo loco memorabo. Hunc vir quidam, qui ex Campania cum ſuis venerat auxiliis, *Adeodatus* nomine, ortus ex genere clariſſimorum Comitum Sanſeverini, & *Adelbertus*, de quo ſupra facta eſt mentio, de ſacro baptiſmi fonte levaverunt. Ipſe autem Adeodatus, aliquot poſt annis, condidit cœnobium, quod ab ejus nomine, *Tutta* cognominatum eſt. At vero Adelbertus, functus in Hungaria ſuæ legationis officio, Deo quoque inſpirante, in Pruſſiam proficiſcitur. Eſt ea regio in Europæa

Digitized by Google

Sarmatia, cujus tunc incolæ, idolorum erant cultui dediti. Cumque vir Dei, magnam Prutenorum partem, ad Christi fidem convertisset: ad extremum, repugnantibus ejus doctrinæ, aliis ejusdem patriæ populis, interfectus est. Ejus corpus, aliquot ex eis, qui per ipsum Evangelio crediderant, religiose sepelierunt; quod fertur multis claruisse miraculis. Coactas, quas dixi copias, Geicha divisit, ac per universam Hungariam, idoneis in locis dispositi. Itaque ubi animadvertit, advenisse jam opportunum tempus, quo exequeretur, quod animo conceperat: per præconem suum patefacit animum, commonefacitque Hungaros universos, eisque imperat, ut ab errore, in quo versabantur, resipiscentes, suscipiant veri Dei religionem, quam divina afflatus inspiratione, ipse susceperat. Nolle se pati ulterius, ut sui populares, vagentur per tenebras, seque ipsos perdant, diabolo servientes, cum quo essent æternis supplicis cruciandi. Qui ea salutifera monita visionesque despexerint, ii nihil expectent aliud, quam ut ad unum trucidentur, se jam ad id habere arma. Et si quis ante nesciverit, sciat nunc; ea de causa, tanta ad se a Christianis principibus missa auxilia. Ita brevi effectum est, ut pars metu, pars salubri adducti consilio, in Christum universa Hungaria credens, Christianæ fidei Sacramenta susceperit. Erecta igitur ubique, Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, & ceterorum Sanctorum templa; constituti præcipuarum Ecclesiarum Antistites, & presbyteri, ceterorumque ordinum sacerdotes, qui Dei laudibus inservirent; Christianæ leges ac ritus, sacræque ceremoniæ inductæ; sanctorum patrum decreta servari cepta. Constituta præterea ea, quæ sunt usui humanæ vitæ necessaria; ex quibus clerici, honorifice in suis Ecclesiis viverent. Inter hæc Stephanus, intentissima parentis sui cura, sub educatore sibi adhibito, qui ad id esset idoneus, primam ætatem innocenter agebat. Erat adeo egregiæ indolis, ut specimen quoddam cunctarum virtutum præ se ferre videretur. Ubi autem adolevit, ita cepit exercere vitam virtutum operibus, ut neminem fefelliset ea, quæ de ipso fuerat, futuræ probitatis expectatio. Tanta ejus humanitas, ut omnium hominum generi charus esset, & incredibiliter amœnus atque jucundus. Mira morum, qua pollebat, elegantia, perquam facile effecit, ut omnium animos in sui converteret admirationem. Tanta inerat ei vis ac dexteritas ingenii, tantusque, ac talis incipientis cujusdam prudentiæ vigor; ut prudentissimus quisque, natum ipsum ad regnum arbitraretur. Christianæ pietatis, supra quam dici potest, cultor admirabilis. Cujus rei satis superque fuerit hoc nunc, & quidem memoratu dignum exemplum, afferre. Adolescentulus cum accepisset, permultos Hungarorum, Christum simulate colere, propter-

Digitized by Google

pterea, quod ſacri baptiſmatis undam, metu adducti, ſuſceperant: ſua ipſe diligentia id egit, ut plerique illorum, in Chriſtum ipſum, omni ſublata fictione, crediderint. Quippe ſumtis Chriſtianis armis, fide videlicet, ac ſpe, & ea, quam docuit Evangelium, charitate: nunc hos, nunc illos, ad ſe accerſivit. Aperuit eis ſenſum divinarum ſcripturarum, & juxta Beati Apoſtoli Pauli doctrinam, arguendo, obſecrando, increpando, tandem conſecutus eſt, ut in omni Hungaria perpauci remanſerint, qui veri Chriſti cultores effecti non eſſent. Itaque non minus fuit ipſe, quam ſuus parens adeptus: cum quod ille armis, hic amore, divinitus ei data ſapientia, fecerit. Mortuo poſtea ejus patre, pie, ac religioſe, & ea in Deum fide, qua decuit mori Chriſtianiſſimum principem: ipſe in illius opus ſucceſſit, Duciſque nomine, ut & ille, aliique ante illum, rem Hungaricam adminiſtravit. Per id temporis, occurrit ei neceſſitas gerendi belli, adverſus *Cupam*, *Simigienſium Ducem*, cujus tunc magnæ erant & opes, & potentia formidabilis. Suſcipiendi autem belli cauſa, juſtiſſima fuit. Tentavit omni cura, matrimonio ſibi jungere Saroltam, ipſius matrem; quanquam erat illi conſanguinitate propinqua. Id vero tentavit eo animo, ut prætextu execrabilis conjunctionis, tenderet inſidias, quibus Stephanum adhuc adoleſcentem interficeret. Quod ubi eſſet factum, nihil ſibi reſtare arbitrabatur, niſi ut ipſe mox Hungaria potiretur. Id ubi reſcivit Stephanus, forti animo, parata expeditione, contra illum profectus, prælio illum vicit. Adeptam autem victoriam, tribuit ipſe Beati Martini meritis, quem dicebat ſuum apud Deum Patronum eſſe præcipuum: ideoque ſperare, ſe illius precibus, multa a Deo, quæ peteret, facile impetraturum. Haud multo interjecto dein tempore, cum Hungariæ optimatibus placuiſſet, ut qui titulo Ducis tot præeſſet populis, totque viris generis claritudine, auctoritateque magna inſignibus, utèretur magis honorata appellatione, regiam elegerunt dignitatem. Ceterum, ad eam evehendum neminem, niſi Stephanum; quippe cum jure ſucceſſor fuiſſet paternarum opum, atque ita duxiſſet anteactam vitam, ut ſolus, natus ad regnum, fuerit prudentum omnium ſententia judicatus. Omnium igitur miro conſenſu & applauſu, eligitur appellaturque ipſe Rex, ac regia corona, Regum more, donatur. Quamdiu tenuit regnum, præterquam quod ſapienter, & Chriſtiane, hoc eſt, pie ſancteque vitam inſtituit: nihil quoque prætermiſit, quod optimi Regis officio congrueret. Suſcepit, geſſitque bellum, adverſus *Giulam*, avunculum ſuum, non eo ſolum, quod infeſtabat fines Hungariæ, ſed quod etiam abhorrebat a Chriſti cultu. Et licet illum perſæpe monuiſſet, rogaſſetque, ut patienter accommodaret aurem documentis ſalutis, quibus perſa-

Digitized by Google

facile posset agnoscere veritatem: ille tamen, & deridebat Regem, & pia ejus monita despiciebat. Erat ille Dux regionis, quam vocitant Transsilvaniam, propterea, quod eos, qui illam adeunt ex Hungaria, per silvosa loca, perque arduos montes, facere iter oportet. Cumque regio ipsa abundet laudatarum rerum maxima copia, argenti præsertim & auri: fiebat, ut Giulæ opes non essent minimi faciendæ, ac propterea esset adeo potens, ut novellum Hungarorum Regem, auderet facile & superbe contemnere. At vero Stephanus, primum Christi, deinde temporalibus armis fretus: loca illa aditu difficilia, magno animo penetrat; ac tandem collatis signis, commisso prælio, illum superat, capitque, & cum uxore, duobusque filiis, mittit in Hungariam, ut carcere adservaretur. Ipsam vero Transsilvaniam, non modo coegit, ut suo pareret imperio: verum etiam subigi ex eo tempore voluit illis, qui in regnum Hungariæ deinceps succederent. Aliud deinde bellum ei fuit contra *Ceanum*, Bulgarorum & Sclavonum potentissimum Ducem: qui ausus hostiliter ingredi Hungariæ fines, multorum oppidorum agros populatus est. Prælio illum vicit, & interfecit; ne perditæ audaciæ homo, aliquid simile, si vixisset, postea moliretur. Ex thesauris autem, qui illi fuerant pretiosissimi, maximam partem dono dedit Ecclesiis, quas ipse in diversis regni sui locis, magnifice condiderat, splendideque exornaverat. Inter ceteras vero Ecclesias, Albensem, longe pluribus, & magis eximiis, potioribusque dotavit muneribus: propterea, quod ante ejusce victoriam, in illius consecrari fecerat honorem, quam constat esse sanctorum omnium beatissimam. Multa præterea ex spoliis illis, distribuit Christi pauperibus. Egenorum namque, & pupillorum, viduarumque, & virginum, fuit, dum vixit, consolator, patronus, adjutor, præsidium, refugium, levamen singulare. Ejusmodi hominum generis causa, deferre ipse solebat sacculos nummorum plenos, ut illos haberet in promtu, quoties ei aliquo procedenti, occurreret quispiam, cui eleemosyna erogaretur. Apud Budam veterem, quod oppidum olim nobile, fertur Bleda, Attylæ frater, ut ante dictum est, condidisse; struere cepit ampliissimam Basilicam, & ei conjunctum cœnobium, in honorem Principum Apostolorum, Beatorum Petri & Pauli. Quod opus, morte præoccupatus, non absolvit: perfectum tamen postea fuit a Beato Ladislao, Rege & ipso Hungarorum, qui ex sancti hujus genere ortus est, ut infra suo loco memorabitur. Uxor ei fuit *Ceissa* vel *Cheila*, natione Germana, filia Geltrudæ, matronæ, suo seculo, multis virtutum generibus insignis. Ex qua plures suscepit filios, quos omnes virtutum meritis, *Emericus*, absque ulla controversia vicit. Fuit enim excellens, ea vitæ integri-

Digitized by Google

gritate ac ſanctitate, ut in omni virtutum genere eſſet parenti ſimillimus. Eam ob rem, Beatus Stephanus, ea ipſum charitate complectebatur, ut nihil ſupra facile dici poſſet. Decreverat religioſiſſimus Rex, abdicare ſe regno, ſeque ſeparare ab hominum frequentia, quo divinarum rerum meditationi poſſet inſervire liberius, regni vero curas, Emerico demandare inſtituerat. Ceterum, dum talia ſecum mente volutat, divino conſilio, aliter decernitur. Repente namque Emericus in adverſam incidit valetudinem, eaque paucis poſt diebus correptus, moritur; pie plane, ut credere par eſt de viro, qui vitam tranſegerat ſanctiſſime. Ejus obitum, adeo moleſte Rex tulit, ut morbum, & ipſe contraxerit quam graviſſimum, ex quo perdiu, ac non ſine vitæ maximo periculo, laboravit. Doloris cauſa erat, quod animadvertebat, e ſuis inveniri poſſe neminem, cui ampliſſimi regni ſui adminiſtratio demandaretur. Maxime autem eo angebatur, quod non occurrebat ei via, qua nanciſceretur hominem quempiam, a quo Chriſtianus cultus, nuper ſuſceptus, ab Hungaris, pertinaci opera conſervaretur. Sed placuit immortali Deo, ut Regem ipſum fineret tantiſper vivere, ac regnum tenere, dum novelli Chriſtiani, in fide, quam acceperant, ſatis confirmarentur: quamdiu tamen fuit in vita, multiplicibus morbis vexatus eſt. Tandem, omnibus ægritudinum moleſtiis atque doloribus, magno animo miraque patientia ſuperatis, *anno humanæ ſalutis triceſimo octavo ſupra milleſimum*, piiſſime mortuus eſt, XVIII. Calendas Septembris; quo die celebratur ab Eccleſia Chriſtiana, ſolennitas Aſſumtionis Beatæ Mariæ Virginis. Sepultus eſt in Albenſi illa Baſilica, quam ipſe, ut ante dictum eſt, in ejuſdem Beatæ Virginis honorem erexerat; ubi & Beatum Emericum, ejus filium, ſepeliri fecerat, ſtructo illi regii operis ſepulchro, in quo requieſcit. Claruit poſt mortem innumeris miraculis, quæ commemorare non eſt mei inſtituti; qui epitomem, non prolixam ſcribo rerum Hungaricarum hiſtoriam. Ob ipſius obitum, omnis Hungaria, multis annis, incredibili fuit affecta mœſtitia. Qui enim ſub tanto Rege, aurea ſecula redijiſſe in Hungariam, antequam extingueretur, gloriabantur: in multa poſtea rerum diſcrimina inciderunt, quod perfacile intelligere quiſque poterit, ex iis, quæ infra oſtendentur. Regnavit annos ſeptem & quadraginta, ſeu ut malunt alii, ſex & triginta: vixit annos tres & ſexaginta. Agens ætatis annum tertium & triceſimum, urbem Romam petivit, ut Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque martyrum Chriſti, ſacras reliquias viſeret; utque maximo Pontifici exhiberet reverentiam, & obedientiam, qua jure illi erat obnoxius. Hactenus de Beati Stephani Regis

Digitized by Google

parentibus, ortuque & baptiſmo, ac regno, geſtiſque ab ipſo rebus, deque vitæ ſanctitate, & obitu ſcripſerim. De illis, qui ei in regnum ſucceſſere, hinc dicendum eſt.

INDEX IX.

De Petro Rege ejuſque Interitu.

Tenuit poſt eum regnum, *Petrus*, ſuus ex ſorore nepos. Huic pater fuit *Wilhelmus*, natione Germanus, frater Sigiſmundi Burgundorum Ducis: is maxime inviſus Hungarorum populis fuit. Nam cum eſſet Germanus, ſeu mavis dicere Teutonicus, nonniſi per ſuæ nationis homines, regni Magiſtratus geri voluit. Minitabatur præterea, modo viveret diutius, hoc ſe obnixe curaturum, ut nullus poſthac Hungarorum, ſed ſoli Teutones, ad dignitates & honores eveherentur. Id permoleſte ferentes Hungari, tertio ex quo regium diadema ſuſceperat anno, vi facta, regno ipſum pepulere: ipſe autem, in Germaniam, ad Henricum Romanorum Imperatorem, confugit. Eccleſiarum vero Antiſtites, ceterique regni primores, quibus hoc erat curæ, abdicato Petro, Regem ſibi conſtituunt *Abam*, fratrem Cheilæ, quam ſupra oſtendi Beati Stephani uxorem fuiſſe. Sed Hunc quoque Hungari, *ingenti odio perſecuti ſunt, propterea, quod deſpecta nobilitate, erat ei cum humili ſordidoque loco natis hominibus conſuetudo.* Admonitus vero, cum non minus inter illos aſſidue verſaretur; indignata nobilitas, curat, ut auxiliis Imperatoris, pulſo occiſoque Aba, Petro regnum reſtitueretur. Id ubi eſt factum, cum Petrus non ſolum ad priſtinam rediiſſet inſolentiam; ſed multo etiam execrabiliora, in Deum hominesque committeret: denuo ei rebellatum eſt, adeoque ſævit in ipſum Hungarorum indignatio, ut ad extremum ipſum interfecerint. Ceterum, non prius aliquid attingam de ſucceſſore, quam repetam pauca quædam, ſcitu, ad res, quas ſum hinc ſcripturus, perneceſſaria. Vir quidam Hungarica nobilitate præclarus, *Andreas* nomine, una cum duobus ſuis fratribus, *Bela* & *Leventio*, cum orti eſſent ex Beati Stephani genere, nec æquo animo perpeti poſſent Petri Regis tyrannidem, Hungaria exceſſere. Modoque hæc, modo illa loca peragrantes; præſtolabantur temporis opportunitatem, ac viam, quibus a maligni hominis poteſtate, patriam eriperent. Cum igitur eſſent in regione, quam vocant Comaniam, nec Petrus a ſævitia, ſuperbiaque illa Germanica deſiſteret, quotidieque cumularet mala malis: Hungariæ opti-

ma-

Digitized by Google

mates, missis fidelibus nuntiis, indicant eis, adveniſſe jam rei gerendæ, liberandæquæ patriæ, tempus maxime opportunum; veniant quam celerrime, non eſſe expectandum diutius, paratos jam eſſe, qui, cum ipſi adfuerint, capiant adverſus truculentum Tyrannum arma. Veniunt illi, quanta maxima celeritate fieri potuit. Cumque propinqui eſſent oppido, cujus conditor fuerat Aba, *Caſtrum novum* nomine; ingens multitudo, Duce *Vata*, id namque nomen illi erat, offert eis, laturum ſe contra Regem opem, modo permitterent, ut abjecto Chriſti cultu, ad idola colenda, quemadmodum fecerant jam pridem eorum majores, reverterentur. Erat Vata peritus artium Magicarum, & idcirco diaboli ſervitute tenebatur. Eo itaque adhortante, dicebat multitudo; Chriſtianæ religionis intolerabile jugum, ſe ulterius fere neque poſſe, neque velle, ſi poſſent, velle ſe vitam agere liberius; duriſſimum eis eſſe, clericis quotannis rerum decimas ſolvere. Ideoque ſe velle graſſari in perſecutione Chriſtianorum, cum nomen atque religio Chriſti, fuerit patribus, ex quibus orti ſunt, ſemper inviſa. Andreas, quanquam erat Chriſtianus, ſibi tamen timens, ne ingens illa impiorum hominum manus, in ipſum faceret impetum, ſimul adductus terreni regni cupidine; facile permiſit, quod illi petiere; ea tamen adjecta lege, ut adverſus Regem, rem, fideliter ac ſtrenue gererent. Quod illi ſe obnixe facturos, jurejurando promiſerunt. Ea licentia illi freti, facto agmine, in Chriſtianos homines, illico graviſſimam movent perſecutionem. Multa tunc nobilia, Dei & ſanctorum templa diruta, ac ſolo æquata; trucidati cujuſque ordinis, & utriuſque ſexus pene innumeri homines. In his magna fuit multitudo clericorum, aliquot Epiſcopi; in quibus fuit vir ſanctitate inſignis, *Gerardus Chanadienſis*, *Antiſtes*. Dum hæc aguntur, Andreas, fretus Abæ ejuſque ſectatorum conſiliis; Petrum capit, jubetque illi erui oculos, ac duci ad urbem Albam, ubi haud multo poſt, vita exceſſit. Ceterum curavit Andreas, ut ſepeliretur in Quinque-Eccleſiis, in quo oppido ſtruxerat ille nobilem Baſilicam, in honorem Beati Petri Apoſtoli. Regnavit, primum quidem annos tres, poſtea vero quam fuit reſtitutus in regnum, duobus, & menſibus ſex. Enumerandi hinc mihi ſunt, qui poſt ipſum regnum, uſque ad Beatum Ladislaum, ordine tenuerunt.

Digitized by Google

INDEX X.

De Andrea I. Salomone, Bela I. & Geysa I. Regibus.

Petro succeſſit *Andreas*, cujus eſt modo habita mentio, qui fuit uno Hungarorum omnium miro conſenſu electus, regiaque donatus corona, *anno ſalutis humanæ, quadrageſimo ſeptimo ſupra milleſimum*, qui fuit, annus, a Beati Stephani obitu, undecimus. Is ubi omnia diligenter, & fortiter, prudenterque pacavit: dedit operam, ut multitudo, cui ut ante dictum eſt, permiſerat idola colere, ad Chriſti cultum rediret. Interitum itaque minatur cunctis, qui non vixerint ritu atque ceremoniis, ſanctiſque legibus, quibus vivendum ſuis popularibus, Beatus Stephanus conſtituerat. Ejus juſſis, univerſi Hungariæ populi, pars metu perculſi, alii adducti errati pœnitentia, illico paruerunt. Ædificavit *monaſterium*, haud procul a lacu Palatini, in loco, quem accolæ vocitant *Thionem*, *in honorem Beati Aniani*; ubi poſtea, ſuum obiens diem, ſepultus eſt. Duxit uxorem, filiam magni Ducis Ruthenorum, qui & dicitur Moſchoviæ: ex qua duos ſuſcepit filios, *Salomonem* & *David*. Anno autem, ex quo regnare ceperat, duodecimo, cum eſſet ſenio confectus, *Salomonem* filium, quintum ætatis annum agentem, declaravit regni ſucceſſorem. Quæ res ut haberetur multo firmior, apud nobilitatem Hungarorum; hoc per amicos effecit, ut puer, more ſuperiorum Regum, inunctus coronaretur, deſtinata illi uxore Henrici Imperatoris filia. Id autem fuit, ſupra quam dici poſſit, Belæ, ipſius Regis fratri, moleſtum, de quo indice ſuperiore meminimus. Quo tempore, ea in Hungaria agebantur, erat *Bela* in Polonia, apud ejuſdem regionis Ducem, cujus filiam matrimonio ſibi junxerat. Soceri igitur adjutus copiis, bellum adverſus Andream geſturus, in Hungariam proficiſcitur. Coactis & Andreas copiis, fratri obviam procedit. Multis deinde commiſſis prœliis, ad extremum, Rex a Bela ſuperatur, & capitur, traditurque cuſtodiendus curæ nonnullorum, quos ſibi fidiſſimos ille exiſtimabat. Sed parum diligenter cuſtoditus, fugit quidem Andreas; ſed ingreſſus ſilvam, quæ viæ erat proxima, ſive quod eſſet nimium de via defeſſus, ſive ob dolorem, cum eſſet a pleriſque ſuorum deſertus: mortem obivit, & in Baſilica monaſterii, quod dixi ipſum ædificaſſe, Bela permittente, ſepultus eſt. Juſtiſſime profecto permiſit immortalis Deus, ut Andreæ, ita regno pulſo, vita eriperetur; qui, ut regnum adipiſceretur temporale, paſſus eſt tot Chriſtianos a cultu declinaſſe divino, utque ab hominibus impiis, tot

mil-

Digitized by Google

millia cultorum Chriſti occiderentur, & ſacræ ædes diruerentur. *Bela* itaque victor, in urbe Alba, omnium favore *Rex* appellatur, inungitur, coronatur; magnaque cum tranquillitate regnum adminiſtravit. Cudi fecit argenteum nummum, conſtituit menſuras & pondera, quibus in emendis vendendiſque rebus, ſui populares uterentur. Stabilivit & rerum venalium pretia, quæ tranſgredi haudquaquam liceret. Loca præterea diverſa ordinavit, in unaquaque civitate, ad quæ, res quoque diverſæ venditionibus exponendæ, comportarentur. Salomonem nepotem, quem dixi, ab Andrea patre Regem fuiſſe coronatum, pie ſervavit, ſuaque ipſius impenſa, docuit, aluit: ignovit & eis, qui illius favebant partibus. Eo Rege, univerſi Hungariæ populi, mire locupletati ſunt: tanta pace, tantoque ordine, ac diligenti cura, regni ſui rem adminiſtrare ſtuduit. Struxit *Monaſterium* in ſancti Salvatoris honorem, in loco, qui Hungarorum lingua dicitur *Zevukzardum*, ubi poſtea mortuus ſepultus eſt. Ab eo permulti e vulgo, adducti conſilio nonnullorum, quos alias ſeduxerat *Vata*, homo ille ſacrilegus, quem ſupra dixi magicarum artium calluiſſe peritiam; petiverunt, ut eis ad colenda idola regredi liceret, quemadmodum & Andreas ante permiſerat. Sed ipſe, congregatam ad ſe multitudinem illam, veluti eis, quod petebant, vellet annuere: a militibus, quos ad hoc armis inſtructos, in locis idoneis latenter diſpoſuerat, ad unum interfici juſſit. Periit morbo, quem contraxit ob ruinam ſolii, in quo, jus dicens, ſedebat. Omni, qua par fuit, pietate, Deo reddidit animam, præfuit regno annos tres. Licet autem ei fuerint, duo: magno ingenio atque animo filii *Geyſa* & *Ladislaus*: neuter tamen illorum ſucceſſit in regnum; ſed *Salomon*, cujus ſupra mentionem habuimus. Ope namque Imperatoris, ſoceri ſui, Hungarorum optimatum ſuffragio, Albæ electus eſt Rex, ac denuo coronatus. Geſſit bellum adverſus *Cumanos*, gentem ferocem, & a religione Chriſtiana abhorrentem, quos auxilio Geyſæ, patrui ſui perdomuit. Geſſit & bellum cum *Bohemis*, quæ & ipſa efferata immaniſque natio eſt; quæ irrumpens in Hungariam, perque multa loca habitatoribus frequentia excurrens, ingentem prædam domum reportavit. Contra quam gentem, auxilio quoque ei fuit Geyſa, una & Ladislaus illius frater, quorum armis ſalubrique conſilio, victoriam aſſecutus eſt. Paucis dein interjectis annis, Geyſæ paravit inſidias, per quas incautus trucidaretur. Adductus enim pravis quorundam conſiliis, quos apud ſe domi tenebat, a quibus Regi ſe patiebatur, flagitioſe & inique vitam agebat. At vero Geyſa, de inſidiis factus certior, omnino ſibi proponit, ut eam injuriam non impune abire patiatur. Comparatis igitur copiis, cum Ladislao fratre, ire adverſus Regem contendit. Nec

Digitized by Google

mora, intra paucos dies, abſque multo ſuo ac ſuorum diſcrimine, ipſum prælio ſuperat, cum paucis tamen e ſuis victus Rex fugit; tranſmiſſoque Danubio, petit primum Moſonium, deinde Poſonium, in quo oppido, mater uxorque ejus commorabantur. Eum ubi mater aſpexit, animadvertit ingenti affectum dolore; ipſum verbis accuſavit aſperioribus, quod nimium, & plusquam decuit, hoc eſt uſque ad ſuum exitium, & ad extrema gentilium ſuorum pericula, improborum hominum veneniferis auſcultaſſet conſiliis. Regnavit annos XV. Eo itaque fugato, regiam dignitatem *Geyſa* adeptus eſt. Fuit is vir Chriſtianiſſimus, ideoque Evangelii zelator præcipuus. Struxit apud *Vaciam*, nobilem, in honorem Beatæ Mariæ Virginis, ædem; ubi poſt obitum ſepultus eſt: dotavit eam donis, regia beneficentia dignis. Eccleſiæ quoque Budenſi, dona, & multa & pretioſiſſima tribuit. Ob virtutes multas, quibus fuit eximie præditus, quia præterea fuit ipſius haud contemnenda potentia; *Regem magnum*, ipſum Hungari cognominaverunt. Salomoni, quem regno fugaverat, decrevit partem ſui dominatus tradere; ne vitam ille miſeram agere compelleretur. Sed nequaquam id permiſit immortalis Deus, qui in terris diſtribuit pro ſua voluntate imperia. Ante enim quam exequeretur, quod decreverat, incidit in graviſſimam valetudinem; qua intra paucos dies extinctus eſt. Regnavit annos tres. Hinc ad Beati Ladislai regnum tranſeundum eſt.

INDEX XI.

De S. Ladislao Rege, ejuſque ſanctiſſima morte.

Poſt Geyſæ mortem, Hungariæ primates ſe conferunt ad *Ladislaum*, ipſius fratrem, cujus mentio ſupra habita eſt. Quem invitum, nimiumque renitentem, Regem tandem ſibi deligunt. Et electioni quam multis adactus precibus, Chriſtique adjuratus nomine, conſenſit: non tamen eſt paſſus ſe coronari eo diademate, quod ſuperiorum Regum capitibus imponi conſueverat. Fecit id primum modeſtiæ cauſa, quandoquidem erat vitæ ſanctitate adeo excellens, ut in terris agens, non ut homo, ſed ut cœleſtis aliquis angelus, in humana effigie verſari, inter mortales putaretur: deinde, quod ſupereſſet adhuc Salomon, Andreæ filius, qui non modo ſemel, ſed & iterum, conſenſu ſenatus omnis Hungariæ, fuiſſet coronæ illius honore donatus. Atque idcirco dicere perſæpe ſolebat, non ſuo, ſed Salomonis nomine, tenere ſe Hungariæ regnum.

Con-

Digitized by Google

Conſenſui autem optimatum, eo ſe acquieviſſe, quod divina revelatione intellexiſſet: expedire ſaluti Hungaricæ reipublicæ, ut ipſe gubernandi regni curam ſuſcepiſſet. Poſt aceeptum regiæ ſublimitatis faſtigium, nihil unquam egit, quod eſſet vel levi reprehenſione dignum. Uniuscujuſque virtutis opus, quod bene inſtitutum hominem, piumque deceret Regem, ſumma diligentia, & abſque ulla officii intermiſſione, ad ſuum uſque piiſſimum obitum, executus eſt. Eas ob res, ipſum adhuc in carne viventem, *Sanctum Regem* vocitabant. Cum vitæ autem maxima integritate, non prætermiſit, quin regni ſui fines ampliaret.

Rex erat ea tempeſtate Dalmatiæ & Croatiæ, *Zolomerius* nomine. Is moriens, cum nullus illi eſſet hæres, ſua regna teſtamento reliquit uxori; quæ erat Beati Ladislai ſoror. Cum autem nonnulli, qui fuerant viri ſui hoſtes, arma paraſſent, quibus Reginæ, regna illi relicta vellent adimere: ſuas & ipſe Rex ſanctus coegit copias, tulitque ſorori opem; qua fugatis adverſariis, quæ ſua erant, illa poſtea tranquille poſſedit. Interjecto dein tempore, moriens & illa, eadem regna reliquit Ladislao fratri: quo nemo erat illi conſanguinitate propinquior. At vero ipſe, ea regna, Hungarorum Regum junxit imperio. Quarto, ex quo regnare ceperat, anno, Salomonem ſibi reconciliavit, ſuaque pecunia, cepit eum adeo habere liberaliter; ut, ſi prudentem ſe in vita ille geſſiſſet, felix haud dubie vixiſſe potuiſſet. Nam non multo poſt, Rex ſanctus inſtituit, aut partem illi regni tradere, aut regno ſe omnino abdicare; ut illi, quod ſuum erat, reſtitueret: ipſe vero, ſolo Ducis nomine contentus, viveret privatus. Sed huic ejus propoſito reluctati ſunt optimates: propterea, quod eos non latebat, quam malum, quamque pravum eſſet Salomonis ingenium. Idcirco timuerunt Reipublicæ, quod futurum eſſet exitium, ſi ille aut adſcitus eſſet in partem dominatus, aut ad regiæ dignitatis culmen ſuiſſet evectus. Inter hæc ille, ut erat in malum omne propenſus, cepit meditari molirique dolos, quibus Regem, nihil ſibi tale metuentem, interimeret. Quod ut primum ipſe reſcivit, juſſit, ut caperetur, conjiceretur que in carcerem: non plane aut ultionis, aut odii cauſa; ſed ne homo pravus, facile exequeretur animo ſuo conceptam malignitatem, neve tentare quidquam poſſet, quod eſſet Hungaricis rebus maximo, & quod reparari non facile poſſet, detrimento. Precabatur nihilominus divinam benignitatem, ut illi ignoſceret, præſtaretque ſalutiferæ pœnitentiæ viam; qua reſipiſcens, in ſe rediret, & ab animi mentiſque pravitate deſiſteret. Haud multo poſt, cum ille ſimularet ſe malefactorum pœnituiſſe, pollicituſque eſſet, ſe nihil unquam doli adverſus Regem machinaturum, libertate donatus eſt. At paucis poſt diebus fugit, ſeque contulit ad *Oiteſcum*, Cu-

nc-

Digitized by Google

norum ducem; quem obſecravit, ut pararet copias, quibus adeptum regnum ſibi recuperaret. Multa præterea adjecit, quibus illi maria pollicetur & montes; properet modo, ut incautus Ladislaus facilius opprimatur. Adductus ille Salomonis precibus, inanibuſque pollicitationibus, Hungariam verſus ducit. Ea re cognita, Ladislaus, haud ſegniter paratis armis, procedit in hoſtem; commiſſoque prælio, eum vertit in fugam, atque ita victor, in ſuum regnum revertitur. Salomon igitur, dum quid ulterius agat, ignorat, nactus ingentem latronum manum, illorum fit ſocius; Bulgarorumque ingreſſus fines, cepit per agros excurrere, multaque loca populari, & omnis generis prædam agere. At vero Bulgari, ad arma ruunt, factoque impetu, in latrones feruntur, ut inſequantur illos fugientes. Et quamquam prædam omnem recuperant: inſequi tamen haudquaquam deſiſtunt, quouſque illi ad deſertum quoddam caſtellum pervenere. Eo cum ſe illi proripuiſſent, ibique ſe tuerentur, obſidentur quidem a Bulgaris; ſed illi, cum eſſent periti locorum, per noctem caſtello egreſſi, obſidentes deceperunt, fugaque ſalutem ſibi quæſiverunt. Salomon autem, cujus gratia pauca hæc hoc in loco memorantur, deveniens in planitiem quandam, cui proxima erat ſilva ingens; rogat eos, quibuſcum eo venerat, ut parumper illic demorarentur: ſilvam enim, ait, velle ſe, adire, neceſſariæ rei gratia; quamprimum autem ſe rediturum. Ita expectantibus comitibus, ingreditur ſilvam, ſed neque eſt regreſſus, neque uſquam ulterius ab illis eſt viſus. Perhibent, ipſum inde clam exceſſiſſe, atque reſipiſcentem, ad Deum fuiſſe converſum, deque a ſe in Deum, & in homines commiſſis, vehementer indoluiſſe, atque inſtituiſſe, Deo ſoli, in omni ſua vita, ſe famulaturum. Ideoque ſe decreviſſe, habitu pauperis & abjecti hominis, orbem terrarum peragraturum; agendo dignam ſuis muneribus, uſque ad mortem, in jejuniis, fletuque & planctu, pœnitentiam. Quod & effecit; pieque aliquot poſt annis, *Polæ*, quod oppidum in Iſtria eſt, diem ſuum obiit. Sunt qui credant, Beati Ladislai precibus, fuiſſe illi a Deo, eum modum agendæ peccatorum pœnitentiæ, præſtitum. Suſcepit & idem Rex denuo bellum contra *Cunos*; propterea, quod dum ipſe ageret in Dalmatia, illi duce *Copulchoi*, id enim illi erat nomen, excurſionem fecerunt per aliquot Hungariæ loca, unde ingentem prædam exportavere. Quo agnito, ad eam ulciſcendam injuriam, omnem animum vireſque convertit. Cum univerſo igitur exercitu, contra eam gentem quanta maxima potuit celeritate, profectus eſt. Perveniens autem ad locum, ubi commode res geri potuit, in illos fertur: nec multo labore fuit ei opus, primo quippe impetu, hoſtilem exercitum omnem delevit. Ita præda omnis recuperata. Decrevit & movere bellum adverſus

Ru-

Digitized by Google

Ruthenos, quæ magna natio est; illorum namque consiliis & ope, Cuni Hungariam invaserant. Ceterum illi, Ladislai formidantes potentiam, pacem sibi dari petunt, eamque a Rege clementissimo impetrant quam facillime. Extruxit *Varadiense monasterium*, cui contulit multa, regia digna munificentia; ubi postea mortuus sepultus est. Decernentibus Teutonum Optimatibus, eum elegere Imperatorem; noluit admittere, quam polliciti sunt se facturos, electionem. Actis nihilominus gratiis, illis, qui ejus rei gratia ad se venerant, pro re ipsa, perquam paucis respondit: *Suo regno, se esse satis superque contentum.* Tantum valuit ejus apud Principes Christianos auctoritas, ut omnes pene miserint ad eum oratores, rogantes, ut cum decreverint suscipere expeditionem in Saracenos, qua recuperaretur terra sancta, velit ipse suscipere munus ductandi exercitus Christiani, se namque eo esse animo, ut non dedignentur sequi piissimi Principis signa, seque velle cum omni modestia, sancta ipsius jussa capessere. Probavit Christianissimus Rex illorum consilium, atque annuit, responditque oratoribus: *Velle se obnixe efficere, quod principes, a quibus erant missi, efflagitabant: paret unusquisque illorum, quæcunque fuerint, tanto, tamque honesto bello necessaria. Se habere jam paratas expeditasque copias, & celerrime se comparaturum, quidquid aliud suo expediverit exercitui.* Illis ad suos principes remissis, cepit dare operam, ut, quæ essent usui bello gerendo, compararentur, sed Deo aliter placitum. Dum enim Ladislaus talia curat, in morbum incidit, quo correptus, sanctissime, ut vixerat, migraverit e vita, *anno ab ortu Jesu Christi, nonagesimo quinto supra millesimum*, tertio Calendas Augusti. Regno præfuit annis undeviginti.

INDEX XII.

De Colimano Rege, ejusque Crudelitate.

Huic Regi nulli, quod vitam egerit cœlibem, liberi fuere: at *Geysa* ejus frater, duos reliquerat filios, *Colimanum* & *Almum*; eos moriens, parvuli namque tum erant, Ladislai commiserat fidei. Ladislaus autem, cum ei mors immineret, quia Colimanus, ob nimiam corporis deformitatem, pravitatemque ingenii, nequaquam fuerat ei visus ad regnum idoneus: cohortatus est eos, quorum curæ res incumbebat, ut se mortuo, Almum, quam Colimanum, mallent regno præficere; secus si fecerint, hoc habeant, futuras esse complurium innoxiorum hominum cædes, inter consanguineos magna dissidia, capita-

Digitized by Google

liaque odia, ſacrilegia, aliaque permulta impietatis genera. Divino ſe afflatum ſpiritu, talia vaticinari. Ceterum, eo mortuo, Hungari, quiſque ſuâ ſecuti ſtudia, quæ vir ſanctus præmonuerat, prorſus neglexere. *Colimanus*, morte Regis accepta, ex Polonia, ubi tunc agebat, illico venit in Hungariam; coactoque paulo poſt ipſius adventum totius regni ſenatu, ubi ſatis eſt agitatum, uter fratrum eſſet regno præficiendus: Almus, cum eſſet vir miti ingenio, quod erat natu minor, Colimano ceſſit. Qui magna omnium lætitia Rex appellatus, regium, de more, diadema ſuſcepit. Ante vero omnia, Almum, & nomine & dignitate *Ducis* honoravit. Fuit quidem primum inter ipſos ſummus rerum omnium conſenſus; deinde vero, aſſentatorum malignitate effectum eſt, ut dum vixerunt, odiis inter ſe decertaverint implacabilibus. Sub eo Hungari, multa gravia, Deoque & mortalibus quam moleſtiſſima, perpeſſi ſunt: multa enim inique atque crudeliter geſſit. Nec evenit aliter, quam quod Beatus Ladislaus moriens, Deo, ut diximus, inſpirante, prænuntiaverat. Sed prætermiſſis ceteris, ea ſolum perſtringam ſcelera, quæ in fratrem nepotemque commiſit. Poſt longi temporis diſſidia, cum ad pacem jam veniſſent, cujus componendæ gratia, Romanorum Imperator e Germania venerat in Hungariam, eſſetque ea pax iurejurando firmata: cum primum Imperator domum regreſſus eſt, juſſit Rex eos capi, effoſſoſque utriuſque oculos illorum, ad ſe deferri. Huic crudelitati aliud adjecit ſcelus. Nepotis namque, hoc eſt filii Almi, qui tum erat infantulus, *Bela* nomine, juſſit abſcindi genitalia, ne ei in regnum ſuccederet, ad gignendos videlicet filios factus inhabilis. Ceterum ille, cujus curæ demandata res eſt, ſceleratæ juſſioni non paruit: dixit nihilominus Regi, executum ſe diligenter fuiſſe, quod juſſerat. At vero ille, abſcidit teſtes catuli, qui eum ſequebatur, quos Regi oſtendens: *En*, inquit, *teſtes*, *quos abſcindi tibi voluiſti.* Cui Colimanus habuit fidem. Eo enim ille Regis noluit obtemperare imperio, quod veritus eſt, ne ſi obtemperaſſet, regium poſtea genus omnino extingueretur. Ceterum Almi fratris, nec etiam vitæ Colimanus pepercit. Struxerat *Demeſienſe monaſterium*, quo, poſteaquam excœcatus ab illo fuit, ſe contulit, ut ibi vitam & ageret, & decreto a Deo tempore, finiret. Inter hæc Rex, incidit in mirum ac miſerabile morbi genus, quo cerebrum paulatim ejus fluebat ex auribus. Itaque intelligens, morti ſe eſſe propinquum, accerſito ad ſe filio, de quo paulo poſt fiet mihi mentio, ac aliis multis, quibus fidebat; jubet eis, ut dent operam, qua *Almus* interficiatur. Id imperium ſi exequi neglexerint, haudquaquam dubitandum, quin ſe mortuo, ille ſit in regnum ſucceſſurus. Nec mora, continuo mittitur, qui illum in Eccleſia monaſterii, cujus memini, ad

ſan-

Digitized by Google

ſanctæ Margarithæ altare, ad quod ſalutis cauſa confugerat; putaverat enim fore, ut ob ſacri loci reverentiam, ille facto abſtineret neſario, interimat. *Benedicto* erat illi nomen, qui tam grande admiſit ſcelus. At non impune quidem: namque cum loci ſacerdotes, fugientem illum inſequerentur; equo, quo vehebatur, delapſus, effracta cervice, repente extinctus eſt. Ejus autem corpus, canes, quos ſecum ipſe duxerat, protinus dilacerarunt, devoraveruntque. Rex quoque laborans ex morbo, quem dixi, diem impie, ut vixerat, obiit, *anno ab ortu Jeſu Chriſti, milleſimo centeſimo decimo tertio*, tertio nonas Februarii. Regnavit annos quinque & viginti, menſeſque ſex. Duas duxit uxores, ex earum una duos ſuſcepit filios, *Ladislaum* & *Stephanum*: quorum matre mortua, duxit alteram, natione Ruthenam, quam cum deprehendiſſet in adulterio, remiſit ad parentes. Fuit in rebus gerendis admodum prudens, & fortunatus plurimum. Subegit *Dalmatas*, Petro eorum Rege interemto: qui eam regionem, mortuo Beato Ladislao, ſibi occupaverat, ipſis Dalmatis non invitis. Mercede conduxit inſtructiſſimam a Venetis claſſem, quam miſit in *Apuliam*, per quam excurrentes Hungari magnam ejus partem, cæde & incendiis, multorumque generum præda, vaſtavere. Expugnaverunt ac diripuerunt *Monopolim*, & *Brunduſium*, quæ clare tum erant, ſuntque hodie, in ea regione urbes. Tenebantur ditione *Roberti Guiſcardi*, cujus viri fortia facta, ſupra explicanda ſunt, ubi viſus eſt aptus hortari locus. Ad ipſum ut primum rei perlata eſt fama, miſſis terra marique copiis, quas amiſerat urbes, recuperavit. Claſſem præterea juſſit proficiſci ad oras Dalmaticas, quæ facta per multa loca excurſione, non minora Robertus intulit hoſti, quam illa, quæ acceperat, detrimenta. Hactenus de Golimano; hinc, quiſnam illi ſucceſſerit, oſtendamus.

INDEX XIII.

De Stephano II. Rege, fulmen dicto.

Poſt eum *Stephanus* ejus filius, adhuc adoleſcentulus, regno præficitur. Fuit is homo ex eorum numero, qui nimium ſolent inflari ſui opinione. Ac propterea, ceteris mortalibus, omni virtutum genere, ſe ipſum putabat antecellere: quare prudentum virorum conſilia, nihili ſemper fecit. In omni autem vita ſua, niſi paulo ante quam moreretur, ut infra memorabo, nihil unquam egit, quod non eſſet vituperatione dignum. Jactator quidem egregius magna-

Digitized by Google

rum rerum; at factis, nullum unquam virtutis opus oſtendit. Si quid tamen tentavit aliquando, quod eſſet regia auctoritate dignum, ad extremum, nihil fuit gloriæ conſecutus. More latrocinantium, repentinas excurſiones fieri, abſque ulla vel juſta, vel honeſta cauſa, ſæpe juſſit; modo in Raſcianos, ac Bulgaros, modo in Græcas quaſdam nationes: ſed a Græcorum copiis, ejus exercitus, uſque ad ſumma rerum diſcrimina, profligatus eſt. Ea tamen non per ſe geſſit, ſed per præfectos. Cum autem inter ſcortorum greges aſſidue verſaretur, eamque ob rem, nihil de uxore ducenda cogitaret: adactus tandem crebris optimatum efflagitationibus, duxit filiam Roberti Guiſcardi, cujus mentionem paulo ante habui, qui per id temporis imperitabat ei parti Italiæ, quod Neapolitanum regnum poſtea appellatum eſt. Multa fecit iracunde, multa intemperanter & impie, multa crudeliter. Quas ob res, famam ſibi vendicavit violenti, formidoloſique hominis, & truculentiſſimi tyranni. A vulgo vero cognominabatur *fulmen*; propterea, quod non conſilio, ſed ſubito animi furore, cuncta faciebat. Ceterum, poſt magnam male actæ vitæ ſuæ partem; miro quodam, & Deo tantum cognito modo, reſipuit, patratorumque tot ſcelerum, pœnituit. Cumque ex uxore nullos ſuſcepiſſet filios, quorum aliquis regnum poſt ipſum teneret, eaque de cauſa angeretur vehementer: nonnulli e nobilitate, viri præſtantes, ei patefecerunt quiddam, quod ipſum perdiu latuerat; vivere videlicet *Belam*, Almi patrui ſui filium, cujus oculos olim erui juſſerat Colimanus. Poſtea enim quam effoſſi illi oculi fuerant, Deo hoc ſuo occulto humano generi conſilio diſponente, a probis quibuſdam piiſque viris, occultatum ſervatumque fuiſſe. *Deſine igitur te angore afflictare, o bone Rex, cum ſit tibi jam inventus ſucceſſor, qui non eſt a tuo genere alienus.* Id ubi reſcivit Rex, ſummo gaudio, incredibilique lætitia affectus eſt. Itaque ut primum animadvertit, moriendi ſibi tempus adeſſe: regno ſe abdicavit, acceptoque monachorum habitu, deceſſit. Sepultus eſt in Varadienſi Eccleſia, *anno ſalutis humanæ MCXX.* Regnavit annis duodeviginti.

INDEX XIV.

De Bela cæco, Geyſa II. Stephano III. Bela III. Emerico & Ladislao Regibus.

Bela igitur, conſenſu Senatus, Rex conſtituitur. Fuit is captus quidem corporis oculis, mentis vero lumine, quam acutiſſimus. Inimicorum nam-

Digitized by Google

namque, & vigilanter evitare fcivit infidias, & regni ſui rempublicam, prudenter adminiſtravit. Ejus uxor, matrona ſingulari prudentia, *Helena* dicta eſt; quam perhibent, neptem, ex ſorore fuiſſe Conſtantinopolitani Imperatoris. Quatuor ex illa filios ſuſcepit, *Geyſam*, *Ladislaum*, *Stephanum*, *Almum*. Hujus Regis probitatem admirati plerique, atque præcipui, Hungariæ proceres, ob rei indignitatem adducti ſunt; ut dum apud Albam, optimatum conventus ageretur, facto impetu, interfecerint illos, quorum conſiliis, Colimanus, ſui nepotis, hoc eſt Belæ, de cujus regno nunc ſcripſimus, eruerat oculos. Nefas quippe ducebant, videre cœcum, hominum pravitate, factum virum, qui ſuum regnum prudentiſſime ſanctiſſimeque moderaretur. Occiſorum poſtea villas, & cetera, quæcunque in vita illi poſſederant, Rex, una & univerſa in eo conventu congregata nobilitas, præcipuis per Hungariam conſtitutis Eccleſiis, diſtribuerunt. Ex eo itaque tempore, Hungariæ Eccleſiæ, opulentæ in hanc diem perſeveravere. Adverſus hunc *Borichus*, Colimani filius, natus ex pellice, auxiliis Ruthenorum ac Polonorum, profectus eſt ad Hungariæ fines: ut eo paterno regno ejecto, Hungaria ipſe poſtea potiretur. At Rex, divina fretus ope, adjutuſque a proceribus, quorum fideli opera, aliis multis in rebus antea fuerat uſus, illum vertit in fugam, profligavitque exercitum illorum, qui illi auxilium tulerant. Hungaros autem, qui illius faverant partibus, interfecit. Regnum tenuit annos ferme decem. Deceſſit chriſtianiſſime; ſepultus eſt Albæ, *anno ab Incarnato Dei filio, primo & quadrageſimo ſupra milleſimum & centeſimum.* Succeſſit ei *Geyſa* filius, fratrum ſuorum natu maximus. Fuit is vir Chriſtiana pietate inſignis. Adoleſcens adhuc, fudit Teutonum, ac Saxonum, Auſtrienſiumque, & Bavarorum copias, quæ Hungariam invaſerant. Albæ, mira cum religione, migravit e vita, *anno ab Incarnatione Salvatoris, centeſimo & ſexageſimo primo ſupra milleſimum;* regnavit annos viginti, menſes III. dies XV. Poſt eum regnum tenuit *Stephanus* filius, annos ferme duodecim; obiit abſque liberis, Albæ, *anno a Jeſu Chriſti ortu, ſeptuageſimo ſecundo ſupra milleſimum & centeſimum.* *Bela*, frater ejus, ſucceſſit. Hic regnum ſuum, latronibus & furibus, quorum ingens tum erat in tota Hungaria copia, intentiſſima cura purgavit. Diem obivit, *anno ſalutis centeſimo & nonageſimo ſupra milleſimum*, Calend. Maji. Corpus ejus Albæ jacet, ubi & mortuus eſt. Præfuit regno annos tres & viginti. Ei ſucceſſit *Emericus* filius, qui regnavit annos octo, menſes VII. dies VI. Mortem obiit Agriæ, *anno humanæ ſalutis MCC.* pridie Calendas Decembris. Poſt quem regno præfuit *Ladislaus*, ejus filius, ſex tantum menſibus.

Digitized by Google

INDEX XV.

De Andrea II. Bela IV. ejuſque filia B. Margaritha, & filio Stephano, Rege.

Regnum poſt eum tenuit *Andreas*, nominis hujus Rex *ſecundus*, Belæ, de cujus regno paulo ante memini, filius, annos triginta. Ad terram ſanctam hic, & voto, & juſſus a Pontifice maximo, profectus eſt. Gerebatur tunc a noſtris aliquot Principibus, bellum in Syria, adverſus Babyloniorum Sultanum. Voluit itaque Pontifex, ut is Princeps, cum abundaret divitiis, eſſetque rei bellicæ in primis peritus, Chriſtiano præeſſet exercitui. Paruit igitur ipſe, & quantum ſuppetivere facultates, rebus, quæ gerebantur, trium menſium ſpatio, & interfuit, & magna cum gloria præfuit. Nam non prius inde diſceſſit, quam commiſſa atrociſſima pugna, victor glorioſus evaderet. Ex *Getrulda* uxore, quæ fuit natione Germana, hos ſuſcepit liberos: *Belam*, *Colimanum*, *Andream*, *Eliſabetham*, fœminam vitæ ſanctitate inſignem, quam Romana Eccleſia, in Sanctorum numerum poſtea retulit. Exceſſit e vita, *anno ob ortu Incarnati filii Dei MCCXXXV.* Præfuit deinde regno *Bela*, ejus filius, Rex hujus nominis *quartus*, annos XXXV. Obiit *anno Domini noſtri Salvatoris MCCLXXV.* Nonis Maji; ſepultus eſt Strigonii, in Eccleſia fratrum minorum, quam ipſe condiderat, in honorem Beatæ Mariæ Virginis. Fuit is vir, miti quidem ingenio, magnoque animo, & vita integerrimus: ſed in rebus gerendis, parum fortunatus. Eo regnante, *Tartari* invaſerunt Hungariam, quam magna ex parte, incendiis ferroque vaſtaverunt. Comparavit quidem Rex ſuas copias, obviamque viriliter hoſti proceſſit: ſed cum ad rem gerendam ventum eſt, vincitur, cæſa ſuorum multitudine magna; quanquam non ſine ingenti ſuorum clade, Tartari ſunt aſſecuti victoriam. Ad quinque namque & triginta millia eorum, cecidiſſe feruntur eo prælio. Chriſtianus autem Rex, licet nihil prætermiſiſſet, quod eſſet officium Ducis fortiſſimi: animadvertens tamen ad extremum, victoriam eſſe Tartarorum, divinæ ſe diſpoſitioni commiſit, atque ita vi facta via, interque denſiſſimos hoſtes irrumpens, tandem, cum aliquot e ſuis legionibus, evaſit incolumis. Nec propterea tamen, ubi ſe in loca tuta recepit, animo dejectus eſt. Convertit enim ſuas omnes cogitationes, ad ea tuenda, quæ hoſtes nondum occupaverant; collocatis videlicet, ubi viſum eſt expediens, idoneis præſidiis. Non enim exigebat res, ut cogerentur ab eo copiæ, quibus cum Tartaris denuo dimicaretur; quip-

Digitized by Google

quippe qui prudenter animadvertebat, illos armis, viribus, numeroque ac robore militum longe esse superiores. Commisit autem se, remque suam, absque ulla intermissione, Deo ac Beatæ Mariæ, cujus tutelæ Beatus Stephanus Rex, Hungariæ regnum olim commiserat. Triennium Tartari consumserunt, modoque huc, ac modo illuc excurrentes, tantisper in Hungaria commorati sunt, dum nihil pene ulterius diripiendum eis relictum est. Ita inæstimabilibus onusti spoliis, abierunt. Cum autem ipsa regio, relicta sit ab illis magna ex parte deserta: posteaquam Hungari, qui a tanta fugerant calamitate, domum redierre, miserabili fame afflicti sunt. Id enim consequi necesse fuit; propterea, quod hostili ubique sæviente rabie, coli agri non potuere. Nec mirum cuiquam sit, Tartarorum ingentem multitudinem, adeo facile populari Hungariam potuisse. Undique enim fere potest ea regio, hostium patere excursionibus; paucas namque, validas atque munitas habet urbes: at vero antiquitus nullas habebat. Ejus rei locuples testis est *Appianus Alexandrinus*, in opere ac libro, quorum supra meminimus, quum de Pannoniæ nomine loqueremur. Is quippe de suorum temporum Pannonibus locutus: *Nullas*, inquit, *habent urbes; agros duntaxat, & villas possident: neque judicia illis communia sunt, neque Principes, qui præsunt ceteris. Ipsi centum millia virorum habent, ætate ad bellum gerendum integra: ceterum, imperio unius carentes, in unum eos minime congregant.* Huc usque Appianus. Ceterum dubitandum non est, quin lacessiti bellis, aliquo eorum Duce congregati aliquando fuissent, hostique in eos venienti, totis occurrissent conatibus. Quod arbitramur illos feciſſe, quum Romani Pannoniam subegere. Non enim Tiberius, jus meruisset triumphandi de Pannonibus; nisi prostrasset tot millia ex illis, quot millia prostravisse eos oportebat, quos Romani, cum triumphi pompa urbem intrantes, excipiebant. Si quas autem munitas urbes, hodie Pannones habent; eas, post occupatam eorum regionem ab Hunnis & Hungaris, condidere. Et nisi terrori esset finitimis nomen Hungarorum; quæ natio admodum est audens, & armis potens: sæpe eos a multis partibus, hostes invaderent. Redeo ad Belam. Gessit & bellum adversus *Bohemos*, ab illis lacessitus. Sed licet suos diligenter exciverit ad arma, quibus illis fortiter obsisteretur, collatisque signis, prælii fortunam, magno tentasset animo: Deo tamen, aliquo suo justo quidem, sed nobis occulto permittente consilio, superatus est. Hungarorum ad tria millia capta, cæsa ad duo millia & septingenti: Bohemorum quinque millia & ducenti interfecti. Rex vero, cum esset serum diei, adjutus a suis, facile servatus est, in sua se castra recipiens. Sed cum cogitaret de instaurando bello, daretque operam, ut aliæ

le-

Digitized by Google

legiones cogerentur: Bohemi timentes, ne mutaretur belli fortuna, contenti ea victoria, domum regressi sunt. Hujus filia fuit, Beata illa Christo Virgo, *Margaritha:* cujus sanctitatis nomen, apud Ordinis Prædicatorum fratres, magna ubique veneratione celebratur. De qua non pigebit, hoc enim hortatur hic locus, quædam mentione digna referre. Bello illo, quo modo dictum est, a Tartaris infestatam vastatamque fuisse Hungariam; gravida erat Regis uxor, quæ & ipsa fuit miti ingenio, & non minus suo viro, multis, quæ decuerant Reginam Christianam virtutibus, inclyta. Dum igitur Tartari, barbarica ubique grassantur sævitia: Deo pollicetur uterque conjux, nascituram prolem, divino se dicaturos servitio, si detur divinitus, ut barbara Deoque inimica gens, ipsis incolumibus, ex Hungaria abeat. Exauditæ sunt piorum principum preces. Haud enim multa post, barbari, relicta Hungaria, eo unde venerant, rediere. Post quorum abitum, edicta ex Regina infantula, Margaritha nominata est; regali postea cultu, in regia nutritur. At vero ubi complevit tertium ætatis annum, visa est ea esse indole, qua Dei potius esset mancipanda famulatui, quam deliciis addicanda secularibus. Est in oppido, cui nomen est *Vesprimium*, monasterium, fama bene beateque viventium præclarum: in quo per id tempus erat multitudo fœminarum Virginum, Deo caste sancteque servientium, sub regula & institutis, atque habitu Fratrum Prædicatorum. Is locus est visus præcipue idoneus, ubi regia puella, Jesu Christi sacris initiaretur. Ejus itaque parentes, Deo factæ promissionis non immemores, eam illuc, honesto comitatu perductam, religioni Beati Dominici devoverunt. Suscepto deinde, in tam tenera ætate, Virginum habitu, adhibita ei fuit quædam ex illarum contubernio, quæ circa omnes, se ipsam bonorum operum præbebat exemplum. Ab ea voluit monasterii Antistes, quam vocitant Priorissam, educari puellam; ita, ut ab ipsa disceret spiritualia cantica, & cetera, quibus Deo constitutis horis, ac temporibus psalleret, ut dignis Deo dicatæ Virgini moribus, informaretur. Helenæ illi nomen fuit. Quæ adeo sancte omnem suam egit vitam, ut dum viveret, non solum multis claruerit miraculis; sed moriens etiam, ac post mortem, ut in hanc etiam diem, sanctitatis ostendere signa nequaquam desierit: unde & a Vesprimiensibus, hodie quoque, *Beata Helena* nuncupatur. Tali itaque sancta puella usa magistra, vitæ illius integritatem imitari, quantum pueriles pati poterant anni, adnitebatur, matrem illam appellabat. Quidquid autem ei ab illa faciendum constituebatur, sive jejunandum, sive per noctem vigilandum, orandumque Deum, sive dandam operam vili alicui servitio, ut sit in Virginum monasteriis; absque

ulla

Digitized by Google

ulla mora, exequi humiliter, & alacriter, obedienterque ſtudebat. Quintum agens annum, oblatum ei ab educatrice cinctorium cilicinum non horruit; ſed haud cunctanter, lumbos tenerrimos ſuos, ad nudam carnem præcinxit. Fecit id prudens magiſtra, non quod ipſam non miſereret imbecillis ætatis ac ſexus: ſed ut ſancta puella inciperet aſſuefieri, uti rebus, quibus traduntur permulti Dei utriuſque ſexus ſervi, ſuam carnem, contra pernicioſas concupiſcentias domuiſſe. Voluit igitur, ut eo cinctorii genere, non continuatis uteretur diebus; ſed quoties ei utendum illo videretur. Creſcente poſtea ætate, a Deo & ipſa, proficiebat de virtute in virtutem: ut non modo Virgines contubernales, ſancta ejus opera mirarentur; ſed fama etiam ſanctitatis ejus, per omnem Hungariam longe lateque diffunderetur. Inter hæc, cum parentes ejus, non mediocri afficerentur gaudio ac lætitia; animadvertentes videlicet, ſe obtuliſſe hoſtiam laudis, reddendo altiſſimo quod voverant, votum autem illi fuiſſe acceptiſſimum: decreverunt condere domum, quam eorum filia, dum viveret, inhabitaret. In quadam itaque inſula, quæ mille ferme paſſibus abeſt ab urbe Buda, erigunt ædem, in Beatæ Mariæ Dei Genitricis honorem: conjunctumque illi conſtituunt cœnobium, ubi cum aliquot aliis Deo dicatis Virginibus, vitam ageret, uti ceperat, cœlibem. Abſoluto igitur opere, acceſſunt in Hungariam *Umbertum*, Theologum doctiſſimum, ac religione præſtantem virum, qui per illud tempus erat Generalis Ordinis Prædicatorum Magiſter. Huic Rex & Regina, a ſe conſtitutum tradunt monaſterium, petuntque, ut ab illo eorum filia, a Veſprimienſi, ad hoc in inſula, quam dixi, ſtructum cœnobium, transferretur; adhiberenturque ei, ex omni numero, ſelectæ, quot viderentur eſſe neceſſariæ, atque utiles Virgines: cum quibus Deo Beatæque Mariæ, in S. Dominici religione, famularetur. A templo autem, in honorem Beatæ Virginis condito, indidit Rex loco nomen, ut diceretur *inſula Sanctæ Mariæ*, quæ antea vetuſto vocabulo, *inſula leporum* cognominabatur: quanquam eam hodie vulgus, *Beatæ Margarithæ* inſulam vocitat. *Umbertum*, ut talem, tantumque depoſitum theſaurum, diligenter fideliterque ſervaret, illi monaſterio præfecerunt Antiſtitem; qui regiam, ſanctamque puellam, ac ceteras Chriſto dicatas Virgines, regeret: ita, ut illæ non quæ ſunt mortalis hujus vitæ, ſed quæ eſſent cœleſtia, ac futura Beatis parata bona, aſſidue, & quantum pateretur humana imbecillitas, meditarentur. Quod & illæ mirum in modum exequi ſtuduerunt. Et quanquam inter ſe, bene ſancteque vivendo, plurimum certarent, quænam ex ipſis eſſet, quæ Deo ſerviret ferventius: comperit tandem prudens earum Antiſtes, *Beatam Margaritham*, in cunctis, quæ

Digitized by Google

essent puritatis, sanctitatisque, atque integritatis vitæ, ceteris antecellere. In Hungaria vero, tantus vir, rogante suadenteque Rege, tamdiu demoratus est, donec sancta puella pervenit ad duodecimum annum ætatis, quo idonea esset, ut decreto sanctorum Romanæ Ecclesiæ patrum, de more profiteretur religionem, in qua fuisse eam a tenerrimis initiatam annis, ante ostendimus. Ibi cepit se omni studio exercere in iis, per quæ posset ad consummatæ virtutis cumulum pervenire. Nihil cogitabat, nihilque vel dicebat, vel faciebat, nisi quod esset charitas, & christianæ perfectionis. Erat paucis contenta verbis, ideoque laudabilem taciturnitatem mire amabat: subridere quidem aliquando, sed in cachinnum nunquam laxari, visa est. Laudari se, permoleste patiebatur; jactantiæ vel minimum verbum, ex ejus ore nemo unquam audivit. In oratione adeo fervens erat, & assidua, ut non solum diei, sed maximam quoque noctis partem, vigilando, Deoque supplicando, transigeret. Orabat plurimum, ante Domini nostri Jesu Christi crucifixi imaginem; perfectaque oratione, quinque plagarum loca, profusis lachrymis osculabatur. Cum per noctem oraret, a Virginibus, quæ sanctam ejus vitam admirabantur, frequenter audita est, in multa ex imo pectore tracta suspiria, & quasi extra se esset posita, in voces divina quædam sonantes, erumpere. Contenta erat esci, & potu, qui pro ceteris Virginibus parabantur. Post corporis refectionem, operabatur manibus, ne vitam ageret otiosam. Ea vero laborabat præcipue, quæ essent vel ad altarium, vel ad reliquiarum sanctarum ornatum. Ferebat, perquam moleste, si quando ipsam oporteret, aut cepta opera, aut solitas orationes interrumpere, propter vel parentum, vel cognatorum adventum; qui visendæ ejus gratia, ad monasterium se aliquando conferebant. Jejunia, & quæcunque alia juxta regulam, & sancta religionis, quam profitebatur, instituta, ei proposita fuerant, per omnem vitam ita servavit ad unguem, ut ob laborem, adversam nonnunquam contraxerit valetudinem. In Paraseeve, nihil omnino cibi potusque capiebat, neminemque alloquebatur; sed totum illum diem, passionem Salvatoris generis humani meditando, consumebat, gemebatque non sine magna effusione lachrymarum. In vigiliis solemnitatum Beatæ Mariæ Virginis, pane tantum, cum aquæ potu vescebatur. Verbi Dei prædicatores, & avide, & mira audiebat attentione. Vacabat plurimum lectioni operis Joannis Cassiani, quod inscribitur collationes patrum: legebat & assidue vitas sanctorum, & ea, quæ traduntur de miraculis Beatæ Mariæ Virginis. Ipsi autem Beatæ Virgini, mira & incredibili veneratione, ita se ab ineunte ætate devovit; ut quoties, sanctum ejus nomen, vel ipsa proferret,

Digitized by Google

ret, vel ab aliis proferri audiret, caput in profundum reverentiſſime flecteret. Nec alio ipſam inter loquendum appellabat nomine, quam beatam ſpem mundi, vel matrem Dei. Imaginem autem, cum illius, tum Salvatoris, nunquam, niſi flexis genibus, præteribat: decem & octo annos, corporis abſtinuit lavacro. Permittebat quidem ſibi lavari pedes aliquando; ceteram autem ſupra ipſos carnem, a ſua pudicitia ſemper duxit alienum. Virtute humilitatis adeo enituit, ut ab adoleſcentia gaviſa ſit, occurpari ſe ſemper vilioribus exercitiis. Nam quo magis generis nobilitate, ſanctitateque vitæ præſtabat ceteris; eo magis ſtudebat, illas humilitatis operibus vincere. Hanc ſibi ſaluberrimam regulam, ad ſui conſervandam integritatem, in memoria habere ſibi propoſuit, quam a ſancto quodam ordinis ſui patre didicit: *Deum ante omnia, & præ cunctis rebus; poſt eum proximum diligere; ſe ipſam deſpicere, contemnere, ac judicare neminem.* Quæ adeo diligenter, obnixeque ſervavit, ut talium virtutum operibus, ſummam bene chriſtianeque vivendi ſit adepta perfectionem. In oculis hominum, erant quidem ei veſtes, nec nimium viles & abjectæ, nec nimium pretioſæ: ſub ipſis autem utebatur plerumque cilicio, quod partim laneis filis, partim equinis crinibus, ſibi ipſa texuerat. Illud tamen ſervavit per annos ante ſuum obitum ſex, quod a die prima quadrageſimæ, ad ſabbathum uſque ſanctum, cilicinam ad carnem veſtem nunquam omiſit. Legebat quam ſæpiſſime vitas majorum ſuorum, non plane ſingulorum, ſed illorum, quorum fuerat vita chriſtiana pietate inſignis. Qualis fuit vita Beati Stephani, Beati filii ſui Emerici, Beati Ladislai, Beatæ Eliſabethæ, Andreæ II. Hungarorum Regis, avi ſui filiæ; quorum omnium ſupra ſuis in locis mentionem habuimus. Secum igitur Beata Margaritha, horum ſanctorum vitam & merita, corde volutabat, gaudebatque, & maxime lætabatur, tales ſe habuiſſe gentiles, quos ſancte vivendo poſſet imitari. Admiranſque virtutum opera, quibus unuſquiſque eorum Deo fuerat acceptiſſimus, ſe ipſa hortabatur & optabat, ut quemadmodum illi, ita & ipſa, Deo pie ſancteque famularetur, illorumque, ad id a Deo impetrandum, efflagitabat auxilia. Aegrotantibus contubernalibus, animi ſedulitate, & intentiſſima cura ſerviebat. Faciebat autem id adeo humiliter, ut viliſſima quæque in ipſas officia, ſuis manibus faceret: licet ipſa nonnunquam, propter crebra jejunia, aſſiduaſque vigilias, ac cetera ad domandam carnem a ſe excogitata virtutum opera, imbecillibus eſſet imbecillior, ſæpeque dicebat, ſe in eis pietatis exercitiis adniti, ut S. Eliſabetham, parentis ſui ſororem, de qua ſupra eſt facta mentio, imitaretur. E feneſtra illa chori, e qua ſolent ſacræ Deo dicatæ Virgi-

Digitized by Google

nes, conſpicere Euchariſtiæ Sacramentum; quoties conſpicabatur pauperes mendicos, claudoſque & cœcos, atque alios ex aliis morborum generibus laborantes, vehementer ingemebat, & ubertim lachrymabatur. Quærentibus autem aliquando ex ea ſororibus, quænam eſſet cauſa lachrymarum? his reſpondebat verbis: *Miſeret me egenorum, quos video, & vehementi afficior dolore, quod opem illis ferre non poſſum; ceterum ago, habeboque dum vivam, conditori meo gratias, quod abſque ullo membri corporis mei defectu, me & fecit, & in hunc diem, pro ſua benignitate ſervavit. Quo fit, ut multo magis, quam hi, quos cernimus, ſim ego ſuæ in me charitati obnoxia.* Quidquid pecuniarum, ceterarumque rerum, quæ eſſent uſui vitæ neceſſariæ, ei mittebantur a parentibus & cognatis, ſui ordinis Priori Provinciali tradebat, ut ea Chriſti pauperibus, in eleemoſynas, prout cuique opus eſſet, diſtribueret. Suadentibus ei perſæpe nonnullis, e monaſterii virginibus, ut omiſſo nimio domandæ carnis rigore, ſecum ageret mitius; ne non tam Deo ſervire, quam ſeſe tradere morti videretur, quippe quæ vivendo diutius, multo plus meriti apud Deum ſibi compararet: his reſpondere ſolebat verbis: *Quicunque ſe ſperant victuros in hac lachrymarum valle diutius, illi ſibi bona facienda opera, ſervent in futuros dies, ego ex numero malo eſſe eorum, quæ neſcio, quanto tempore ſim in hac mortali vita manſura. Illud autem noſſe nos omnes oportet, vanum eſſe nobis claudi monaſterii ſeptis; & moribundi corporis quietem, ac ſeculi hujus affectare delicias. Sunt enim monaſteriorum clauſtra, habitacula eorum, qui non præſentia hæc bona, quæ fluxa ſunt, & labilia: ſed ſempiterna amant, deſiderant, contemplantur.* Quibus ab ea dictis, audientes erubeſcebant, & ejus exemplo, ad ſerviendum Deo ferventius incitabantur. Parentem ſuum, ac ſrattes & cognatos, quoties ad eam viſendam ſe conferebant, ad hoc potiſſimum cohortari ſolebat: ut regnum legitime, non per Tyrannidem adminiſtrarent, nec paterentur, ut voluntati militum, quorum animus prædæ plurimum inhiat, exponeretur. Orabat præterea illos, ut, ſi quid apud ipſos valerent ejus preces, curarent ante omnia, colere juſtitiam, cujus virtutis munus, maxime Deo placeret. Nec minus precabatur, ut nulla eos caperet oblivio pauperum, orphanorum, viduarum, & quorumcunque egenorum. Habita autem ratione ſanctæ ejus vitæ, in cunctis pene, quæ petiit, ei parentes, non contracta fronte annuerunt. Hujus Virginis ſanctitati, malignus invidens ſpiritus, ſuggeſſit *Georgio* Bohemorum Regi, ut una cum Rege ac Regina Hungariæ, ſe conferret ad inſulam ſanctæ Mariæ, ubi ſitum ſupra oſtendimus fuiſſe monaſterium, in quo eorum filiam Dei ſervitio devoverant. Cupiebat enim ille magnopere videre Virginem, de cujus ſanctitate,

multa

multa mira circumferebantur. At vero, ut primum Bohemus ipſam intuitus eſt; ob eximiam formam, qua Virgo erat inſignis, amore ejus capitur. Petit igitur, eam ſibi matrimonio jungi, dicitque, nihil ſe dotis a parentibus habere velle; ſed regnum ſuum, & quidquid ei eſſet, Virgini ſe dono daturum: modo efficiant ejus parentes, ut quod petit, aſſequatur. Reſpondit pater, fieri non facile poſſe, quod petitur; propterea, quod a tenerrimis annis, Virgo eſſet divino mancipata ſervitio, adeoque eſſet in ſancto confirmata propoſito, ut putet ſuam filiam malle mori, quam ullis parentum vel ſuaſionibus, vel conſiliis, aquieſcere. Ceterum, poſt multa ultro citroque dicta, quibus Bela Rex conſiderans, quantum boni ex eo conjugio poſſet ei evenire, filiam adit. Adiens quoque mater rem illi proponit, redditque cauſam, qua ipſam aſſentiri parenti oporteret: ſe præterea daturum operam, ut mittat ad Romanum Pontificem, cujus poteſtate, poſſit illa talis matrimonii gratia, ſine ulla Dei offenſione, ad ſeculi tranſire delicias, Deoque adoptionis filios gignere. Cui illa: *Pater*, inquit, *deſine, rogo, carnalia mihi conjugia proponere. Tu namque a primis meæ ætatis annis, me Jeſu Chriſto deſponſaſti. Nunc autem Deo factæ promiſſionis oblitus, ita mutaſti ſententiam, ut horteris me, abdicato cœleſti ſponſo, violataque mentis & corporis puritate, nubam homini peccatori? Religionem quam profeſſa ſum, nunquam deſeram: corporis mentiſque munditiam, quam Regum Regi dedicavi, nunquam maculabo. Memoria teneo, cum tu, agentem ſeptimum ætatis annum, Polonorum Regi ſponſam me deſtinare tentaſti: credo equidem te meminiſſe, quid tunc tibi reſponderim. Dixi enim illi, me, dum vivam, velle ſervire, cui me ſponſam ab ineunte ætate devoviſti. Quod ſi tuæ voluntati, quæ adverſabatur juſtitiæ, nequaquam geſſi morem: aſſentiamne tibi nunc, cum ætate ſim grandior, atque ideo ſim facta cum prudentior, tum præcipue gratiæ divinæ capacior? Deſine igitur, Pater, me a propoſito religionis avertere. Nam regno, & opibus, ac ceteris, quæ pollicetur Bohemus, cœleſte regnum, Chriſtique omnis ſuavitatis delicias antepono: Malo igitur mori, quam tuis mortiferis parere conſiliis.* Talia dicenti Virgini, cum ille dixiſſet parentem ſe eſſe, atque idcirco divino præcepto, ſibi a filia oportere obtemperari: his verbis, & patri, & matri quæ aderat, reſpondit: *Quoties mihi jusſeritis, quæ Deo placent; vobis, ut meis parentibus, ac Dominis obediam: ſin juſſeritis, quidpiam a me fieri, quod divinæ adverſetur juſſioni: neque parentes neque dominos meos, vos nec unquam fuiſſe, nec eſſe cognoſcam.* Ita illi conſtantiam filiæ animadvertentes, ab incepto deſtiterunt: Virgo autem Chriſti, reliquum vitæ tempus, omni cum ſanctitate conſumſit. Aliquot poſt annis, incidens in gravem corporis morbum, accerſitis ad ſe ſororibus, quæ erant

Digitized by Google

ceteris natu grandiores: prædixit illis diem & horam, qua esset vita excessura. Susceptis deinde Christianis de more Sacramentis; momento, quod illa pronunciaverat, pie extincta est, anno ætatis suæ octavo & vicesimo, XV. Calendas Februarii, quo die celebrare solet Romana Ecclesia, Beatæ Priscæ Virginis & martyris solennitatem, *anno ab Ortu Salvatoris LXXXI. supra milleſimum & ducenteſimum.* Verba ejus noviſſima hæc fuerunt: *Domine mi Jeſu Chriſte, in manus tuas commendo ſpiritum meum*: qua corpore egressa, ex illius facie claritas quædam admirabilis, quam omnes Virgines, quæ aderant manifeste viderunt, effulsit. Atque ita visa est fuisse a dolore mortis extranea, sicut a corruptione carnis extiterat aliena. Ipso autem momento, quo migravit e vita, ostensus est divinitus transitus e corpore, mulieri cuidam Deo acceptæ, cujus mansio distabat a monasterio centum ferme millibus passuum. Visionem vero suam, viro illa patefecit: *Scias*, inquiens, *hac nocte Beatam Margaritham, Regis noſtri filiam, diem ſuum obiiſſe; vidi equidem ipſam, glorioſa amictam ſtola, transferri ab Angelis in cœlum.* Ille cupiens scire, verumne esset, quod ei nuntiaverat uxor, ad insulam profectus est, & Christi Virginem eo tempore, quod uxor ei dixerat, fuisse defunctam, invenit. Conjugis autem suæ visionem, Fratribus Ordinis Prædicatorum, qui in insula tunc erant, narravit. Ostensa quoque est felix ejus ad alteram vitam migratio, religiosæ cuidam mulieri, quæ in eadem insula, circa *Sancti Michaelis monaſterium* degens, agensque suorum peccatorum pœnitentiam, se jejuniis, & orationibus, aliisque multis bonorum operum generibus, afflictabat. Nec perpaucis ante mortem Beatæ Margaritæ diebus, vidit in somnis, sanctam Dei Genitricem, stipante eam magna Virginum caterva, e cœlo descendentem, introeuntemque locum, ubi illa ægrotans jacebat. Tenere autem suis manibus videbatur coronam miro candore corruscam, mireque variis gemmis ac margaritis ornatam. Ut autem introgressa est, eam coronam capiti ejus imposuit, erectamque illam, inter Virgines, magna cum omnium lætitia coronavit. Mox loco illo egredi visa est, atque in cœlum, unde venerat, per gradus quosdam, cum ingenti comitantium eam Virginum applausu, conscendere. Eam visionem illa, ad monasterium se conferens, jurejurando vulgavit. Qua ex re judicatum est ab omnibus, qui vulgari visionem audiverunt, Beatam Christi sponsam Margaritam, haud multo post morituram, & pro meritis ejus, inter felices animas collocandam. Claruit & vivens, & post pium ipsius obitum, in hanc usque diem, multis variis miraculis, quibus ipsam innocenter, & religiose sancteque vixisse manifeste demonstratum est. Ea miracula fide dignissima, non existimavi,

mavi, ut hoc loco a me commemorarentur: cum satis intelligam, me, præter meum institutum, nimium excessisse a narratione rerum, quas perstringere decreveram.

Post Belam, regnum tenuit *Stephanus* ejus filius, annos duos. Decessit *anno Jesu Christi MCCLXXIV.*, fuit in armis plurimum fortunatus. Bella gessit adversus Bohemos, qui superiore victoria facti insolentiores, Hungaros ad arma multifariam provocabant. Sed ipse cohortatis suis, ut rem strenue gerendo, illatas ulciscerentur injurias prælium commisit, haud procul a fluvio, quem appellant *Rapczam*, quo eos cum Othocaro eorum Rege superavit. Erat illorum exercitus ex variis compositus gentibus; omnes nihilo minus, primo pene impetu, Hungari fugaverunt. Multi ex illis capti, interfecti supra decem millia.

INDEX XVI.

De Ladislao Rege a Comanis cæso.

Ei successit *Ladislaus* filius, regnavitque annos XVI fudit & is *Bohemorum* copias, *Othocaro* eorum Rege in Moravia cæso. Fudit & exercitum *Comanorum*, qui duce *Oldamuro* invasit Hungariam, ut eam illius ditioni subigerent. Sub hoc Rege, Tartari, infestis armis, denuo Hungariam ingressi sunt, qui omnia pene, longe lateque usque ad Pestum, direptionibus atque incendiis absumserunt. Anno deinde ab eorum ingressu secundo, non sine maxima præda excessere. Duxerat hic Rex uxorem, filiam Caroli secundi Siciliæ Regis, ex qua plures suscepit filios. Sed ipse, uxore liberisque despectis, cum Comanis mulieribus, licet essent a Christiana Religione alienæ, omnem suam vitam, libidinose vivendo, consumsit. Quin ea de causa, regni sui curas omnes pene prætermisit; ita ut non modo sui, omnisque regni decoris, sed suæ quoque religionis penitus oblitus esse videretur: quæ res causam præbuit suis popularibus, ut ipsum non mediocri odio prosequerentur. Percrebuit tanti flagitii rumor, apud Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Senatum, nec non apud plerosque seculares Catholicos Principes, qui infamem ejus vitam, uti par erat, abominabantur. Itaque missus est unus e numero Cardinalium, ab Apostolica sede legatus, qui re cognita, si Rex perseverare vellet in scelere, in ipsum sententiam ferret anathematis, privationisque regni judicio ipsum condemna-

demnaret. Quod a legato, poſt inquiſitionem quam diligentiſſimam, effectum eſt; idque fieri, petiere cuncti regni viri primarii: quandoquidem ſceleratus Rex, maluit noxiæ indulgere libidini, quam & abſtinere flagitio, & maximo parere Pontifici. Ceterum, ultor ſcelerum Deus, non eſt paſſus, ut impius homo, ea execranda facinora impune perpetraret diutius. Haud enim multo poſt, quam legatus rediit ad urbem Romam, a Comanis, quibus maxime fidebat, ob morum aſperitatem, necatus eſt, *anno ab Incarnato Filio Dei MCCXC.*

INDEX XVII.

De Andrea III. Rege, & de Diſcordiis poſt ejus mortem in regno ortis.

Regnavit poſt eum *Andreas*, ejus nepos, annos XI. Quiſnam autem is fuerit, paucis memorandum eſt. Andreas hujus nominis ſecundus; de quo ſupra ſuo loco meminimus, reverſus a terra ſancta, duxit uxorem, filiam Marchionis Eſtenſis, Itali, ex qua genuit filium, cui *Stephano* nomen fuit. Is cum fuerat natus, mortuo namque viro, uxor jam facta gravida, quod Hungariæ magnatibus patefecit, ad patriam regreſſa eſt, & ibidem apud maternum avum, ubi adolevit, duxit uxorem cujuſdam civis Veneti filiam, cujus magnæ tunc erant opes. Ex illa igitur Stephanus ſuſcepit filium, *Andream* nomine, de cujus regno nunc loquimur. Is igitur, ſuperſtite adhuc Ladislao, de quo Rege paulo ante habita fuit mentio, adjutus avi ſocerique opibus, perrexit in Hungariam, propterea, quod cum haberet *Ducis appellationem, quæ dignitas eſt Regi proxima*, ſperabat ſe adepturum in regno dominatum, quem adepti antea fuerant, quicunque fungi ejuſmodi Ducis dignitate conſueverant. Inter hæc Ladislaus a Comanis occiditur. Accepto igitur necis nuntio, Hungari, quos non latebat, quali genere eſſet Andreas exortus, ipſum electum appellatumque Regem, coronaverunt. Auſtriam hic in poteſtatem redegit. Obiit Budæ, *anno ſalutis humanæ MCCCI.* ſepultus eſt apud Fratres minores, in æde Beati Joannis Evangeliſtæ. Sub eo Hungarorum primores, in duas diſceſſere factiones. Earum una, Rege adhuc vivente, impetravit a Bonifacio, hujus nominis octavo Romano Pontifice, mitti puerum quendam, undecim natum annis, qui Hungariæ regno, Andrea abdicato, præficeretur. Pro rei autem hujus notitia hoc paulo altius repetendum eſt. *Maria*, Stephani Hungariæ hujus nominis V. Regis filia, nupſit *Carolo*, hujus nominis primo, Regi Siciliæ. Ex illa natus

Digitized by Google

tus est ei filius, cui *Carolo* quoque fuit nomen, qui & Patre extincto, regnum Siciliæ tenuit. Is ex *Clementia*, Rodolphi Imperatoris filia, genuit *Carolobertum*, quem Hungari postea *Carolum* nominaverunt. Hunc ita Pontifex maximus, adductus precibus, ac rationibus alterius Hungarorum factionis, quæ sunt vitæ justissimæ, potius quam Andream regno præfaciendum censuit. Ejus rei gratia, legatus Apostolicæ sedis, missus quidem est in Hungariam; sed re infecta, eo, unde venerat, rediit. Tantæ namque tunc erant Andreæ opes, ut neque legati potestas, neque arma adversariorum, facile ipsum Hungaria pepulissent. Qui adversæ erant factionis, Andrea mortuo, *Venceslaum* Bohemorum Regem adiere, cohortatique illum sunt, ut peteret Hungariam, sibique regnum, quod jure suum esset, acciperet. Juris autem hanc causam attulere: *Audi*, inquiunt, *Rex inclyte, quam tibi reddimus causam, quod ad te pertinere Hungariæ regnum arbitramur, ut non inani prorsus persuasos consilio, ad te nos veniſſe intelligas. Othocarus Bohemorum olim Rex, quem Ladislaus quartus Rex noster interemit, ex uxore, cujus fuerat Bela pater, Rex & ipse olim noster. Hujus nominis quartus, genuit te; qui patre tuo mortuo, Bohemiæ regnum nunc tenes. Non igitur injuria, sed jure optimo, Regem nostrum postulatum te venimus. Bono animo esto. Nam etsi adversarii nostri, curant Carolum sibi constituere Regem, auxilio potestateque Pontificis maximi, nos & ceteri, qui nostris favent partibus, eis obnixe repugnabimus. Nunquam tibi deerimus. Tibi semper consilio, opera, armis erimus auxilio. Celeritate tibi opus est, da operam, ut quamprimum te comittas itineri, ne opes adversariorum, dum tu diem de die trahis, nimium augeantur. Venceslaus*, cum esset senio confectus, quod illi proposuerant, admittere noluit; quanquam post multa ultro citroque dicta, pauciſſima hæc tandem adjecit: *Si quid*, inquiens, *juris succedendi in regnum Hungariæ mihi est, id totum Uladislao filio meo trado. Curate vos persuadere juveni, ut traditum ei jus, per ignaviam non amittat.* Id Hungari audientes, nihil morati, juvenem adeunt, facilique persuasum, ducunt, quocunque volunt. Cum igitur Albam cum illo perveniſſent, Regem eum appellaverunt, coronaveruntque; ac non *Uladislaum*, sed *V* litera detracta, *Ladislaum* ipsum vocari maluere. Ita Hungarorum discordia effectum est, ut uno eodemque tempore, duos haberet Hungaria Reges. Habuit & tertium. Namque alii quidam regni optimates, *Othonem* Bavariæ Ducem, introductum in Hungariam, perductumque Albam, Regem quoque appellatum, coronaverunt: a Ladislao ablato diademate illo, quo legitimi Hungarorum Reges coronari consueverunt. Sed a Ladislao Vayvoda, non multo post captus, in carcerem conjectus est. Fuit tamen deinde libertate ab illo donatus; ea adjecta lege, ut Hungaria illico ex-

Digitized by Google

cederet. Sunt nihilominus qui affirment, effugiſſe illum e carcere, coronamque ſecum aſportaſſe. Cumque ille, cui cuſtodienda portandaque fuerat tradita, illam amiſiſſet: reperta eſt a viatoribus per viam, ubi ceciderat, iter facientibus, qui Vayvodæ ipſam reſtituerunt. Redeo ad Carolum.

INDEX XVIII.

De Carolo I. Rege, Regnoque per illum auctо.

Poſt hæc miſſus *Gentilis*, Sacroſanctæ Romanæ Eccléſiæ presbyter Cardinalis, ab Apoſtolica ſede legatus, ita perſuaſit Hungaris, ut depoſitis odiis, ſublatisque ſimultatibus, abſque ulla reluctatione, *Carolum* Regem ſuſciperent. Acto itaque *Albæ* omnium optimatum conventu, ſumma cum omnium lætitia, regni coronam accepit. Magna cum laude regnum hic ſuum tenuit, annos duos & quadraginta. Tres duxit uxores, *Mariam* natione Polonam, Cazimerii Ducis filiam Regis Romanorum; *Eliſabetham*, filiam Ladislai Regis Poloniæ. Illæ, abſque ulla ſobolis ſuſceptione, deceſſerunt; ex hac vero, ſuſcepit filios quatuor, *Carolum*, *Ladislaum*, *Loym*, qui & *Ludovicus* nominatus eſt, & *Andream*. Quidam e ſuis domeſticis, *Felicianus* nomine, maligno adductus furore, paravit inſidias, quibus ipſum, una & Reginam ac eorum liberos, interimeret: ſed patrari execrabile facinus, non eſt paſſa divina benignitas; detectæ namque inſidiæ fuere. Idcirco debitas, jubente Rege, dedit pro tentato ſcelere pœnas. De ipſo enim, deque ſibi neceſſitudine conjunctis, ſupplicium ſumtum. Bellum gerens adverſus *Matthæum Trenchinium*, hominem genere nobilem, & armis opibuſque potentem, qui Hungariam armis inſeſtabat, illius ingentem exercitum, prœlio vicit. Regnum ſuum prudentia, rebuſque fortiſſime geſtis, non conſervavit modo, tutatuſque eſt; ſed auxit etiam plurimum. Copias inſtructas, atque expeditas, non ſolum bello, ſed pace quoque ſemper habuit: ut quoties rerum exigeret neceſſitas, præſto eſſent. Ita ingens facta eſt ejus, apud cunctas pene orbis terræ nationes, auctoritas. Sua ditioni tenuit *Dalmatiam*, *Croatiam*, *Serviam*, *Lodomeriam*, *Ruſſiam*, *Cumiam*, *Bulgariam*, *Boſnam*. Vixit chriſtianiſſime, ideoque multis Chriſtiano homine dignis virtutibus ornatus, inter orbis Principes, non mediocriter enituit. Erexit ædem apud Lippam, in honorem Sancti Ludovici, Ordinis Fratrum minorum, qui ejus fuerat frater. Conſtituit & ibidem Cœnobium, in quo ejuſdem Ordinis ſacerdotes, Deo famularen-

Digitized by Google

larentur. Albæ, Beatæ Mariæ Virginis ædem, quæ ſæpe conflagrare ante ſolebat, plumbeis texit laminis. Cumque poſtea ipſo vivente, etiam conflagraſſet, plumbo ipſam denuo texit. Obiit *anno humanæ ſalutis MCCCXLII.* XVII. Calend. Auguſti, Albæque ſepultus eſt.

INDEX XIX.

De Succeſſione Ludovici I Filii ejus, & de converſione Patarenorum.

Ei ſucceſſit *Ludovicus* filius, quem ex Eliſabetha uxore, Poloniæ, ut jam dictum eſt, Regis filia, ſuſceperat. Fuit animi magnitudine, religioneque, atque aliis multis Chriſtiano principe dignis virtutibus, parenti non modo ſimillimus, ſed etiam par. Paternum regnum & gloriam, conſervavit & auxit. Bello & terribilis & fortunatiſſimus, pace mitiſſimus. Hujus frater fuit Andreas ille, Siciliæ, ſeu mavis regni Neapolitani Rex, cui nupſit Joanna, Roberti Regis filia, quæ Andrea ipſo, non modo deſpecto, verum etiam abdicato, nupſit Philippo Principi Tarentinorum. Poſt multas deinde ei illatas injurias, ipſum interfecit, ut ſuo loco oſtendi, texens catalogum Regum Neapolitanorum. At vero Ludovicus, ea de cauſa, cum valido exercitu, ſemel & iterum profectus ad Joannæ Regnum; fratris necem ultus eſt, multiſque ibi fortiter glorioſeque geſtis, in ſuum rediit regnum. Eliſabetha quoque ejus mater, in filii auxilium, antequam illi necis inſidiæ a dira conjuge pararentur, Neapolim uſque navigavit. Compoſita deinde, inter filium & nurum concordia, Romam perrexit, quo Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli corpora veneraretur. Duxit hic Rex uxorem *Margaritham*, Virginem præſtanti forma, Caroli Marchionis Moraviæ filiam. Ceterum, ea immatura morte defuncta, duxit *Eliſabetham*, filiam Stephani Bani, Viri genere inſignis, ex qua tres ei filiæ natæ ſunt, *Catharina*, *Maria*, *Adviga*. Miſit copias contra *Tartarorum* exercitum, qui invaſerunt Tranſilvanos & Siculos, illoſque, duce *Andrea Laczico*, profligavit. Fudit & copias aliquot rebellium, qui in Croatia & Dalmatia, motus magnos exciverant. Duxit in Italiam potentem contra *Venetos* exercitum, qui ſibi occupaverant Dalmatiæ partes maritimas, easque reſtituere, cum eſſent ditionis Regum Hungariæ, recuſaverant. Aliquot illis urbes, in quibus fuit *Tarviſium*, multaque caſtella ademit: nec deſtitit ab armis, donec ei, quæ occupata ab illis fuerant, reſtituerentur. Miſit & auxillares copias ſummis Pon-

Digitized by Google

tificibus, Innocentio, Gregorio, & Urbano; propterea, quod nonnulli Itali Tyranni, multa Romanæ Ecclesiæ oppida, suæ ditionis fecerant. Expugnavit *Bosnenses* & *Bulgaros*, qui ab ipso desciverant. Alias multas suscepit expeditiones, in suos adversarios, in quibus fuit Carolus Imperator, de quibus omnibus, magnam fuit gloriam consecutus. *Lithuanos*, infestantes Russiam, quæ tum ei parebat, vertit in fugam, deditque operam, ut ea gens, cum abhorreret a pietate Christiana, Christi susciperet cultum. Ipsius præterea cura effectum est, ut *Comani*, genus hominum ferox, & Imperium, qui Tartarorum ritu, & absque ulla Religione, ante vitam egerant, ad Christi fidem converterentur. Navavit & operam, ut *Patareni*, Bosnensis natio, abjecta execrabili illa Manichæorum hæresi, cui perdiu inhæserant, ad fidei veritatem unitatemque redirent. Verum perfidi homines, haud multo post, ab eorum hæresiarchis persuasi, ad pristinos redierunt errores. Pepulit ex Hungaria Judæos, eo præcipue, quod fœnore, multos ad extremam redegerant inopiam. Electus & coronatus fuit *Poloniæ Rex:* tantum valuit ejus apud externos auctoritas. Sub eo *Beati Pauli primi Eremitæ* corpus, e Venetiis in Hungariam translatum est. Constituit autem complura cœnobia, in quibus viverent Eremitæ, qui ipsius Beati Pauli religionem profiteri se dicunt. Obiit mortem *A. C. MCCCXXXII.* III. Idus Septembris. Sepultus est Albæ, in sacello, quod vivens extruxerat juxta ædem Beatæ Mariæ Virginis. Regnavit annos XL. Morte ejus imminente, crinita apparuit stella, quæ tanti principis e vita exitum, absque ulla dubitatione significavit.

INDEX. XX.

De Maria Regina, & Sigismundo Rege.

Reliquit filias duas, quarum natu grandiorem, *Mariam* nomine, puellam adhuc, destinaverat uxorem *Sigismundo*, qui & ipse erat tum admodum puer, atque Marchio Brandenburgensis, & filius Caroli Imperatoris, Regisque Bohemorum. Illo itaque mortuo, ea puella, totius senatus Hungarorum consensu, *Regina* coronatur, decerniturque, ut non minus, quam si esset Rex, apud ipsam rerum summa constaret. Cum Elisabetha igitur matre, cujus usa est consilio, cepit primum magna cum laude cuncta administrare, prout tanti regni curæ exigebant. Haud tamen multo post, fit Elisabetha prava consultrix, persuasa

Digitized by Google

ſuaſa videlicet quorundam factioſorum conſiliis, doloſiſque ſuggeſtionibus. Cepit namque, multis ex Hungarica nobilitate præſtantibus viris, ſuas adimere, & aliis tribuere facultates, honores, dignitates, quas illis Ludovicus, ob merita oſtenſarum ab eis virtutum, impenderat. Ob rem itaque adeo indignam, multæ toto in regno ſeditiones, ac ſimultates oriuntur. Quocirca placuit pleriſque, ex Neapolitano regno, accerſendum in Hungariam *Carolum*, cognomento *parvum*, qui fuerat filius Andreæ, ejuſdem regni Regis, Ludovici vero nepos: cui regni Hungariæ ſucceſſio, deberi jure videbatur. Facile ille perſuaſus, venit in Hungariam, & regni coronam, fautoribus illis, a quibus fuerat accerſitus, conſecutus eſt. Ceterum Eliſabetha, gravi ob id affecta moleſtia, dat operam, ut per amicos Carolus obtruncaretur. Id ubi eſt factum, regni adminiſtratio denuo ad Reginam pervenit. Ea re *Sigiſmundus*, Mariæ ſponſus, cognita, quam celerrime pergit in Hungariam, Rexque appellatus, regni corona donatur, agens ætatis annum XX. Erat autem is *annus*, *ab Incarnato filio Dei*, *MCCCLXXXVI.* Hic eſt Sigiſmundus ille, qui poſtea fuit Romanorum ab octavo Auguſto, vigeſimus quintus Imperator, de quo ſuis in locis, ſupra, multa, quæ ſunt viſa relatu digna, prodidimus. Fuit & Rex Bohemorum, quorum regnum adeptus eſt mortuo Venceslao, ejus fratre. Hujus regni coronam, ſuſcepit *anno Ortus Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCCCXX.* Obiit diem ſuum in Moravia; quæ regio, ditionis eſt Regum Hungarorum. Regnavit in Hungaria, annos LV. vixit annos ſeptuaginta.

INDEX XXI.

De Alberto Auſtriaco Romanorum Imperatore, Hungariæ Bohemiæque Rege.

Tenuerat *Sigiſmundus*, ex uxore nomine *Barbara*, Ermandi Ciliæ Comitis filia, *Eliſabetham*, quam vivens, *Alberto Auſtriæ Duci*, matrimonio junxerat. Illo itaque extincto, *Albertus*, & *Hungarorum Rex* coronatur, & in *Bohemiæ regnum* illi ſuccedit: conſenſu præterea eorum, quibus hujuſcemodi res curæ eſſe conſuevit, *Imperator* eligitur *Romanorum*. Fuit is magno animo vir, & Chriſtianæ fidei defenſor acerrimus. Movit namque bellum adverſus *Huſſitas*, id eſt contra Bohemos illos, qui Joannis cognomento Huſs errores, contra Sacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ fidem, affirmant, pertinaciterque tenent ac prædicant.

Digitized by Google

dicant. De quorum damnata hæresi, suo in loco, quæ fuerunt cognitu necessaria, perstrinximus. Duxit quidem Christianissimus Princeps in illos numerosum exercitum, sed occurrentibus quibusdam suarum rerum difficultatibus, necesse ei fuit, a suscepta expeditione desistere. Parantem postea bellum adversus illos denuo gerere, immatura mors rapuit; quippe qui paulo minus duobus annis, regnum tenuit. Vita excessit *anno salutis humanæ MCCCCXXXIX.* Albæ sepultus est.

INDEX XXII.

De Uladislao Posthumo, & Uladislao Polono, a Turcis cæso.

Moriens *Albertus*, cum adessent aliquot e regni optimatibus, *Elisabetham* Reginam, gravidam ex se factam asseruit: *Memineritis*, inquiens, *viri Hungari, eum jure futurum Regem vestrum, quem Regina vestra partu ediderit.* Fuerunt ex iis, qui tum aderant, qui Regis dicta nihili penderent, plerique vero, ejus verba memoriæ mandavere; nec plane sine consilio, ut videlicet expectato partus tempore, quod faciendum Rex monuerat, magna cum fide exequerentur. Illi igitur, qui morientis Regis verba despexerunt, censuerunt nequaquam expectandum Reginæ partum: id enim si fieret, actum esse arbitrabantur de regno Hungariæ. *Nam quid aliud expectaretur, quam quod Hungarorum Respublica, regeretur a fœmina, quæ non suo, sed aliorum consilio, regnum moderaretur. Timendum esse regno amplissimo exitium, si tantisper esset expectandum, dum nasciturus infans, ad tenendum regnum esset idoneus. Idcirco malle se accersere virum quempiam externum, quem Regem sibi constituant; quam quod vel fœminæ, vel infantis tutoribus & educatoribus esset tanti regni credendum imperium.* Itaque decretum ab illis est, accersendum *Uladislaum* juvenem, morum elegantia præclarum, Lithuaniæ Ducem, Regisque Poloniæ fratrem. Is quam celerrime adiit Hungariam, ac favore illorum, qui ipsum produxere, Budam ingressus est, *anno* Dei & *Domini nostri Jesu Christi MCCCCXL.* Alii vero permulti, quos nondum Sigismundi ceperat oblivio, ejuscemodi rem, gravissime, atque iniquissimo animo tulere. Inter hæc Regina peperit, natoque infanti indidit nomen *Uladislaum.* Mox adiit *Aliam*, secutaque est eam haud mediocris pars Hungaricæ nobilitatis. Ibi datur opera, ut infans, vix quartum ætatis agens mensem, coronaretur. Adfuit tunc magna auctoritate vir, *Dionysius Strigonienſis Antistes*, ac S. Romanæ Ecclesiæ

cleſiæ presbyter Cardinalis, qui infantem, de more, & inunxit, & coronavit. Is præterea, aliquotque alii Eccleſiarum prælati, ac multi regni proceres, in Reginæ, novelli tamen Regis nomine, verba juraverunt. At vero Regina, muliebri aſtu, decepit præfectum arcis Vicegradi, quo in loco diadema, fidei namque illius erat creditum, ſervabatur. Cum enim ad reponendum in ſuo loco coronam itum eſt, Regina non plane illam, ſed aliud quiddam, in arca repoſuit: arcam autem obſeravit clavi, deque more obſignavit ſigillo, illudque ſimul & clavem, arcis præfecto, cunctis qui aderant ſpectantibus, reſtituit; nec quiſquam fuit ex illis, a quo excogitatus a fœmina dolus deprehenderetur. Ita coronam per dolos retentam, illa ſubripuit; nec multo poſt, inde excedens, adiit *Fredericum Auſtriæ Ducem*, Regemque Romanorum, qui Uladislao erat conſanguinitate propinquus. Non enim dubitabat aſtutiſſima mulier, quin apud Fredericum, & novellus & infans Hungariæ Rex, educaretur fideliſſime, & delata ad ſe corona, ſervaretur quam diligentiſſime. Redeo ad *Uladislaum*. Veniens is in Hungariam, miro eorum, qui alterius erant factionis, favore ſuſceptus eſt, multi quoque ex plebe, partes ejus ſecuti ſunt. Ita paulatim fuerant auctæ, ejus & opes, & auctoritas: breviter, Rex a pleriſque appellatur. Cumque coronari ipſum oportere, ab amicis acclamaretur, quæſitaque in ſolito loco corona, minime inveniretur: rei ſupplementum haud indecens excogitatum eſt. Quodam enim diademate, quod una cum ſacris Beati Stephani olim Hungarorum Regis reliquiis ſervabatur, ipſum coronaverunt. Corona illa, quam dixi a Regina ſubreptam, eſt quiddam apud Hungaros in primis religioſum, atque venerabile, eſtque apud gentem eam, pertinaci quadam cura, perdiu ſervata conſuetudo, ut nemo vel creetur, vel appelletur Rex, qui non eo coronetur diademate. Perhibent namque, coronatum illo fuiſſe, Beatum & ſempiterna memoria dignum Regem Stephanum; cujus ſupra regnum vitamque perſtrinximus. Subſecuta ſunt poſt hæc, procerum, magna inter ſe diſſidia, inteſtinaque bella moveri, ac parari per univerſam Hungariam, maximo animorum ardore cepere. Nec dubitari poteſt, quin tam periculoſa bella, ſine variis ac miſerabilibus ſtragibus, cædibuſque & cladibus, atque multiplicibus prædis, & direptionibus, agrorumque vaſtationibus, geſta ſint. Tot autem tantiſque atque aliis permultis malis, afflictata eſt Hungaria, annis ferme duodetriginta. Hinc enim arma inter ſe conferebant Hungari, indeque Bohemus; hac Polonus infeſtabat Hungariam, alia ex parte *Amuratus* Turcarum Tyrannus, ejuſmodi diſcordiarum nactus occaſiones, Hungariam ipſam invadere cogitabat. Jam enim paulo poſt Alberti mortem, cum ingentibus exercitibus, ſuos

cepe-

Digitized by Google

ceperat egredi fines, ut ſibi, quaſcunque poſſet regiones, genteſque ſubigeret Chriſtianas. Jam ſubacta inferiore Myſia, penetraverat in ſuperiorem, cujus portio quædam eſt *Raſcia*, quam vocitant *Serviam*. Eam omnem nationem, brevi, & abſque magno ſuorum diſcrimine, in ſuam ille redegit poteſtatem. Mox ingredi parabat *Hungariam*, qua ei regioni eſt contermina ipſa ſuperior *Myſia;* & niſi ingentibus illius conatibus, obviam itum eſſet opera opeque & armis Joannis Corvini, cujus multa fortia facta, ſupra idoneo in loco memoravimus, actum jam prorſus fuiſſet de re Hungarorum, deque univerſis Hungariæ propinquis, conterminiſque regionibus, in primis de noſtra Italia. Omnia quippe in ipſis, Turcæ fortaſſe nunc longe lateque tenerent, ſublatis Chriſtianorum Principum Imperiis; uti feciſſe eos conſtat apud Græcas nationes: ejuſce namque calamitatis, eſt adhuc memoria recens. Ab Hungaris igitur, & a ceteris eis finitimis nationibus Chriſtianis, immortales agendæ ſunt *Joanni Corvino* gratiæ, qui Hungariam, a futura audaciſſimaque illa Turcarum irruptione, invaſioneque ſervavit. Ad eas autem inteſtinorum bellorum ſæviſſimas tempeſtates, diſcordiaſque placandas, miſſus eſt ab Apoſtolica ſede legatus, *Julianus Cæſarinus*, natione Romanus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, de quo ſupra, ſuo loco, pauca mentione digna prodidimus. Is dum navat operam, ut pax componeretur inter Eliſabetham Reginam & Uladislaum, Regina ipſa moritur: quamobrem obvenit, ut Uladislai auctoritas, apud omnes plurimum augeretur. Ad quod hoc acceſſit potiſſimum, quod Joannes Corvinus, ejus partibus maxime favit. Qui ſub eo bellum poſtea gerens adverſus Turcas, intra paucos menſes, multas victorias, magna cum laude aſſecutus eſt, quæ ſupra ubi eſt facta de ipſo mentio, commemoratæ ſunt. Poſtea, cum *Uladislaus*, perſuaſus a Legato, bellum moviſſet adverſus Amuratum, commiſſoque cruentiſſimo illo maximeque memorabili prælio, quo Chriſtianus ingens exercitus, infeliciter dimicavit cum Turcis, *A.C. MCCCCXLIV.* ut ſupra quoque ſuo loco tradidimus, ſtrenuiſſime rem gerens, oppetiit. Agebat autem eo tempore, annum ætatis primum & vigeſimum, regnavit annos quatuor.

IN-

Digitized by Google

INDEX XXIII.

De Joanne Corvino regni Hungariæ Gubernatore, ejusque fortiter & prudenter gestis.

Erat per id temporis, *Uladislaus*, Alberti filius, annos natus quinque; idcirco, cum per ætatem non esset idoneus, cui regni traderetur administratio: habita ratione gestarum rerum, aliarumque multarum virtutum, spectatæ præsertim multis in rebus fidei, *Joannis Corvini*, magno totius Hungariæ consensu, delectus ipse est, qui Regis loco, *Vayvodæ* tamen appellatione, universum regnum, cum imperio moderaretur, ipsumque sua illa animi magnitudine, illaque in rebus gerendis ei arridente fortuna, tutaretur. Eam electionem, secutus est omnium populorum mirus applausus, gaudiumque non mediocre, & lætitia incredibilis: tanta namque erat, virtutis viri, apud omnes Hungaros existimatio. Is ante omnia, quæ sunt ei visa factu necessaria, curavit, ut *corona*, una & *Uladislaus puer*, Alberti olim Regis filius, quem Fredericus Augustus apud se tenebat, ut ante dictum est, recuperaretur. Sed cum ille restituere recusaret, quod jure postulabatur, indignitatis rei Joannes impatiens, infestis armis excurrit per multa loca, quæ tenebantur illius ditione, per Carinthiam præsertim, & Carniolam, Styriamque. Et præterquam quod multarum civitatum atque villarum agros, incendiis ferroque vastavit, ingentem etiam inde prædam pecorum, atque hominum traxit. Fecit id vir prudentissimus, eo consilio, ut Fredericus, ob acceptum tam grande detrimentum, ad restituendum Hungaris, quod suum erat, adduceretur. Sed ille parum id curavit; perinde, atque ad rem suam nihil attineret. Fuere ea tempestate permulti mortales, qui Fredericum accusarent ignaviæ, defidiæque: propterea, quod cum illi non deessent opes, quibus potuisset repugnare hosti, se tamen domi continuit, & violentiæ non restitit; quia cum esset Princeps Christianus, quod sciebat non esse suum, sibi retinuerit, tam obstinata pertinacia. Movit & bellum Joannes, quod ad extremum confecit feliciter, adversus *Georgium*, *Serviæ Despotum*, a quo fuerat magna & indigna, & quæ non erat æquo animo ferenda, lacessitus injuria. Confecto namque bello, quod ei fuerat cum Turcis, rediens per Serviam in Hungariam, diversatus est apud ipsum Georgium, a quo credebat amice se hospitio suscipiendum: at vero ille, hospitii jure violato, non amicum, sed hostem, Joanni se exhibuit. Captum enim ipsum, carcere observavit, nec inde

Digitized by Google

abire permissus esset, nisi Ladislaum filium, obsidem apud illum reliquisset. Susceptis tamen armis adversus illum, haud multo post profectus, cum multum agrorum, una prope excursione per Rasciam, pervastasset, suscepit & expeditionem contra *Bohemos*, qui suis egressi finibus, aliquot Hungarorum castella expugnaverant; ipse vero, non modo occupata recuperavit, sed & profligato hostium exercitu, multa castella, multumque agrorum illis ademit. Post hæc, multa paravit in ejus nationis exitium, quæ plane confeciſſet feliciſſime, nisi ejus ceptis, fuissent impedimento, nonnullorum ex Hungarica nobilitate, in ipsius caput paratæ proditorum insidiæ. Itaque adactus est necessitate; ut, quæ conceperat animo, in tempus differret opportunius. Deinde cum Amurates Turcarum Imperator, pararet invadere Rasciam, ideoque Georgius, suis diffidens viribus, Joannis petivisset auxilia; ut, licet in ipsum aliquando peccasset, cum tamen esset homo Christianus, non esset a Duce christianissimo, in tanta mole rerum, deserendus, non abnuit ipse, sed & opem illi tulit, & adfuit. Cum suis enim copiis, Turcis ivit obviam, commissaque pugna, victor evasit: quippe qui plerosque illorum vertit in fugam, multos occidit; illos autem, qui erant bello meliores, cum Frizebego, illorum duce, captos, tradidit Georgio, qui pro sua libidine, illos vel trucidaret, vel conjiceret in vincula, aut traderet suis, a quibus auro redimerentur. Paucis postea interjectis mensibus, cum *Fredericus Cæsar* ageret in *Nova civitate*, quod oppidum in Austria est; nec vellet restituere Uladislaum Hungaris, qui illum, quod erat eorum Rex, poscebant: ab illis, Joannis consilio ac jussione, obsessus est, perseveratumque fuit in obsidione, donec affectus ille tædio, Regem illis tradidit. Cur autem tradere illum ante noluerit, hanc reddebat ipse causam: quod timebat adolescentulo, ne videlicet, si in manus veniſſet Hungarorum, fore fortasse quempiam, qui ad illum necandum, aliquid pararet insidiarum. Ceterum, post multa ultro citroque dictitata, res ita composita est; ut Hungari æquo paterentur animo, ut a Cæsare adhiberetur adolescentulo, vir aliquis natione Germanus, qui illi assisteret, illumque educaret, donec ad regnum administrandum esset idoneus. Ubi inter ipsos ita conventum est, permittente Cæsare, Hungari *Uladislaum* læti, Viennam, honestissima Germanorum nobilium frequentia comitatum, deduxere.

IN-

Digitized by Google

INDEX XXIV.

De Uladislai Poſthumi Regis Auſpiciis.

In ea urbe, ubi de rebus agendis, multa dicta agitaque ſunt: decretum tandem, ut eo convenirent ex omni Hungaria optimates, a quibus in novelli Regis verba juraretur. Itaque ut primum omnes convenere, de more a ſingulis juratum. Fecit id ante alios, *Joannes Corvinus*, qui & ſponte ſua, ſummo illo Magiſtratu, quem octo annis, magna cum laude geſſerat, ſe coram univerſo conventu abdicavit: Rex autem, prudentum quorundam conſilio uſus, illi & *Biſtricenſem* contulit *Comitatum*, & quo ſe abdicavit, magiſtratum reſtituit. Poſt hæc eum Rex, egregie laudatum, magnificeque donatum, in Hungariam remiſit, una & omnem Hungarorum illam nobilitatem, quæ Viennam, gratia rei, quæ commemorata eſt, convenerat. Interjecto dein tempore, perrexit Rex ad ſuum regnum, ingreſſuſque eſt Budam, *anno ab Ortu Salvatoris mundi*, *MCCCCLIII.* Illic dum commoratur, accepit, *Mahumetum* Turcarum Imperatorem, qui nuper Amurate patre defuncto, in illius ſucceſſerat & imperium & opes, exgugnata jam urbe Conſtantinopoli, parare expeditionem in Hungariam, percrebuiſſeque rumorem, illum & jam adventare, & velle invadendæ ejus principium facere a *Tauruno*, quod oppidum, magis vulgato vocabulo, *Belgradum* cognominatur. Nihil itaque ulterius ibi demoratus, noctu, una cum *Ulrico Ciliæ comite*, cujus conſilio præcipue regebatur, inde abiit, Viennamque profectus eſt: in ea quippe urbe, ab Turcarum impetu, arbitrati ſunt Germani, qui regebant Regem, ſe tutiores fore; de regni vero ſalute, nihil ab Ulrico, & a ceteris, qui Regem adoleſcentem regebant, cogitatum. Id eo res ipſa indicavit, quod Budenſem arcem, ſine ullo præſidio deſeruere. Putabant enim, eum, qui tam brevi temporis intervallo expugnaſſet Conſtantinopolim, Græcorum adeo facile, extinxiſſet imperium; prima irruptione, primoque impetu, ac una tantum excurſione, univerſam ſibi ſubacturum Hungariam, cum ei adjacentibus regionibus. Satis ſuperque de Rege huc uſque dixerim: de bello a Mahumete ſuſcepto, quemadmodum geſtum finitumque ſit, pauca ſubjicienda ſunt. Id equidem omittendum non cenſui, ne mihi prætermitteretur immortalitate digna laus, quam *Joannes Corvinus*, eo bello ſibi comparavit. Suo namque ductu atque auſpiciis, cauſa Dei defenſa eſt: quippe qui ſine Regis auxiliis, paucitate autem militum, non ſo-

Digitized by Google

lum obſtitit potentiſſimi hoſtis viribus, ſed eo etiam rem uſque deduxit, ut ille victus, ceptam omiſerit expeditionem, amiſſaque magna ſuarum copiarum parte, in rem malam, eo unde venerat, hoc eſt in Thraciam redierit.

INDEX XXV.

De Belgrado a Turcis obſeſſo, & rabide oppugnato.

Jam *Mahumetes Belgradum*, cum ingenti armatorum exercitu, pervenit. Ipſum igitur obſidet, & quanta maxima vi poteſt, oppugnat. Hungarorum autem erat nemo, quanquam omnes maxime formidarent, qui aliquid vel de ſua, vel de patriæ ſalute, cogitandum proponeret. Adducti namque exemplo Regis, plerique ad cogitandum de locis, ad quæ eis eſſet fugiendum, converterant animos. Eſt *Belgradum* ſitum in Raſciæ, ſeu magis dicere Serviæ, vel ſuperioris Myſiæ finibus, hoc eſt, non a parte Hungariæ, ſed penes tamen Danubium ab una equidem parte, ab altera vero penes Savum, qui fluvius ibidem Danubium ipſum ingreditur. Itaque non a terra tantum, ſed a fluviis quoque navigiis, adverſo tum Danubio, tum Savo tractis, oppidum ipſum, obſidione longe lateque cinxerat: quo fiebat, ut nulla ex parte, poſſent obſeſſis auxilia ferri. Sunt qui dicant, in Mahumeti exercitu, fuiſſe ad CCCC. hominum, alii ducenta millia, nonnulli millia centum & ſexaginta, ſed ea lectiſſima fuiſſe: quanquam non inficiantur, multa alia millia ad eandem concurriſſe expeditionem, ſpe conſequendi prædam inæſtimabilem. Namque expugnato Belgrado, quod ſperabant fieri poſſe perfacile, non dubitabant, inde apertam eis fore viam, qua brevi, tota Hungaria perdomaretur. Quatuor & ſexaginta triremes, & aliorum generum alia permulta navigia, trahi Mahumetes juſſit adverſo flumine, partim a mari Pontico, partim a locis aliis, Danubio proximis, quibus vecta ſunt machinamenta, quæ eſſent bello gerendo neceſſaria. Quamvis autem inter cetera, vecta ſint ænea tormenta, quas vulgo vocitant, ut aliis in locis ſupra docui, bombardas, & variæ magnitudinis, & pene innumerabilia: fuere tamen duo & viginti, quæ alia omnia ſuperavere: Fuerunt enim ad os, unde ſaxa excuti ſolent, altitudine pedum ſeptem, trium autem & viginti longitudine. Hoc vero magno admiratione dignum, non eſt mihi ſilentio prætereundum. Excuſſa bombardis ſaxa, quanquam murum, aliaque multa, dum oppugnaretur oppidum, diruerunt: neminem tamen unquam oc-

Digitized by Google

occiderunt, præter mulierum quandam vetulam, quæ inter oppugnandum, temere domo egreſſa eſt. Tentoria ſua locavit Mahumetes, in edito quodam loco, unde circumquaque cernere poſſet caſtra, quæ multum terræ ſpatii, longe ac late complebant. Tumulum illum, ubi erant ejus locata tentoria, circumſtabant tentoriola fidorum militum, capitis ſui cuſtodum, quos Turcarum lingua nominant *Janiszaros*. Diſponendis bellicis machinis, præerant magna ex parte, Itali, Germanique homines. Eorum autem, quæ erant uſui bombardis, negotium, Germanis, Hungaris, Boſnenſibus, ceteriſque Dalmaticis datum. Ceterum, qui erant in exercitu, militum, cura erat, vel oppugnare oppidum, vel ad vaſtandum agrum excurrere. At Joannes Corvinus, cui ſemper fuit ingens cupido dimicandi cum Chriſtiani nominis hoſtibus, turpe maximeque periculoſum ducens, Regis, & Ulrici, atque Hungarorum negligentiam tolerandam diutius, ad hanc ſolum curam convertit animum, ut per ſe non ſtaret, quin ſummæ, totius non tantum Hungariæ, ſed rei quoque publicæ Chriſtianæ, calamitati conſuleretur. Quippe non eum fugiebat, actum jam eſſe de re Hungarica, ſi *Belgradum* in Turcarum redigeretur ditionem: inde namque eſſe ei genti aditum, ut in regnum Hungariæ irrumperent. Quatuor ſunt huic loco vocabula. Ptolomæus *Taurinum* nominat, alii quidam Geographi veteres *Albam*, recentiorum alii *Belgradum*, nonnulli *Nándoralbam* appellant. Duci igitur prudentiſſimo, nihil fuit potius, quam ut excogitaret viam, ac modum, quo opem ferret obſeſſis. Idem enim oppidi murus ac turres, vi tormentorum quotidie quaſſabantur, magnaque eorum pars conciderat, eorumque ruinis, compleri foſſæ incipiebant. Ita paulatim fiebat via, qua oppidum hoſtis ingrederetur. Obſeſſi, quanquam erant in extremum rerum diſcrimen adducti, & animis turbabantur: tamen, in primis Deo, eorum cauſam, quæ & Chriſti erat, Chriſto commendabant. Hoc nihilominus ſperabant, non defutura ſibi in tempore auxilia, modo præſtaret Deus, ut Corvinus ſupereſſet. Dum hæc Belgradi geruntur, Corvinus comparat ex Hungaria, quantum poteſt pro temporis anguſtia, armatorum manum. Jam enim Regis vice, regnum ipſe, ut ante dictum eſt, adminiſtrabat. Ceterum, cum eſſet inviſus, ob livorem, nonnullis illorum, quorum conſiliis regebatur Rex; Ulrico præſertim Ciliæ Comiti, homini natione Germano, Regi ipſi conſanguinitate conjuncto, in inferiori Pannonia, per id temporis vitam tranſigebat, in quodam ſuæ ditionis caſtello, cui *Corvino* eſt nomen. Auctoritate igitur, qua fungebatur, coegit militum, quam dixi, manum, coegit & illos, qui ſub eo ante militaverant, & idcirco variis bellorum uſibus conſuefacti, idonei erant, qui ad

Digitized by Google

eam militiam accerſerentur. Venerat ſub idem tempus in Hungariam, *Joannes Capiſtranus*, ex Italia, vir noſtro ſeculo, ſanctitatis vitæ apud omnes opinione præclarus, Ordinis Fratum minorum, miſſus a Calixto Pontifice Maximo, qui concionando, Alemanos, Polonoſque, & Hungaros aliaſque his vicinas gentes, cohortaretur, ut pro tuendis Hungariæ finibus, contra Turcas arma ſuſciperent: ſi qui vero ab ipſo perſuaſi, vellent in tam piam proficiſci militiam, eos cruce, de more, ſignatos, eiſque data peccatorum omnium, juxtà S. Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, venia, conjungeret exercitui, quem Corvinus coegiſſet, ut ſub tanti Ducis auſpiciis atque diſciplina, Chriſto militarent. Paruit *Capiſtranus*, juſſioni tum Pontificis, tum Joannis, Legati ſedis Apoſtolicæ, S. Angeli Diaconi Cardinalis, natione Hiſpani, quem ad excitandos Chriſtianorum animos, ad eas, quarum memini provincias, pro tuendis, a Turcarum impetu, Hungariæ finibus, miſerat, & Pontifex, & Sacroſanctæ Romæ Eccleſiæ Senatus. At quanquam Capiſtranus, multa peragratus loca, nimium laboravit, pauci tamen perſuaſi ab ipſo ſuere, qui arma ſuſcepiſſent. Cauſa fuit, quod etſi Itala lingua erat in concionandó facundus, ac diſſertiſſimus: quia tamen apud nationes, quas dixi, concionandum ei fuit per interpretes, qui in dicendo neſciebant apte explicare, quæ ipſe ſapienter pronunciabat, ejus verba, ſuſceptique labores, ad rem, cujus gratia concionabatur, parum profuerunt. Nam vix quingentorum numerum, viri, quos cruce ſignatos coegit, exceſſere: illos tamen conjungi copiis Corvinus permiſit. Cum ipſo autem Capiſtrano, multa communicavit, de gerendarum rerum ratione: hoc tandem inter ipſos decretum eſt, ut alter eorum Deum precando, alter belligerando, rem juvaret Chriſtianam. Corvinus itaque, quod ſuum erat, aggreſſus, celeriter comparat, atque ut poſtulare viſa eſt res gerenda, inſtrui navigia, quotquot haberi potuerunt. Fecit id Dux ſolertiſſimus, hoc potiſſimum conſilio, ut vectus ipſe inſtructis navigiis, ſecundo flumine, ſe, impetu facto, ferret in hoſtiles naves, quæ haud procul a Belgrado alligatæ catenis erant impedimento, ne quid opis ferri poſſit eis, qui obſidebantur. Hanc enim excogitavit viam, qua ad obſeſſos, noſtrorum præſidia penetrarent: ut videlicet via noſtris facta navibus, hoſtium triremes, ceteraque navigia, vel fugarentur, vel caperentur, vel incenderentur. Adfuit fortuna ſolertiæ. Quadraginta ſolum fuere naviculæ illius generis, quo uti ſolent Hungari, ceterique homines, qui per Danubium navigantes, onera, quorum indigent mortalium uſus, ex aliis ad alia loca tranſportant. Quamvis igitur ejuſmodi generis eſſent noſtrorum naves, eis tamen armatorum ſtrenuiſſima manus, ſub Duce

for-

Digitized by Google

fortiſſimo, vecta eſt. Quocirca nihil prorſus formidantes Turcarum triremes, facto impetu, in illas deferuntur. Initur certamen, res magnis animis cominus geritur, breviter, licet non ſine cruentiſſimo marte, quo permulti utrinque cecidere: ad extremum tamen, vicit Corvinus, partim ſuccenſis Turcarum triremibus, aliiſque navigiis, & ipſorum defenſoribus vel trucidatis, vel ſubmerſis in fluvium, partim ſolutis oris, in fugam deorſum verſis. Facta in eum modum via, Corvinus, cum univerſis copiis, caſtellum ingreſſus, obſeſſos, in quibus erat Capiſtranus, multifariam conſolatur. Commendat præcipue Capiſtrani diligentiam, qui non modo ſuis acceptis Deo precibus, rem adjuviſſet Chriſtianam; ſed caſtelli etiam defenſores, ad repugnandum, obſiſtendumque oppugnantibus hoſtibus, ſuis cohortationibus incendiſſet. Commendat deinde fortem propugnatorum operam, magnamque virtutem, qui adeo conſtanter & ſtrenue, tam potenti hoſti, tamque numeroſo exercitui, multifariam exiguum oppugnanti oppidum, reſtitiſſent. Adjecit ad hæc fidelitatem illorum ſibi commeruiſſe, ut Deus non deſeruerit obſeſſos Chriſtianos, in tanto vitæ rerumque diſcrimine. Qui vero pugnando cæſi eſſent a Turcis, eos migraſſe e mortali vita ad ſempiternam felicitatem, qui item eodem bello, fortiter rem defendentes Chriſtianam, oppetiverint, eos haud dubie quoque evolaturos ad cœlos, quo illi anteceſſerunt, ſedes inter felices animas habituri glorioſas. Poſteaquam hæc, aliaque his ſimilia, quibus illi mire incenſi ſunt, ad perſeverantiam locutus eſt: juſſit univerſis, ut ante omnia curarent corpora, deinde, ut ſe ad certamen pararent. Arbitrari namque ſe ait, fore, ut Mahumetes, iniquo ferens animo cladem, quam ex incendio fugaque navigiorum ſuorum, triremium præſertim, acceperat, omni qua poſſet vi, oppugnare caſtellum adniteretur. Quam ad rem exiſtimabat Corvinus, eo fuiſſe illum præcipue adductum, quod expugnato loco, converſurus eſſet ſuam omnem rabiem atque furorem in caput Ducis, cujus virtute, tam ſolerter obſeſſis, & jam expugnandis, lata auxilia fuiſſent. Curatis itaque, uti Corvinus ſuaſerat, corporibus, quam celerrime datur opera, qua pararentur, quæcumque eſſent ad reſiſtendum futuræ oppugnationi neceſſaria. In primis autem curatum eſt, ut & murus, & propugnacula, vi bombardarum magna ex parte diruta, repararentur: deinde ut tormenta, ceteraque arma, idoneis in locis diſponerentur.

IN-

Digitized by Google

INDEX XXVI.

De Turcarum cæde, & Belgrado per Joannem Corvinum, ac S. Joannem Capiſtranum mirabiliter liberato.

Eo, qui inſecutus eſt die, evidenter cognitum eſt, haud aliter eveniſſe, quam ut Corvinus arbitrari ſe aſſeveraverat. Namque, ut primum illuxit, paratum jam ad oppugnationem Mahumeti exercitum, noſtri conſpexere. Initur igitur certamen magnis animis. Primumque ſaxis excuſſis, ex tormentis æneis eximie magnitudinis, a Turcis muri abſque ulla intermiſſione quatiuntur, quaſſatique ſæpe, tandem concidunt. Noſtri, quanquam neceſſitate coacti, deſierunt, a defenſione muri: tutantur tamen, quod intus eſt, quam validiſſime. Ut autem quatuor ferme horas, acerrime utrrinque pugnatum eſt, Turcarum ingens manus, facto agmine, per murorum ruinas, noſtris fruſtra renitentibus, irrumpunt in oppidum. Id Corvinus videns, qui non ſolum Ducis, ſed militis etiam utebatur officio, ad ſuos, qui jam terga vertere ceperant, advolat, illos increpat, cohortatur, incendit, atque mox efficit, ut converſi protinus in hoſtem, repugnent fortiſſime. Converſus ipſe deinde nunc ad hos, nunc ad illos, cohortatur omnes, ad rem ſtrenue gerendam. Omnia circuit, omnia conſpicit, omnia ordinat: breviter, nihil omittit eorum, quæ Ducem eminentiſſimum, in tanto rerum periculo, conducere. Effecit itaque, ut inſtaurato certamine, noſtri, Turcarum conatibus, fortiſſime reluctarentur. Miſerrima igitur oritur cædes. Superiores erant Turcæ multitudine, noſtri virtute, idcirco ex illis longe plures cædebantur. Pugnatum ad ſerum uſque diei. Tunc dedit immortalis Deus, ut maximo noſtrorum impetu, qua irruperant hoſtes, ex oppido pellerentur: inſequuntur noſtri, multiſque millibus illorum deſideratis, procul a locis, per quæ erant diſpoſita illorum tormenta, & alia, quibus fuerant uſi ad expugnationem, ejiciunt. Inde victores, domum verſus redeuntes, quidquid reperiunt, quod fuerat ab hoſte fabricatum ex materia, ut ſe tuerentur, incendunt. Tormentorum partem, ferro perſtringunt, partem projiciunt in fluvium, partem comportant in arcem Quod ut vidit Mahumetes, ſoluta obſidione diſceſſit, timens, ne quid ſibi accideret infelicius. Chriſtianorum tam glorioſæ victoriæ laus & honor, Deo, & Domino noſtri Jeſu Chriſto, pro cujus religione tuenda, fuit ea pugna comiſſa, primum tribuendus eſt; deinde ma-

Digitized by Google

magnæ virtuti fortiſſimi Ducis, Joann præterea Capiſtrano, cujus conciones, ad concitandos noſtrorum animos, haud medicocriter profuere.

INDEX XXVII.

De Joannis Corvini & S. Joannis Capiſtrani pio obitu.

Paucis poſt adeptam victoriam diebus, incidit *Corvinus* in morbum graviſſimum, quem contraxit ob nimium laborem, quem in re gerenda ſuſceperat. Jam enim advenerat tempus, quo pro magnis ſuis, in Chriſtianam pietatem meritis, eſſet in cœlo ſua præmia conſecuturus. Cum autem morbi vis vehementer invaleſceret, ipſo jubente, delatus eſt ad oppidum, quod *Zemplén* Hungarorum lingua appellatur. Feciſſe id ſe dixit, ut eo in loco, Deo ſpiritum ſuum redderet longe quietius. Eo *Capiſtranus* profectus, ut amici, religioſique viri uteretur officio, adhortari eum cepit, ut cum nihil ſpei de ipſius vitæ ſalute ſupereſſet, ne differat ulterius, quo minus Chriſtianorum ritu, ſuſcipiat ſacramenta, quæ Chriſtiani homines ſolent, in extremo vitæ conſtituti, ſuſcipere. *Mirari ſe ille reſpondit, religioſi viri prudentiam, qui moneat, moriendum Chriſtiane virum, qui pro Chriſtiana fide dimicando, perſæpe ſeſe morti expoſuerit. Igitur, ſi neſcivit antehac, ſciat nunc, eum ſemper, dum fuit in vita, in ætate virili, ſe & putaſſe peccatorem, & cogitaſſe moriturum. Idcirco perdiu ſe hoc ſervaſſe, ut peccatorum confeſſionem, nunquam ultra menſem diſtulerit. Non ergo ſe nunc expectaſſe moriendi momentum; ſed more Chriſtiani viri ſe ordinaſſe prudenter, quæcunque vel ad animæ ſuæ ſalutem, vel ad filios, quos relinquebat, atque ad facultates, ceteraſque res domeſticas ſuas, vel ad Rempublicam totius Hungarici regni, quam multis annis adminiſtraverat, pertinerent. Nec ſibi reliquum eſſe aliud, quam ut ſumat Euchariſtiam, ſuoque deinde tempore, unctionis extremæ Sacramentum. Ubi ita fecerit, ſe non indiguiſſe mortalis alicujus: ſed ſolum Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti conſilii, cujus nomen & cultum, ipſe in omni ſua vita, adverſus blaſphemantem illum Turcas, multis bellis, variiſque præliis defendiſſet. Ut autem cuncta ageret, quæ nunc commemorat, eo mortalem quempiam ſe noluiſſe conſulere: quod ſervanda ſibi fuerit ſui illa exiſtimatio, & auctoritas, qua maxime valuiſſet apud univerſas prene Chriſtianas nationes. Nequaquam condecuiſſe virum, qui dum vixit, profluus tutatuſque ſit catholicam pietatem, alterius eguiſſe perſuaſione, quo bene piequ- vita excederet. Satis igitur ſuperque fuiſſe ſe a ſeipſo perſuaſum, ut mori*

velit ritu Christiano. His mox hæc adjecit: *Gratias nihilominus tibi ago immortales, Joannes, mi Pater in Christo charissime, qui religiosi in me viri officio, tanta es usus humanitate: bono animo esto, domum, unde huc te contulisti, redi. Spero equidem, illic te auditurum, Joannem Corvinum, Christiane suum obiisse diem.* Capistrano dicente, multis qui aderant e regni proceribus, quos secum duxerat in expeditionem, quæ modo memorata est, patefacit, quæcunque ille disposuerat testamento, a se jam condito, priusquam Belgradum, ejusdem belli causa proficisceretur. Vernacula lingua, prolixam tunc habuit orationem, qua omnes est cohortatus: *Ut suo exemplo, Christianam primum fidem, deinde Hungarici regni rempublicam, a Turcarum rabie, atque ab omni alio hostili incursu, defenderent. Suasit, ut procul ab illorum animis esset discordia, cui si studuerint, & se perditum irent, & fore, ut omne regnum eorum, sine ulla dubitatione deleatur.* Cunctis quidem, sed illis præcipue, quibus vivens fuerat usus familiarius, commendavit rem suam domesticam, liberos præsertim, & conjugem, consanguineos præterea, & ceteros, qui ei fuerant benevolentia conjuncti. Facto dicendi fine, singulos, suo appellatos nomine, ad se ire voluit, dataque dextera, dextre illos exosculatus est. Nemo ex illis fuit, qui non fleverit lachrymis uberrimis. Mira profecto, memoratuque digna illa fuere. At vero, non sunt prætereunda silentio, duo alia, a se præbita Christianissimi hominis exempla. Unum, quod noluit pati, ut Eucharistia ab Ecclesia ad se deferretur, indignum ducens, domum usque suam, mundi redemtorem, qui in eo lateret Sacramento, accedere: quanquam non ignorabat, posse id fieri, pro ægrotantium necessitate. Licet igitur gravaretur vi maxima morbi; pedibus tamen suis, quamvis illis ægris, sacram adiit ædem, ubi obortis lachrymis, miraque pietate, Christi corpus veneratus, Eucharistiam sumsit, domumque dehinc, incredibili mentis gaudio lætitiaque affectus, regressus est. Alterum hoc fuit, accepta extrema unctione, cum primum animadvertit, se jam morti propinquum, portari se voluit ad sacellum, quod ipse condiderat, ubi mortuus erat sepeliendus. Ubi jussit se, extenso supinoque corpore, humi collocari, succendi præterea, collocarique voluit ad caput, ac pedes, aliquot lumina, ut consuetum est in defunctorum fieri corporibus, antequam tumulentur. Expectandum autem ibidem tantisper a quatuor Ordinis minorum clericis, a quibus sacri psalmi dicerentur, dum extingueretur. Eo moriente, affuit *Capistranus*, a quo perfectæ sunt orationes illæ, quas S. Christiani Patres legi constituerunt, quum Christi fideles, mortis horæ propinquant, vulgata autem appellatione nuncupantur *commendatio animæ.* Postea vero quam extinctus est,

his

Digitized by Google

his in eum usus fuisse verbis, Capistranus fertur: *Vale, cœleste sidus, heu cecidisti defensor Christianorum! Extincta est lucerna Christiani orbis, heu fractum est speculum, in quod intuentes Christiani propugnatores, non dubitabant de assequenda victoria. Ceterum, bone Joannes, tecum bene actum est. Nam superato hoste nominis Christiani, triumphas cum Angelis, & regnas in cœlo cum Christo. Tu igitur vere felix es: nos infelices, qui relinquimur in hac valle lachrymarum! O bone Joannes æternum vale!* Ingenti, ob tanti viri obitum, dolore atque mœstitia affecti sunt, non solum universi Hungariæ totius populi, sed omnes quoque orbis Christiani nationes. Luxit eum Nicolaus V. Pontifex Maximus, omnisque Romana Curia, quæ tam fortem tamque fortunatum ac pium Christianæ Religionis defensorem, amisit. Pontificis jussu, Cardinalium senatus, ei magnifice persolvit inferias. Ei solemnitati ipse interfui. Ejus obitum, visum est cœlum, universo orbi terrarum significasse. Crinitum namque sidus, quem cometam Græci vocant, aliquot, antequam incideret in adversam valetudinem, diebus, ab orientali apparuit plaga, quem, ut ipse vidit, domesticis dixit, eo indicio, multa quidem alia significari, sed obitum præcipue suum; ideoque non esse sibi morandum diutius, sed dandam operam, ut disponat domui suæ, expectetque vigilanter diem, & horam, qua ipsum Deus mortali vita eripiat. Nec secus, quam prænuntiaverat, evenit. Paucis namque diebus, postquam evanuit cometes, invasit eum morbus; quo sublatum ipsum fuisse ostendimus. Paucis autem post diebus, diem suum & *Capistranus* obiit, ut virum Dei servum decuit.

INDEX XXVIII.

De Ladislao & Matthia, Joannis Corvini filiis, & de Crudelitate Regis in illos.

Duos reliquit filios, *Ladislaum* & *Matthiam*. Horum præclara erat indoles, ut omnes, quibus erant illi cogniti, sperarent, ut uterque eorum, esset paternas virtutes feliciter imitaturus. Ceterum, cum *Ladislaus* ea jam esset ætate, qua militaribus exercitiis erat satis idoneus, a parentis latere, perquam raro discedebat. Quæ res causa erat, ut parens ipse, haud mediocri illum amore complecteretur. Animi magnitudine, nulli ætatis suæ juvenum erat secundus: humanitate, & liberalitate, quantum sua ferebat ætas, absque ulla

Digitized by Google

controverſia, ſummus. Quibus rebus fiebat, ut a cunctis Hungaris, paucis tamen ex invidis exceptis, incredibiliter diligeretur. *Mathias* vero, cum eſſet adhuc puer, quoties ejus parens verſabatur in rebus gerendis, domi apud Eliſabetham matrem educabatur, patri nihilominus erat admodum charus, & maxime amœnus; quippe qui in puerili ætate, erat tanta corporis dexteritate, tantaque excellentia ingenii, eratque adeo ornatus aliquot aliis virtutibus, quibus bene inſtituti pueri præditi eſſe ſolent, ut ad quævis magna natus, omnium prudentum virorum judicio, putaretur. Turcarum clade, Joanniſque Corvini morte accepta, *Uladislaus Rex*, & *Ulricus Ciliæ Comes*, quos metu perculſos, ob Turcarum adventum, ſupra oſtendimus perfugiſſe Viennam, rediit in Hungariam. Sequenti autem anno, decreto ejus, coactus eſt primatum omnium conventus, in oppido quod *Futackum* nominatur, quo totius Hungariæ res, quæ ob rei mutationem, turbatæ multifariam ſuperioribus temporibus fuerant, ordinarentur. Ad eum locum venit & *Ladislaus Corvinus*, Joannis Corvini filius, cujus modo meminimus, magno ſuorum militum agmine comitatus. Conſulto id fecit juvenis prudentiſſimus. Non enim ignorabat vetera odia, quibus parentem ſuum, ob invidiam, Ulricus Ciliæ comes, fuerat, dum ille viveret proſecutus: amici namque ei conſuluerant, ut omni ſtudio caveret ab Ulrico, propterea, quod ſicut Joanni Corvino olim adverſatus eſt, ita & eo animo ipſum eſſe, ut illius filium, capitali odio ſemper eſſet habiturus. Idque dicebant ſe non ignorare. Se namque haud dubie & animadvertiſſe, & accepiſſe a Regis aulicis, Ulricum ipſum adniti, non modo apud Regem minuere ejus exiſtimationem, verum etiam parare ei inſidias, per quas necaretur. Eo igitur adductus conſilio Ladislaus, armatorum manu ſtipatus, ad conventum, quem diximus, venit. Satis præterea ſuperque erat ei notus, inconſtantis Regis, quod eſſet juvenis, animus; qui Ulrici voluntate, cuncta adminiſtrabat. Soluto conventu, perrexit Rex *Belgradum*, ſeu Nandoralbam, viſurus loca illa, ubi Mahumetes caſtra locaverat, quo tempore id caſtellum obſedit. Nec minus percupiebat ibidem audire, quidquid geſtum fuit, vel a noſtris, dum rem defenderent Chriſtianam, vel a Turcis, dum noſtros & obſidebant, & expugnare nitebantur. Illic animadvertens *Ladislaus*, Ulrici animum, nulla placari humanitate, ſed magis magiſque in dies illum niti, ut Regem in ſui odium & indignationem adduceret, iræ impatiens, domum, in qua ille diverſabatur, ſe confert, tanquam eo iret animo, ut illi rem ſuam apud Regem commendaret. In illius itaque introductus cubiculum: *Deſine*, inquit, *poſthac, Ulrice, me meoſque injuriis laceſſere. Quod ſi in ſententia perſtiteris, efficiam, ut*

iras

Digitized by Google

iras in te meas, non plane ſine tuo magno malo, experiaris. Poſthæc alia quoque multa, ultro citroque dicta, quibus alter alterum haud tolerandis laceſſivit maledictis: ventum tandem ad arma. Id ubi ſenſerunt Ladislai milites, qui ante domus fores ſuum Ducem operiebantur, ruptis vi poſtibus, cubiculum ingrediuntur. Qui ubi conſpexerunt, illos ſtrictis enſibus, in mutuam irruere necem, impetum faciunt in Ulricum, continuoque illum interficiunt. Necis fama illico perfertur ad Regem, ipſi, & omnibus, quorum conſilio regebatur, ingens terror injectus. Quiſque enim ſibi timuit interitum, quippe qui verebantur, ne quis in ipſos a Ladislai militibus fieret impetus. *Ladislaus* confeſtim inde abiens, quam celerrime petit caſtellum, *Temeſuarum* nomine, ſitum in inferiori Pannonia, opere naturaque, & præſidio in primis munitum. Id eo factum ab ipſo eſt, quod illic morabatur *Eliſabetha*, ejus mater, una & *Matthias*, ejuſdem natu minor frater. Accedebat, quod id caſtellum eorum erat ditionis, in cujus imperium, paterna hæreditate ſucceſſerant. Rex itaque eodem & ipſe proficiſcitur, tentaturus videlicet, an ei illuc eunti Ladislaus reluctaretur. Quod ſi feciſſet, defectionis accuſari haud immerito poſſet, atque ita indignationem jure ſe in illum adductum, eam ob rem vi armorum illum debellandum. At vero ei caſtello propinquanti, *Eliſabetha* cum *Mathia*, filio tum adoleſcentulo, obviam, quanquam lugubri amicta veſte, occurrit, propter conjugis obitum, a cujus tempore, vix tunc annus agebatur. Exceptus eſt a prudentiſſima fœmina, magna cum obedientia, & habitus quam liberaliſſime. Id autem cauſa fuit, ut Rex Ladislao, ſuppliciter ad ſe venienti, perquam facile ignoverit. Quodque viſum eſt multo clementius, ipſum Matthiamque ejus fratrem, jurejurando promiſit, fratrum loco ſe, dum viveret, habiturum. Ceterum, mala mente, maloque animo, dolos meditabatur, uti poſtea rei exitus oſtendit. Paucis poſt diebus, cum *Budam* Rex adiiſſet, eodem & Ladislaus, & ceteri Hungariæ optimates perrexere. Regi erant acceptiſſimi complures, quibus Joannes Corvinus fuerat, dum eſſet in vita, admodum inviſus. Permoleſte quippe illi ferebant, ipſum, ob varias excelleneſque corporis animique dotes, de quibus mentio ſupra facta eſt, non apud Hungaros modo, verum etiam apud univerſas orbis terræ nationes, maximam ſibi gloriam auctoritatemque vendicaſſe. Eo igitur mortuo, decreverunt navare operam, ac prorſus hoc omni induſtria efficere, ut filii ejus vita eriperentur, ne quid vel generis, vel memoriæ tanti viri in Hungaria relinqueretur. Eo tamen maxime angebantur eorum animi, quod animadvertebant, Ladislaum eſſe juvenem ſtrenuum, ac manu promtum, & ad rei militaris uſum natum, ideoque

Digitized by Google

non erat eis ambiguum, quin, si vixisset, facile paternam gloriam esset tantus juvenis consecuturus. Mathiæ præterea præclara indoles, eos non parum movebat ad invidiam, cum ad rem bellicam, atque ad quævis magna natus videretur. His de causis, invidi, multa Regi suggerunt, multaque fingunt, multa mentiuntur, denique ea moliuntur, quibus tandem Rex, datæ fidei jurisque jurandi oblitus, impulsus est ad decernendum, ut Joannis Corvini filii, vita eripiantur. Cautius tamen agendum, quo res ex sententia peragatur. Spem itaque Rex vultu simulans, Ladislaum blande sæpe alloquitur. Jubet eum bono animo esse: *Hortatur, ut inter regios lætus versetur, fratris loco, a se absque ulla dubitatione ipsum semper habendum. Se juris jurandi quam optime reminisci.* His atque aliis ejuscemodi verbis, persæpe a Rege repetitis, effectum est, ut Ladislaus, inter Regis domesticos, incautius versaretur. Inter hæc, Mathiam ex Temesuaro, simulatis blanditiis, Budam accersit. Paucis post diebus, captato tempore, quo fieri res commode potuit, jubet utrumque fratrem, & comprehendi, & conjici in carcerem. Tertio a comprehensione die, lata in Ladislaum, ob necem Ulrici, sententia, eo præsertim, quod Regi fuerat consanguinitate propinquus, tanquam reus esset læsæ Majestatis, securi percussus est. Quod autem tunc accidit, maxima dignum admiratione, non est silentio prætereundum. Cum lictor, tertio ictu, caput amputare non potuisset; Ladislaus, quanquam erat manibus post tergum vinctus, viribus se suis erexit, stansque, *jure*, inquit, *evasi mortem, quandoquidem tertio percussus ictu, Dei benignitate adhuc superstum.* His ab eo dictis, atque a multis, qui adstabant auditis, illico processit per aliquot passus, sed impedimento longioris vestis, quam pede calcavit, concidit in terram. Ita nonnulli ex illis, qui ad ipsum necandum, perjurum impulerant Regem, jusserunt, ut quarto ictu a lictore percuteretur, atque ita extemplo extinctus est. Omnis Hungaria, præter paucos illos, qui fuerant mali conscii, ipsius indignam mortem, tulit quam molestissime. Plerique, profusis lachrymis, dolorem ingentem ostenderunt, parumque abfuit, quin ab iniquo Rege omnes defeciissent. *En*, inquiebant, *qualia præmia redduntur Joanni Corvino, cujus beneficio, Hungariæ regnum, toties defensum servatumque fuit, ne in Turcarum veniret potestatem.* Defectionem cohibuit armatorum ingens manus, quæ jussu Regis, supplicii locum, & quæ circa erant, longe lateque compleverat. Extincti corporis, nulla cura habita, delatum solum est ad sanctæ Mariæ Magdalenæ ædem, ibi regii milites, a Rege jussi, per noctem illud diligenter custodierunt. Ubi autem illuxit, in æde corporis Christi, absque ulla funeris pompa, tumulatum est. Tanti sceleris indignitatem, hæc subsecuta sunt mala.

Digitized by Google

ta. Ingentia populorum omnium Hungariæ, in Regem, ac in illos, quorum consiliis talia facere ipse ausus est, odia. Amici Joannis Corvini, quorum imperio multa castella & oppida munitissima parebant, a Rege defecere, a quibus, ubicunque fieri potuit, permulta Hungariæ loca, direpta, igni ferroque populata sunt. *Michael Zilágius*, Ladislai Matthiæque avunculus, vir domi potens, ac militari virtute insignis, coactis, undecunque potuit copiis, totam eam regionem, quæ *Transilvania*, dicitur, suæ ditionis fecit. Rex ipse timens ne Varadiensis Episcopus, Strigoniensisque Archiepiscopus, atque alii complures e regni optimatibus, qui fuerant Joanni Corvino amicitia conjuncti, a se deficerent, in carcerem ipsos conjecit. Ceterum, cum paucis post diebus, illi a suis adjuti, profugissent: metuens Rex, ne quid hostile, in ultionem illatæ injuriæ, illi molirentur, fretus Germanorum quorundam auxiliis, relicta Buda, *Viennam*, quæ urbs in Austria est, parens Imperio Frederici Imperatoris Romanorum, profectus est. *Matthiam* autem carcere eductum, ad eandem urbem duci voluit, ipsumque in arce regia jussit mancipari carceri, custodirique, quanta fieri potuit diligentia. Fama tunc in Hungaria tota percrebuit, Regem eo fuisse animo, ut Matthiam, sicut & Ladislaum, decreverit interficere. Id nihilominus Budæ, eo noluisse ipsum efficere, quod fuerit veritus, ne qua in Hungaria cooriretur seditio periculosior. Dum ergo Viennæ agens, versat animo exequi, quod cogitaverat, nova occurentia negotia, ipsum compulere, ut intermissis omnibus, quæcunque esset acturus, in Bohemiam quamprimum proficisceretur. Ita impedita est, perjuri Regis, de Matthiæ morte prava & iniqua voluntas; non plane humano, sed divino consilio: propterea, quod ad regiæ Majestatis culmen, ipsum fata servaverant. Haud multo vero postquam petivit Bohemiam, *Pragæ*, quæ civitas est totius gentis ac regni caput, diem suum obivit; veneno, uti plerique credidere; necatus, *anno humanæ salutis, quinquagesimo octavo supra millesimum & quadringentesimum* ætatis suæ anno undevicesimo, ex quo vero tempore regnare ceperat in Hungaria, anno quarto. Visus profecto est immortalis Deus, fuisse ultus injuriam, qua fuerant a Rege lacessiti, Joannis Corvini filii, cum eadem sequentis anni die, vita ille excesserit, qua jurejurando promiserat, se fratrum loco ipsos habiturum.

IN-

Digitized by Google

INDEX XXIX.

De Matthia Corvino in Hungariæ Regem electo.

Mortis Regis fama vulgata, quamprimum illi, quorum curare hoc intererat, decernunt, ut de more, in *Agro Peſtienſi*, ageretur optimatum conventus: quo & univerſi regni res componerentur, & Rex, pro veteri Hungarorum conſuetudine, eligeretur. Divino id conſilio, Beatæque Mariæ Virginis precibus, cujus patrocinio, res Hungaricas, Beatus Ladislaus Rex olim commiſerat, factum haud dubie fuit. Animos enim amicorum Joannis Corvini divertit, ut longe meliora cogitarent. Decreverant namque jam arma ſumere, in illos omnes, quorum iniquis ſuggeſtionibus, illius filii, affecti fuerant indignis, quas explicuimus, injuriis. Conſtituto itaque tempore, ad decretum locum, *Michael Zilagius*, qui, ut ante dictum eſt, Ladislai Matthiæque erat avunculus, una cum *Eliſabetha*, Joannis Corvini olim conjuge, magna armatorum manu ſtipatus, venit. Comites eis ſe præbuere, complures generis nobilitate atque auctoritate præſtantes viri, quorum erat non contemtui habenda potentia: fuerantque Joanni ſingulari juncti benevolentia. Convenerunt & eodem *Ladislaus Palatinus*, & ceteri, quorum conſiliis, illius filii, mala, quorum jam meminimus, paſſi ſunt. Dicto die, quo habenda erat de eligendo Rege mentio, cum nonnulli tunc propoſuiſſent, ac expreſſiſſent nomina eorum, quos cenſebant ad regiam dignitatem idoneos: ubi eſt ventum ad Michaelem, qui exprimeret, quod ſentiret: *Ego*, inquit, *non paucis dicam, quod ſentio; pace tamen omnium veſtrum loquar, cumque utilia rei noſtræ publicæ ſim allaturus in medium, oro, ut omni perturbatione animi ſublata, quæ dixero, audiatis. Maxime omnium, & eorum, qui propoſiti ſunt, & qui hoc loco proponentur, idoneum ad regnum arbitror Matthiam, Joannis Corvini filium. Id vobis, viri prudentiſſimi, & quidem jure optimo ſuadeo. Primum propter ejus egregiam indolem, deinde ob majorum ſuorum claritudinem, quæ ne altius ac longius repetam vetera, pleriſque veſtrum eſt, abſque ulla ambiguitate, notiſſima; poſtea propter corporis omniſariam dexteritatem, animique magnitudinem, ac morum miram, & quæ eſt ſupra adoleſcentis ætatem, elegantiam; poſtremo propter parentis ejus eminentiſſimi bello Ducis merita, qui regnum hoc noſtrum, id eſt patriam noſtram ampliſſimam, nos omnes, liberos, ceteroſque poſteros noſtros, Dei præterea & Sanctorum ejus templa, ipſamque religionem Chriſtianam, a Turcarum invaſione, ſua per omnia futura ſecula com-*

commendanda virtute, ſervavit. Niſi enim ipſe, ſuis armis, tam truculentis & potentibus hoſtibus obſtitiſſet, actum eſſet de regno, pro cujus deligendo Rege, ad hunc locum omnes convenimus. Niſi nobis Joannes tuliſſet opem, Turcarum hoc eſſet regnum, quod eſſe noſtrum, nunc affirmamus: niſi Joannes ſe variis ſæpe expoſuiſſet periculis, ut Turcarum ingentibus viribus iret obviam; ea impia, & Chriſtianæ fidei inimica natio, totam Hungariam, longe lateque poſſideret. Haud vobis ignota loquor, neque eadem latent exteras, quæ ſunt orbe toto, nationes. Ergo, quis unquam erit magis idoneus, quam evehamus ad tenendum regnum Hungariæ, quam filius ejus, per quem adverſus Turcarum impetus, ſæpe fuit adjuta, defenſa, ſervata omnis Hungaria? Hoc efficite, viri Hungari, ne Joanni, liberatori patriæ, & videamini, & ſitis ingrati. Non ero equidem falſus vates, quantum poſſum aſſequi conjectura, propter illas virtutes, quas Matthiæ ineſſe, diligentiſſima animadverti indagine, a paternis virtutibus haudquaquam degenerabit. Quod ſi ætas, quo minus fiat, quod ſuadeo, videatur fortaſſe eſſe impedimento; ne dubitate. Eſt quidem Matthias adoleſcens ætate; ſed prudentia ſenex. Id ipſe fateri poſſum, qui experimento novi, quanto qualive emineat ingenio; quanta præterea, qualive animi magnitudine præſtet. Ceterum, ne quid dubitationis veſtris hæreat animis, eligite eum Regem, & adhibeatis ei e vobis probos prudenteſque viros, quorum conſilio cuncta, dum licebit per ætatem, moderetur. Aliquot ex iis, qui ante me de eligendo Rege diſſeruere, multa quidem in medium attulere probatu digniſſima: eis nihilominus ipſe reluctor, quod eligendum nobis Regem, e Germania, vel Polonia, aut etiam ex Bohemia, cenſuere. Quid nobis cum Germanis & externis aliis nationibus? Scilicet ignoramus, in quantam perniciem inciderit hujus regni Reſpublica, ob ineptam adminiſtrationem complurium, quos ad regendam Hungariam, patres noſtri, ab aliena patria accerſiverunt. Piget, quæ mala paſſi illi ſunt, commemorare: dies quippe me deficeret, ſi ea vellem nunc, non modo referre, ſed etiam perſtringere. Ad id, unde parum diſceſſi, redeo. Si Matthiam vobis Regem conſtitueritis, non alienigenam, ſed membrum ex corpore regni veſtri, ſed fratrem, ſed filium, ſed veluti ſanguine conjunctum; denique veluti unum e vobis, qui vos omnes, ut concives & conterraneos, incredibili complectetur benevolentia, Regem habebitis. At vero, ſi qui præterea veſtrum mihi repugnent, dubitantes videlicet, ne ſi Matthiam Regem vobis deligatis, velit ipſe, poſt adeptam regni coronam, ulciſci, vel ſibi, vel Ladislao fratri, illatam injuriam, deſinant hi dubitare. Efficium ego, ut omnis illorum injuriarum memoria, ex ipſius Matthiæ, atque ex ſuorum omnium corde, in perpetuum deleatur. Ego, ipſeque, & quicunque nobis conjuncti ſunt, quavis neceſſitudine, non ſolum jurejurando, ſed alia etiam, quacunque via excogitari fierique poſſint, promittemus, nos omnia odia inimicitiaſque depoſituros, nec unquam in poſterum de vindicta

Digitized by Google

cogitaturos. His a Michaele dictis, mire persuasi omnes, uno consensu, Matthiam Regem quamquam erat absens, elegerunt. Nec ante solutus est senatus, quam fieret, quod faciendum Michael, de deponendis odiis inimicitiisque promiserat. Fuit ea electio, non modo optimatibus, sed plebi etiam acceptissima: concelebrata igitur est omni gaudio, animique lætitia & exultatione, atque applausu, quibus celebrari decuit rem, divino factam consilio. Dei, inquam, consilio ea electio facta est; propterea, quod nullo jure successionis majorum, erat *Matthias* ad Hungariæ regnum evehendus. Idcirco, antequam ad eligendum Regem Hungarorum, Magnates Pestum convenissent, nemo de ejus ad regiam dignitatem exaltatione, verba vel minima fecerat. Deo itaque auctore, cum primum in Matthiæ mentionem ventum est; tanquam delapsam cœlo vocem audissent, *universi nonnisi Matthiam se velle Regem habere*, conclamaverunt. Inspiravit quippe omnibus, mentem atque animum, immortalis Dei providentia, qui ante rerum conditionem, Joannis Corvini soboli, hoc est Matthiæ ipsi, Hungariæ regnum destinaverat. Eam ob rem, nullus mortalium potuit esse impedimento, quo minus Matthias, destinatam sibi divinitus regni coronam, unanimi totius Hungarici senatus consensu, adipisceretur.

INDEX XXX.

De Eliberatione, Reditu in Hungariam, & Coronatione ejusdem,

Dum ea gerebantur in Hungaria, *Matthias* captivus pene tenebatur apud *Pragam*, quæ est totius Bohemiæ metropolis, a *Georgio*, cui gentis lingua erat cognomentum *de Potebrat:* pro cujus rei notitia, pauca memoranda sunt. Paucis ante diebus, quam Uladislaus Rex incideret in morbum, quo postea fuit extinctus, per literas, ad se, ex Vienna accersivit Georgium ipsum; propterea, quod in ordinandis Bohemiæ rebus, expediret, ut ejus arbitrio uteretur. Ceterum, non ante ea urbe excedat, quam in arce locet tale præsidium, quali opus sit; cum ad cetera necessaria, tum præcipue ad asservandum carcere Matthiam, fidelem diligentemque custodiam. Bohemus is erat, qui omnis generis opibus, nobilitateque sanguinis, & auctoritate, cunctis suis conterraneis antecellebat. Quibus ex rebus fiebat, ut Regi esset incredibiliter charus, & acceptissimus, illiusque consilio maxime fideret. Accedebat, quod, quo tempore, per ætatem Rex ipse nondum erat aptus, ut

res

Digitized by Google

tes Bohemicas consilio regeret suo, ille adolescentulum eum educavit, quæ que attinuerunt ad regni curas, prudenter administravit. Cum autem non multo post, quam profectus est in Bohemiam, Rex contraxisset ægritudinem, qua tandem de ejus salute desperatum est: Georgius annulum extraxit e digito morientis, & quamprimum, aliquot e fidissimis, cum litteris nomine Regis scriptis misit, qui annuli imaginem ostenderent Viennensis arcis præfecto, illique juberent, ut absque ulla temporis protellatione, Matthiam mitteret ad se, per eosdem, qui litteras detulerant, nuntios. Hoc enim Rex Vienna excedens, præfecto arcisque custodibus, dederat signum, ut nulli hominum, de mittendo ad se Matthia, haberent fidem, nisi illis, qui demonstrarent litteras sigillo obsignatas suo, cujus imaginis similitudinem illis reliquerat. Fecit id Georgius, quod sperabat, se vim auri ingentem, pro Matthiæ liberatione consecuturum: quippe constanti ferebatur tunc fama, Elisabetham Matthiæ matrem, multum sibi auri argentique & ceterarum pretiosarum rerum thesauri, congessisse. Quocirca putabat, illam, cui nihil erat filio pretiosius, multum auri persoluturam, ut Matthias libertate donaretur. Inter hæc, extincto Ladislao Rege, ipse *Georgius Bohemorum Rex* creatur. *Matthias* vero, in Pragensi arce, ab ipso quidem liber carcere: sed adhibitis, qui illum custodirent militibus, detinebatur. Interjectis deinde paucis diebus, nunciatur Georgio, *Matthiam Hungariæ Regem electum;* nihilque restare aliud, nisi ut detur opera, qua indigna illa captivitate eripiatur. Ea re cognita, Georgius mirum in modum obstupuit. Ad se itaque accersito Matthia cepit primum illi gratulari, de tam insperato fortunæ beneficio, deinde multis usus est adhortationibus, quibus induxit illius animum, ut ejus filiam duceret uxorem. Postremo venit ad tractatus, ut videlicet gratitudinis causa, ob libertatem, qua esset donandus, efficeret, ut ab Elisabetha sua matre, aliquid præmii assequeretur; ne tam ingentis accepti beneficii, mater ac filius viderentur immemores. Egit primum illi Matthias, & pro læto nuntio, & pro gratulatione, gratias: mox respondens sibi propositis rebus, dixit se & libenter assentire conjugio, & daturum operam, ut tam ipse, quam mater, utantur gratorum hominum officio. Voti compos Georgius, illum abire permisit, adhibitis eidem compluribus & Bohemiæ optimatibus, qui illum, quo decuit honore comitarentur. Deductus est *Matthias* ab illis usque *Strazniczenum*, quod oppidum est in regione quadam, quæ portio est regni Hungariæ, Moraviaque vocitatur ab incolis. Eo convenerat universa Hungarorum nobilitas, quæ novellum Regem venientem operiebatur. Exceptus est ab illis summa lætitia: inde suorum ingenti sti-

Digitized by Google

patús cataverã, Budam conceſſit. Ad eam urbem, non modo permulti Reguli, ſed omnes etiam civitatum oratores, conceſſerant, ut Regi & ipſi, ut liceret, congratularentur. Suo igitur quiſque officio uſus, honorem ei, ac reverentiam, magno cum applauſu exhibuere. Ceterum, cum per ætatem nondum haberet *Matthias*, vel uſum, vel experientiam rerum (quintum decimum tunc annum agebat ætatis,) quibus ex ſe ampliſſimi regni rempublicam curare crederetur: placuit procerum ſenatui, adhibere ei, quouſque adoleſceret, *Michaelem Zilágium*, ejus avunculum, cujus ductu atque auſpiciis, regnum Matthias ſuum adminiſtraret. At vero ipſe, quamvis avunculi prudentiam & auctoritatem plurimi faceret, illumque, veluti divinum quoddam numen, veneraretur: innata tamen quadam ſui excellentis ingenii dexteritate, multa agebat ex ſe, quæ dignã plane erant prudentia ætatis grandioris. Accipiendæ, more Hungarorum Regum, coronæ ſolennitas, eo aliquanto temporis intervallo dilata eſt; quod ipſam apud ſe tunc tenebat Fredericus Romanorum, ut ante dictum eſt, Imperator. Qua non ſine ingenti difficultate recuperata, ſexto poſt electionem menſe, coronationis ſolennitas, eis, quibus decuit, lætitia & applauſu ſeculari, Eccleſiaſticisque ceremoniis, Albæ celebrata eſt; *Anno ab Incarnato filio Dei, ſexageſimo quarto ſupra milleſimum & quadringenteſimum*, die, quo tunc agebatur ſacroſancta Domini noſtri Jeſu Chriſti cœnæ memoria.

INDEX XXXI.

De Mahumete ab obſidione Caſtelli Jaicza depulſo.

Paucis poſt hæc diebus, quieti datis, cepit *Matthias*, ſuas omnes cogitationes ad ea convertere, quibus omnes, cum præteritarum diſcordiarum, tum futurorum diffidiorum cauſæ, ex univerſo regno tollerentur. Quare comparatis undique copiis, cogit exercitum, qui tantus fuit, ut eſſet ſecuritati ſubjectis, & adverſantibus formidini. Præſidia deinde valida, collocat in locis, quibus major eſt viſa neceſſitas, in regni præſertim finibus, ut ſi quid hoſtile ingrueret, obviam illi iretur facilius. Curat præterea, ut ſi quid in Hungaria turbatum eſſet, propter & regni mutationem, & novitatem rerum, reducatur in tranquillitatem. Ita ordinatis Hungariæ rebus, nuntiatur Matthiæ, *Mahumetem* Turcarum Imperatorem, cum magno bellicarum omnis generis rerum apparatu, ve-

Digitized by Google

veniſſe in *Boſnam*, quæ regio eſt portio quædam montanæ Dalmatiæ, cujus habitatores colunt Chriſtum, juxta orientalis Eccleſiæ ritum. Nec multo poſt fama ad Matthiæ pervenit aures, illum circumſediſſe *Jaiczam*, quod caſtellum in eo regno, eſt & loci natura, & muri cum altitudine, tum latitudine, munitiſſimum. Cumque eſſet ipſius Matthiæ ditionis, nihil ulterius protelandum ipſe ratus; ita, ut erat valide inſtructus, copias ducit in Boſnam, adverſus Mahumetem, belli pugnæque fortunam tentaturus. Ejus rei, ut ille per exploratores certior eſt factus, ſentiens præterea, Matthiæ exercitum, eſſe & juventute florentem, & annis roboreque militum, ac tormentorum vi magna, validiſſimum: ratus, non eſſe tutum, cum inſtructiſſimo hoſte confligere, perterritus, caſtra movere, ſuoſque omnes e loco diſcedere, eoque unde venerant redire juſſit. Qua re effectum eſt, ut ob repentinam fugam compulſus ſit, ibidem bellicas omnes machinas, æneaque tormenta, in hoſtis poteſtatem relinquere. Pro cujus victoriæ felici eventu, Matthias egit immortali Deo gratias, cepitque inde ſperare, fortunam divino favore, ceteris in poſterum gerendis a ſe rebus, ſemper aſpiraturam.

INDEX XXXII.

De Expeditione Matthiæ Regis contra Tranſilvanos.

Anno, qui inſecutus eſt, *Bohemum* quendam, *Suillam* nomine, qui coacta magna prædonum manu, res novas moliri parabat in Hungaria, in oppido, cujus nomen eſt *Coztolian*, circumſeſſum ac debellatum, cepit; deque eo, atque illis, qui cum eo capti ſunt, ſumſit ſupplicium. Poſthac vertit in fugam exercitum Tranſilvanorum. Hi populi, quamquam tenent portionem quandam magnæ Germaniæ, ideoque magna ex parte, lingua loquuntur Germanorum: Hungarorum tamen Regibus, a multis jam annis antea paruerant. Ceterum, in regni Matthiæ initiis, conſtituto ſibi Principe, qui illis præeſſet, rebellavere. Adniſi autem ſunt, ante omnia impedire aditus Regionis, ne videlicet in ipſam Tranſilvaniam, copiæ regiæ ingrederentur, non enim facilis eſt ad illam acceſſus. Silvæ namque multis in locis denſiſſimæ, in aliis autem aſperæ alpes, reddunt regionem, omni ex parte, aditu difficillimam. At vero urgente Rege, Hungaricæ copiæ, vi ſtrenue facta, irrumpunt; viaque pateſacta, Tranſilvanis invitis, multiſque illorum interfectis, penetrant circumquaque loca

Digitized by Google

omnia, tandemque in eam provinciam perveniunt. Illi, cum primum Regem, equo armisque insignem, jam introgressum conspiciunt, veluti viso fulmine, vertuntur in fugam. Insecuti regii illos profligant . multi illorum vulnerati, multique interfecti. Qui vero in urbibus sese continuerant, audita victoria, nihil morati, deditionem faciunt. Plebibus venia a Rege data: illis autem, qui populis persuaserant defectionem, parum profuit suæ pœnituisse infidelitatis; fuerunt enim suis & privati honoribus, & spoliati dominatibus. Est *Transilvania* ferax omnis generis frugum, vini laudatissimi, multorum generum fructuum optimorum; qualia sunt, pruna, quæ vocant Damascena, mala, cerasa, & pira, quorum pleraque eximiæ sunt magnitudinis. Fert linum, crocum, equos & abunde & optimos. Abundat & aliis, & quidem multiplicis generis pecoribus, propter & cœli clementiam, & pascua lætissima. Fodinæ in ea sunt auri, argenti, æris, ferri, salis, plumbi, lapidicinæ multæ, albi præsertim rubriquo marmoris. Gignit alabastrum, cristallumque in primis laudatum. Hominum ingenia magna excellentiaque, ad ea præsertim aptissima maximeque versatilia, quæ manu fiunt. Pleraque hominum corpora, procera sunt statura; multæ in ea pulcherrimæ urbes. Brevibus multa complectar, quidquid est in regno Hungariæ laude dignum atque excellens, quod attineat ad nobiles, & honorata appellatione opifices, atque ad eas artes, quas appellant mechanicas, id totum apud Transilvanos habetur. Testificari id equidem possum, & ceteri, qui viderunt, videntesque mire obstupuerunt.

INDEX XXXIII.

De Expeditione in Moldaviam, & contra Hussitas, nec non de Electione ejusdem in Regem Bohemiæ.

Rebellaverat & *Moldavia*, cujus regionis incolæ, Hungarorum quoque Regum antea parebant Imperio. Quo igitur ipsam recuperaret, instructo exercitu, transmittit alpes, trans quas sita est ea Regio, quæ & ipsa est quædam magnæ Germaniæ portio. Parvi momenti fuit, ut eam redigeret in potestatem. Quod ubi est factum, duxit legiones ad oppidum *Bánya* nomine, in cujus agro castra posuit. Ipse vero cum magna procerum ac militum parte, ad oppidum se contulit, ubi aliquot dies quieti se daturum decreverat. Dominabatur tunc universæ provinciæ, quidam singularis audaciæ homo, cui *Stephano*

erat

Digitized by Google

erat nomen. Is coacta e ſuis popularibus magna armatorum multitudine, dedit operam, ut de ſecunda noctis vigilia, per amicos, multis in locis oppidi, ubjicerentur incendia, quibus & Rex, & regii omnes, ſomno vinoque ſepulti, concremarentur: ipſe vero interim, regia caſtra adoriretur, victoriamque adeptus, liber ab Hungarorum Regum Imperio fieret. Ceterum, cum primum fulgere crepitareque ceperunt incendia, ſomno ſe Rex repente excuſſit, animadverſaque proditione, tubarum clangore, ſuos e ſtratis ſubito correptos, arma in proditorem juſſit capere, itidem & in caſtris factum. Regii itaque, jam patefactis inſidiis, magno animo ruunt in Stephanum, & in eos, qui illius juſſu, ſcelus admiſerant proditionis. Et cum incendiis, quibus conflagrabat oppidum, tum præcipue lunæ adjuti lumine, multos adverſariorum occidunt, nec ſegniter illi obſtiterunt. Quatuor ferme horas, ancipiti Marte pugnatum: ad extremum, a Rege cohortati Hungari, remque incredibili ſtrenuitate gerentes, Stephanum cum ſuis, qui fuerant ex ſtrage relicti, ad fugam compellunt. Multi nihilominus ex illis capti, capta & arma, ſigna ipſa in glorioſæ victoriæ memoriam, Rex Budam reverſus, in Baſilica Beatæ Mariæ Virginis locavit. Interjectis deinde paucis annis, cum præclara tot egregiorum facinorum Matthiæ fama, tota Europa vulgaretur: a Pontifice Maximo, ſacriſque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ patribus cohortatus, ac tandem perſuaſus, piam ſuſcepit adverſus *Huſſitas* expeditionem. Quo autem majore animo bellum tale ſuſciperet, hanc adjecit mercedem Pontifex: quidquid Bohemiæ, etiam ſi totum caperet regnum, ſuæ eſſet ditionis. Sunt Huſſitæ Bohemi illi, qui ſectantur Joannis Vicleffi damnatiſſimam hæreſin, de qua memoratum mihi ſatis fuit ſupra, libro hujus operis, XX. Contra eos hæreticos, ſeptem annos geſſit bellum fortiſſime; ſæpe cum illis certavit; ac ſemper Dei adjutus auxilio, fuit victoriam aſſecutus. Eo bello, ſuo imperio parere coegit eam regionem, quam nominant *Moraviam*, eamque, quamvocant *Sileſiam*, & eam, quæ dicitur *Luſatia*: quæ non ſunt contemnendæ Bohemici regni portiones. Idcirco gloria virtutis ejus adducti Bohemi Catholici, Georgio illorum Rege hæretico extincto, Regem ſibi ipſum elegerunt: indeque ipſi Matthiæ, gloriæ titulus acceſſit, ut non modo Hungarorum, & dicatur & ſit Rex, verum etiam Bohemorum.

IN-

Digitized by Google

INDEX XXXIV.

De Caſimiro Polonorum Regis Filio, a Rebellibus in Hungariam introducto, & a Matthia profligato.

Ceterum, dum animum intendit, ad res novi regni ordinandas: ſolita rerum humanarum fortunæ mobilitas, perturbare omnia cepit, magnaque ex parte ejus obſuit conſilio. Nonnulli namque ex Hungariæ primoribus, proſperis Matthiæ invidentes ſucceſſibus; res moliti ſunt novas, quæ hujuſmodi fuere: ut, dum ipſe moraretur in Bohemia regnum ei adimeretur Hungariæ. Talium conſiliorum principes fuere, *Joannes Strigonienſis Archiepiſcopus*, & *Joannes Epiſcopus Quinque-Eccleſienſis*. Erant hi natione Dalmatæ, humillimo loco nati, de quibus erat Matthias bene meritus: quippe qui fuerat auctor, ut illi ad eas præſulatuum dignitates eveherentur. Regiam igitur beneficentiam, nonniſi maxima ingratitudine compenſavere. Hi Poloniæ Regis filium, *Caſimirum* nomine, cum multis Polonorum legionibus, in Hungariam intromiſerunt, ac ante omnia, *Nitrienſem arcem*, loci natura armiſque munitiſſimam, illius poteſtati tradiderunt. Id ubi reſcivit Matthias, relicta Bohemia, advolat in Hungariam, ipſumque Caſimirum, manu valida obſidet. Quem oppugnando, eo ad extremum perduxit, ut deſperans ille locum ſe poſſe tueri ulterius, nocte inde egreſſus, profugerit. Ea re cognita, Matthias, Polonorum copias, & eas, quæ tutatæ fuerant arcem, & alias omnes, quæ alia complura per Hungariæ fines occupaverant loca, adortus eſt, deque ea gente, cladem edidit miſerabilem. Ex proceribus, qui capti ſunt, multos miſit ad urbem Budam, quo, tam celebrem adeptum ſe fuiſſe victoriam, illorum captivitate, ſuis oſtenderet popularibus. Copiarum poſtea magnam partem miſit, qui Poloniam, omnibus, quibus fieri poſſet modis, popularentur. At vero cum ei eſſet nunciatum, *Caſimirum* Polonorum Regem, in regione, quam appellant *Sileſiam*, parare multa armatorum millia, in ſuorum Hungarorum exitium: alterum cogit exercitum, Sileſiamque ingreſſus, quam celerrime petit *Vratislaviam*, nec procul ab ea urbe caſtra metatur. Quod ut primum accepit Polonus, dat operam, ut ſuus augeatur exercitus; accerſitis cunctis, qui valere poterant armis, ex ſubjectis ſuæ ditioni gentibus, non modo Polonis, ſed Ruthenis, Lithuaniſque, ac Tartaris. Omnibus igitur ad rem gerendam comparatis, adverſus Matthiam, Vratislaviam verſus contendit. Ad cujus urbis, agrum ubi pervenit, compoſito agmine, tantum

Digitized by Google

tum confecit itineris, quantum fuit ei visum, non plus mille passuum intervalli, inter suum & Mathiæ exercitum intersesse. Itaque e conspectu castrorum illius, sua castra ipse locavit. Magna quidem fuit hominis hujus audacia; sed nequaquam rem vel gessit, vel confecit, eo, quo cepit animo. Obfuit enim ei hoc maxime, quod quamquam ejus exercitus abundabat, majore armatorum multitudine, Hungari tamen erant, cum animo, tum virtute, longe superiores. Quod ut intellexit Polonus, animo fractus, non ausus est cum Hungaro conserere manus. Id animadvertens Matthias, curam dat cum pluribus e sui exercitus copiarum ducibus, ut a diversis partibus, hostilia castra adoriantur. Ea jussa ubi illi sunt executi, Polonos, nihil tale suspicantes, ingens invasit formido. Multi namque ex illis, qui egressi castris, vim repellere voluerunt, cæsi sunt; alii, acceptis vulneribus, confugerunt ad castra; innumeri fere capti. Ex quorum numero singulos, qui obscuri erant & generis & nominis; jussit Matthias signari in facie, notabili vulnere, indeque donari libertate, ut reversi illi ad suos, Hungariæ gentis in Polonos iras testificarentur. Constituerant Poloni, duobus in locis castra, fossa valloque, ac fortium virorum firmata præsidio: hoc consilio, ut in illis primum exciperentur commeatus, qui ex amicis comportabantur civitatibus; deinde vero militum adhibita custodia, ad regia castra tute conveherentur. Prudentum plane virorum id fuisset consilium, si diligentius ab ipsis esset provisum, quale consilium, quantæque essent vires hostis, adversus quem ceperant arma. Ipse namque Matthias, excellenti illa, qua præditus erat ingenii vi, illorum solertiam irritam fecit. Nactus enim tempus ad hoc idoneum, bina illa castra adortus est, eaque diripuit, ac delevit incendiis: utque hostem majore concuteret terrore, misit *Stephanum*, cognomento *de Zapolia*, totius exercitus sui Ducem, virum bellica virtute insignem, cum quadam parte copiarum, quæ tendens in Poloniam, omnem Regionem popularetur, & quidquid ei fieret obviam, igni ferroque absumeret. Ea re effectum est, ut adductus Polonus Rex, in summa rerum desperatione, pacem peteret, quam nequaquam abnuit Matthias. Ventum igitur ad colloquium. Post multa autem ultro citroque dicta, tandem inter utrumque Regem, pax benigne atque honeste composita, in hanc perseverat diem. Habuit Matthias, Polonum, suosque omnes adeo liberaliter, ut nihil supra dici facile posset. Mirifice postea Regem ipsum donatum, a se Matthias dimisit. Ita summo ille affectus stupore, in suum se regnum recepit.

Digitized by Google

INDEX XXXV.

De Expugnatione Sabacz Caſtelli Turcici, & de bello contra Fredericum Romanorum Imperatorem in Auſtria geſto.

Poſt hæc reverſus *Matthias* ab ea expeditione, obſedit atque expugnavit caſtellum illud, fama, ævo noſtro, ob rem apud ipſum fortiter geſtam, inclytum, cui nomen eſt *Sabacz*. Condiderant illud Turcæ, ad ripam Savi fluvii, ut eis eſſet tuta quædam ſedes, locuſque aptus, ad invadendam Hungariam; ſi quando res exigeret, ut illorum Imperator, indicturus eſſet Hungaris bellum. Struxerant illud ex materia, circumdederantque ligneo muro, quem crebræ turres, magno miroque erectæ artificio, reddiderant tum viſu pulcherrimum, tum expugnatu difficillimum: non deerant defenſores, non omnis generis arma, non foſſa, non vallum; breviter, non cetera omnia, quibus judicari potuiſſet, eſſe id caſtellum humanis vel viribus, vel ingeniis inexpugnabile. At Matthias, cui non deerant vel vires, vel animus, neque oppugnandarum urbium experientia, ſed neque ſolertia; qua uti plerumque ſolent eminentiſſimi bello duces; invenit tandem viam, quo caſtellum illud omnifariam munitiſſimum, in ſuam redegerit ditionem. Poſtremo laceſſitus injuria, ſuſcepit bellum adverſus *Fredericum tertium*, *Romanorum Imperatorem*, de qua ſupra mihi mentio habita eſt. Multa inter eos commiſſa prælia; ſed Matthiam adeo aſpexit fortuna, ut datum ei ſit, ut ſemper fuerit victoriam aſſecutus. Ad ultimum Fredericus, vel quod eſſet hoſti impar viribus; vel quod eſſet affectus deſidia, propter quam tæderet ipſum reluctari adverſario; ſive, ut plerique affirmant, adductus avaritiæ vitio, cum noluiſſet effundere auri theſauros, quos in omni ſua vita fertur ingentes congeſſiſſe, bello abſtinuit: & tanquam fugere viſus, quæ ſua ſuorumque fuerunt majorum, hoſti capienda reliquit. Atque ita *Matthias*, *Ducatum* pene totum *Auſtriæ*, quam regionem veteres appellavere Noricum, *Styriamque*, atque *Carinthiam*, opulentiſſimas magnæ Germaniæ portiones, per tot retro Duces Auſtriæ poſſeſſas, ditioni ſubegit ſuæ. Reſtiterunt quidem Matthiæ viribus Auſtrienſes, ſui principis expectantes opem: ſed ille, quod ceperat, perſecutus, vi tandem ipſos compulit, ut dederentur; victis autem, data a Rege clementiſſimo venia. Multæ ſunt in Auſtria perpulchræ nobileſque civitates, multaque oppida atque caſtella, miris ædificiis inſignia: ſed urbs *Vienna*, cui nomen eſt inditum a parvo fluviolo, qui ipſam præter-

Digitized by Google

terlabitur: & ea quæ dicitur *Nova civitas*, cunctis antecellunt pulchritudine, amœnitate ſitus, nobilitate, ingenioque habitantium, mira ſtructura, ornamentiſque ſacrarum ædium, copia divitiarum, denique aliarum multarum rerum, quarum indiget mortalium uſus, mira abundantia. De utraque harum urbium, meminit *Æneas Silvius* in epiſtolis. Ille, inquam, Æneas, qui poſteaquam in Germania, apud Imperatorem, de quo mihi eſt hoc loco mentio, multum ſuæ vitæ conſumſit; ad ſummum Romanæ Eccleſiæ Præſulatum evectus eſt. *Novam* namque *civitatem, hortos* vocat *Heſperidum, paradiſumque deliciarum:* propterea, quod ibi omne pomi genus gignitur, ſuapte natura, ibique plurimæ aquarum ſcaturigines, prataque viridantia, quæ verno tempore, florum mira varietate, veluti ridere videntur. Hæc in loci ſolique laudem vir doctiſſimus ſcripſit. Sed urbis pulchritudinem, quæ plane magna eſt, prætermiſit. Longe plura dixit de urbe Vienna, de qua neque ea, quæ digna ſunt laude, neque ea, quæ merito ſunt vituperanda, ſubticuit. At vero ego, ex ſua illa tam egregia urbis deſcriptione, ea tantum, quæ ſunt laudis, non quæ ſunt vituperationis, attingam. Sed & ipſe, adjeci ſuæ deſcriptioni pauca quædam, quæ omittenda non cenſui. *Vienna*, inquit, *muri ambitu, duorum millium paſſuum, cingitur; ſed habet ſuburbia maxima. Murum ambit foſſa, ac vallum aggerque peraltus. Murus ipſe ſublimis & amplus, debitiſque intervallis habens turres & expugnacula, veluti ad certamen parata. Ab oriente eam præterfluit Danubius, qui urbis agrum, ſuo decurſu, undique reddit amœniſſimum. Civium ædes, amplæ ſunt & ſublimes, quibus tum intus, tum extra, ſuis non deeſt decor. Parietum domorum, firma ac ſolida, artificioſaque ſtructura. Quippe cum unaquæque pene aptas habeat fornices, & aulas, pro domorum magnitudine latas. Habet unaquæque ſua æſtuaria, quas vocitant Stuphas. Hyemis enim rigorem & aſperitatem, eo modo mitigant Germani, ac ceteræ gentes, quæ longe lateque tenent regiones, glaciali polo propinquiores. Feneſtræ domorum vitreæ ſunt, oſtia vero ferrea. Habitantium, multa & munda ſuppellex. Equorum capacia ſtabula. Hoc unum eſt de decori urbi, quod pleræque domus, non fictili, ſed lignea tegula operiuntur. Ingreſſus privati cujuſpiam domum, in ædem alicujus principis te introiviſſe putabis. Nobilium privatorumque domus liberæ ſunt, neque civitatis magiſtratus, in eis aliquid juris habent. Cellas vinarias, ſub ædium ædificiis conſtruunt, quæ ſunt adeo profundæ & ſpatioſæ, ut non minus ſub terram earum ſtructura tendatur. Viæ urbis lapide adeo duro ſtratæ, ut neque plauſtrorum rotis facile conterantur. Deo ac Sanctis ejus dicata templa, ampla ſunt ac ſplendida, ſecto erecta lapide, vitreiſque & varii coloris, longis latiſque feneſtris pellucida, & columnarum mira arte laboratarum ordinibus, altiſſimis præterea, nireque artificioſe teſtudinatis,*

tectorum culminibus admiranda. Sanctorum plurimæ pretioſæque reliquiæ, argento & auro, gemmiſque veſtitæ. Templorum mirus ac multus ornatus, diveſque ſupellex. Sacerdotes, pluribus bonis abundant. Qui clero præeſt, apud S. Stephanum, ſoli Romano Pontifici ſubeſt. Civitas, Patavienſis eſt Diœceſis; ſed filia eſt matre major. Eſt & Viennæ monaſterium, in quo meretrices, ad Deum converſæ recipiuntur, quæ canonicis horis, hymnos Deo, Teutonica lingua, decantant. Earum ſi qua deprehenſa fuerit redire ad peccatum, in Danubium præcipitatur. Agunt igitur in eo cœnobio, pudicam ſanctamque vitam; ita, ut rarus de illis ſermo malus audiatur. Eſt & hic ſchola nobilis liberalium artium, Theologiæ quoque ac Juris Pontificii, nova tamen, & ab Urbano VI. Romano Pontifice conceſſa. Ingens ſcholaſticorum numerus eo confluit, ex Hungaria atque ex Almaniæ partibus ſuperioribus. Civitatis populus, quinquaginta millium communicantium creditur. Conſulatus decem & octo virorum eligitur; tum Judex, qui juri reddendo præeſt; deinde magiſter civium, qui curam gerit civitatis, hos principes aſſumit, quos in civitate ſibi fideliores arbitratur, eoſque adigit ad juſjurandum. Magiſtratus nulli alii ſunt, niſi qui vini exigunt vectigal, ad ipſos autem omnia referuntur; quorum poteſtas annua eſt. Incredibile videri poteſt, quænam, & quot, qualiaque e rebus humano victui pertinentibus, ſingulis diebus, Viennam comportantur. Ovorum atque cancrorum multæ quadrigæ. Panis diverſæ formæ, diverſæque materiæ ac magnitudinis. Carnes, piſces, volatilia, ſine numero offeruntur. Ubi adveſperaſcit, nihil venale ex his invenies. Vindemia his ad quadrageſimum diem protenditur. Singulis diebus, trecenti ferme currus, vino onerati, bis terve inferuntur. Supra mille & ducentos equos, in ſingulos etiam dies, ad opus vindemiarum, Viennenſes exercent. Itaque dictu eſt incredibile, quanta vini copia in urbem inducatur: quod intra annum, vel Viennæ bibitur, vel ad externos, per Danubium, contra curſum aquæ, magno labore tranſmittitur. Hactenus de Vienna. Ad noſtram redeamus narrationem.

INDEX XXXVI.

De variis diſcordiarum cauſis inter Fredericum Romanorum Imperatorem, & Matthiam Hungariæ Regem.

Poſtulat locus, ut oſtendantur cauſæ, quibus adductus Matthias, & geſſerit adverſus Fredericum bella, de quibus ante dictum eſt, & Auſtriam in ſuam poteſtatem redegerit. Prætermitto illam, qua contractum eſt aliquid alterius in alterum odii, cum negatam Hungarorum Regum coronam, armis,

ut

Digitized by Google

ut ſupra oſtendi, a Matthia recuperari oportuit. An autem Fredericus eam detinuerit, quod ob invidiam ægre tuliſſet, Matthiam tunc adoleſcentulum, Hungariæ fuiſſe creatum Regem, ut multi crediderunt, aut aliis de cauſis, incertum ego habeo. Hoc nihilominus ſatis conſtat, poſt reſtitutam coronam, alterum cum altero rediviſſe in gratiam. Aliæ igitur diſcordiarum cauſæ reddendæ ſunt. Georgius ille Bohemorum Rex, quem Pius olim Pontifex Maximus, judicio condemnavit anathematis; propterea, quod declinaverat in hæreſim Huſſitarum: gravi admodum bello, Fredericum ipſum, qui nihil tale ſibi metuebat, laceſſivit. Miſit enim filium Victorinum ſuum, cum numeroſo exercitu, in Auſtriam: cuius non exiguam partem, & quidem non ſine variis ac miſerabilibus vaſtationibus ſuis, occupavit. Urbem autem Viennam, ubi tunc Fredericus agebat, circumſedit: ratus, eam haud facile capi a ſe poſſe, cum eſſet muro & armis, validoque præſidio munitiſſima. Ille ita obſeſſus, ſcribit ad Matthiam, ſupplex eum orans, ut in tanto rerum diſcrimine, opportuna ei ferat auxilia: contra præſertim hoſtem, qui Huſſitarum impio infectus dogmate, Catholicæ fidei, veritatique adverſaretur. Annuit Matthias, nec diu moratus, ſua ipſius impenſa, coactis inſtructiſque copiis, quae poſſent Bohemo haud dubie opponi, Viennam verſus contendit. Ad cujus urbis agrum ubi pervenit, primum compoſuit agmen, deinde proceſſit ad loca, hoſtis caſtris ad mille paſſus propinqua; vel ſua caſtra idoneo in loco poſiturus, vel ſe laturus primo impetu in Bohemos, rem videlicet geſturus, ſi id neceſſitas committendi certaminis exigeret. Matthiæ adventus, adeo magnum Bohemis injecit terrorem, ut non ſolum ei adventanti, eorumque propinquanti caſtris, nihil obſiterint; ſed ſoluta obſidione, diſceſſerint. Ita obſeſſus Cæſar, ope virtuteque Matthiæ, a Bohemorum invaſione, vitæque periculo, ac maximo decoris rerumque ſuarum detrimento, ereptus eſt. Nec tamen deſitit Rex, quo minus excedentes hoſtes, magno animo ſuerit tantiſper inſecutus; dum pervenerunt ad loca, Bohemiæ finibus proxima. Illic, cum ſua caſtra Victorinus poſuiſſet; haud veritus eſt Rex non procul ab illo ſua caſtra locare. Decrevit enim, non prius inde abire, quam Bohemus, vel in ſuos ſe reciperet fines, vel ſi perſtare illic mallet, ſuis ipſe deductis copiis, collatis ſignis, prælii fortunam tentaret. Haud ignarus Victorinus, qualis eſſet Regis animus, ſibi timuit: propterea, quod ſatis animadvertebat, ſe viribus eſſe inferiorem. Nihil igitur ſibi potius eſt viſum, quam mittere ad Imperatorem nuntios, qui cum eo de pace agerent. Ubi itaque inter nuntios & Imperatorem, multa, ea praeſertim quae in rem fuere, ultro citroque dicta ſunt, utque leges concordiæ utriſque placuere

Digitized by Google

cuere : pax inter ipſos, Matthia in conſulto, penituſque inſcio, compoſita eſt. Id ubi eſt factum, abſque ulla mora, auxiliares copias, quas Matthiæ exercitui conjunxerat Imperator, revocavit. Id ipſum eo fuiſſe, conſtanti tunc fama percrepuit, quod ſuis revocatis copiis, ſibi Fredericus perſuadebat, Matthiam, quaſi nihil tuliſſet opis, in ſuum regnum inglorium rediturum. Ita Frederici, ſeu pravitate, vel ingratitudine, aut animi evitate factum eſt, ut Rex tam ingens bellum fruſtra ſuſcepiſſet, utque omnis ejus labor, diligentia, cura, impenſa, quae graviſſima fuit, irrita fieret. Quodque fuit longe iniquius, cum primum Matthias, præter ſpem illius, divina fretus ope, domum rediit, ille ſuſcepti beneficii immemor, ſæviſſimum ſe hoſtem geſſit; quippe qui in Hungariam miſſis frequenter legionibus multa illic loca invaſit, diripuit ferroque ac crebris vaſtavit incendiis. Nec ſatis ea illi fuere: ſuis ſuggeſtionibus effectum eſt, ut a Caſimiro Poloniæ Rege, gravibus injuriis, belloque perdifficili laceſſeretur: quamvis antea, magna fuerint conjuncti benevolentia. Effecit enim, ut a Bohemis, Huſſitarum dogma ſectantibus, mortuo Georgio, Caſimiri natu major filius, Caſimirus & ipſe nominatus, Bohemiæ Rex eligeretur. Quæ res eo fuit iniqua, & idcirco Matthiæ perquam moleſta, quod ante fuerat ipſe jam ad id regnum evectus; non modo electione Catholicorum Bohemorum, ſed decreto quoque Pauli Romani Pontificis, ut ante dictum eſt. Ipſe præterea Cæſar, eam Bohemorum electionem confirmaverat, publicis monumentis litterarum; ac tradiderat ei regni poſſeſſionem, quam vulgo vocitant *inveſtituram*, cujus tradendæ Cæſaris conſuevit eſſe poteſtatis. Ea monumenta firmaverat Fredericus, omni vigore ac robore, juris etiam jurandi religione. Compulſus igitur fuit Matthias, jura quæſiti ſibi regni tueri, obviamque ire Poloni conatibus, qui regnum alienum invaſit. De armis autem, quæ inter ſe contulere quoquo modo & bellum finitum ſit, ſatis meminimus ſupra, quam viſus eſt locus exigere. Aliæ deinde bellorum cauſæ occurrerunt. Aliquot interjectis menſibus, Imperator, nulla nova a Matthia provocatus injuria, permiſit Germanorum quaſdam copias, fines Hungarorum, infeſtis ingredi armis: qui multas facientes excurſiones, multa loca, quorum incolæ nihil hoſtile metuebant, longe lateque populati ſunt. His malis commotus Matthias, primum miſit & ipſe ſuas copias, quæ Germanorum, comprimerent audaciam, omnique conatu efficerent, ut illi e regni ſui finibus pellerentur. Id ubi factum eſt, non plane ſine Germanorum miſerabili clade miſit Matthias legatos, qui adhortarentur Imperatorem, ut ulteriore abſtineret injuria: ſatis ſuperque ſe toleraſſe, ſuiſſe toties ab illo ſe laceſſitum. Tolerantiæ cauſam fuiſſe, quod

illum

Digitized by Google

illum semper habuisset parentis loco: at vero, si decreverit perstare in sententia, ut armis velit secum contendere, nihilo plus agat, quam expectet potentissimum suorum Hungarorum exercitum, qui cunctas illatas sibi injurias, libens & forti animo ulciscatur. Cum vero neque semel, neque iterum missis legatis ac nuntiis, Fredericus bello desisteret: Matthias, cum universo instructoque exercitu, movet ex Hungaria, ducitque Germaniam versus, cujus ingressus fines, cepit circumquaque excurrere, quidquid ve occurrit locorum, invadit, diripit, vastat, incendit. Ex iis autem, quae ex direptione habita sunt, militi multa concedit: ingentem enim, omnis generis praedam, congessit. Cum suis occurrit Fredericus legionibus. Quoties utriusque Ducis copiae conseruere inter se manus, toties Matthias victor evasit. Inter belligerandum, persaepe inter ipsos induciae factae: sed semel iteramque, ac tertio, a Frederico violatae. Tantae ejus inconstantiae causas, non Hungarorum modo, sed Germanorum etiam plerique, tribuunt senectae, qua pene confectus est. Quanquam sunt non pauci, qui affirmant, ea, hisque similia, non Frederici voluntate facta; sed consiliis quorundam pravorum hominum, quorum Principes, ajunt fuisse Antistites illos Ecclesiarum, quarum nomina supra expressimus. Factis tandem in aliquot menses induciis, quarum fide, uterque cum suis copiis domum redit. Interhaec, dum occuparetur Matthias gravi bello, quod gerebat adversus Turcas; quorum ingens multitudo irruperat in Hungariam: nulla induciarum habita ratione, misit Fredericus legiones, quae ingressae Hungariam, omnia infesta facerent, nec sine magna quaesita praeda, domum reverterentur. Eam ob rem, oportuit Matthiam desinere a bello illo justissimo, atque utcunque fieri potuit, cum Turcis, ad honestas venire inducias, animumque ad rei suae defensionem convertere. Eodem anno, cum opus fuisset Matthiae procedere obviam Beatrici, destinatae sibi uxori, puellae formosissimae ac sapientissimae, Ferdinandi Regis filiae, quam a patria, promiscui sexus nobilissimi generis homines comitabantur, esset que Matthias ipse, obviandae honorandaeve novae conjugis, variis implicitus curis: Frederici copiae, ipso jubente, hostiliter ingressae Hungariam, omnia turbavere. Et nisi Matthias, quamprimum per praefectos, praedictae illorum audaciae, potenter prudenterque restitisset, illosque vertisset in fugam: parum abfuisset, quin foedassent omnem illam nuptiarum celebritatem, luctuque omnia complessent. Post paucos annos, cum non esset ambiguum, ob tantorum bellorum furias, regnorum utriusque magnam subsecuturam perniciem: per communes amicos, authore Paulo Pontifice Maximo, qui ad Fredericum misit *Forliviensem Episcopum*, ad Matthiam autem *Gabrielem*

Digitized by Google

Agrienſem, Cardinalem, pax inter ipſos compoſita eſt. Paci multæ conditiones adjectæ. Earum hæc fuit præcipua. *Quandoquidem Matthias, propter tot accepta, abſque ulla juſta cauſa, detrimenta, vim auri exhauſit non facile æſtimabilem: convenit inter eos, ut Matthiæ a Frederico, centum millia auri perſolverentur.* Duorum annorum tempus, ſatisfactioni pecuniæ conſtitutum eſt: ita, ut anno, qui inſtabat, traderentur millia quinquaginta; ſequenti, alterum dimidium. Quæ omnia firmata mandataque ſunt, ut & ea, quorum ſupra memini, monumentis litterarum. Ei ſatisfactioni, non Fredericus tantum ſe fecit obnoxium; verum etiam proceres, & clariores civitates, quæ illius parebant imperio. Adjectaque hæc lex eſt: *Niſi Imperator utatur debitoris officio, ipſi perſolvunto. Quod ſi neque Imperator, neque ipſi, juxta monumenta ſatisfecerint: Matthias, impune illius regna armis invadito.* Ita compoſita pax, per annum tantum perſeveravit; propterea, quod Imperator primo perſolvit, uti promiſerat: anno vero proximo, neglexit. Poſtulat jus Matthias ſuum: recuſat Fredericus, ſuo uti officio; nec minus proceres, civitateſque recuſavere. Inſtat Matthias, Deum hominesque teſtatus, invitum ſe ſuſcepturum bellum. Ceterum, ubi tandem animadvertiſſet, ſibi dari verba; nihil ulterius protelandum ratus, ſumtis armis, Auſtriam, quæ regno eſt Hungariæ contermina, invaſit, belloque diuturno perdomuit, & hodie, nemine reluctante, tranquilliſſime poſſidet. Hæc habui, quæ dicerem de cauſis bellorum, quæ duo potentiſſimi Chriſtiani Principes, non ſine ſumma multorum mortalium admiratione, ſeculo noſtro geſſere.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX
JOANNIS SAMBUCI
AD
RANZANI EPITOMEN.

De occupata Auſtria, & Regis Matthiæ Morte.

Quod autem pacatam Auſtriam tum Matthias tenuerit ſeptennii fœdere inter ipſum &Cæſarem, opera Ducis Saxoniæ Alberti, fiebat: quam uterque, libenter, multis de cauſis acceptarat. Matthias præcipue, qui a Cæſare Turcarum, de producendo fœdere ſollicitabatur; quod injuriis Friderici laceſſitus, antea non gravate pepigerat: Fridericus, qui de Maximiliano a Brugenſibus capto, vehementer ſolicitus, quibuſvis conditionibus ceſſerat. Itaque pacis inter eos leges, ad mortem uſque Matthiæ durarunt; nec ab illis diſceſſum unquam fuit. Cur autem potiſſimum fœdus renovarit cum Frederico, affinitatem quoque cauſam dicunt: quæ jungi, per filium Joannem, & Auſtriam quandam, debebat. Hinc viribus collatis, in Venetos, & alios, ut bellum moverent, nec cœptis abſiſterent, niſi cuncta imperio, quæ fraude & artibus erepta eſſent, ſociis armis recuperaſſent. Tandem ſe ad Huniadis veſtigia, hoc eſt paterna, rediturum, & una cum Frederico, in Turcas exercitum converſurum: nec vita, niſi Conſtantinopoli ſedem fixiſſet, deceſſurum. Tam præclaræ illius fuere cogitationes, ſi ſupervixiſſet: verum anno LXXXIX. ſupra CCCC. omnes cum domi exortos motus amanter compoſuiſſet, ac totius corporis laſſitudine, & podagra nimis affligeretur, Viennam ſe deportari juſſit. Ubi ſequenti anno, ruinis paſſim quibuſdam reſtitutis, miſſo etiam paulo ante in Sileſiam, contra quendam ſeditioſum, exercitu, ex apoplexia moritur. Sunt qui mortis cauſam fuiſſe Beatricem, ſatis deformem velint. Quod hæc, cum negligi ſe videret, atque in Italos quiddam, cum Frederico parari animadverteret: a quibuſdam Italiæ principibus corruptam, ſitienti ex adverſo nuntio Mathiæ, ficus toſtas, & eas veneno imbutas, ante frigidæ potum, nimis blande exhibuiſſe devorandas. Quibus ille comeſtis, quaſi dolum ſentiens,

Digitized by Google

Germanos & Ungaros, exhortari atque orare non deſtiterit; ſuum filium ad regnum ut evocarent, *periculoſum aliunde accitorum eſſe imperium*; deinde Beatricem cum ſua dote & muneribus expedirent; poſtremo turmas illas ſuas nigras, quæ non tumultuario prælio, ſed ſtatario vincere conſueſſent, ne negligerent: quod niſi facerent, everſionem regni, uti accidit, ſubſecuturam. Hæc ut aliquoties repetiverit, octavo a veneno exhibito die, hoc eſt IV. Aprilis, illum ad regionem Sanctorum commigraſſe. Alii etiam, veru per nates dormienti immiſſo, necatum a quibuſdam ſuis, ajunt; quod affirmare non auſim. Cadaver ejus Albam regiam deductum, inque Regum conditorio magnifice depoſitum eſt. Hic fuit decurſus imperii, & feliciſſime, ſive domi, ſive militiæ, geſtorum Matthiæ, per annos XXXVII.

INDEX XXXVII.

De Ladislao in Hungariæ Regem electo, & de Pace reſtituta.

Defuncto Rege Mathia, principes regni, de alio ſublegendo, cogitationem ſuſcipiunt: communicatiſque varie inter ſe conſiliis, *Joannem* quendam, Matthiæ filium, illegitimo natum thoro, proponunt; quod in eo virtutis avitæ ac paternæ ſimul, procul dubio ſeminaria ineſſent. Addunt, ab ea voluntate, non fuiſſe alienam etiam patris, qui omnem ſuum theſaurum illi reliquiſſet. Eodem tempore Maximilianus Cæſar, Reges, Polonus & Bohemus, nuntios expediunt ſuos ad proceres Hungariæ, benevolentiæ, & regni quiſque ſibi conciliandi ergo. Sed tum *Regina Beatrix*, hauſto jam in Olomucenſi congreſſu amore, de nuptiis cum *Ladislao*; admodum formoſo, clandeſtine tractans: primates, in ſuam ſententiam, largitionibus & precibus traduxit, Ladislaum uti Regem ſuum pronunciarent. Non deſuturam illis unquam Regis gratiam & amicitiam, multo minus regno tuendo cuſtodiam. Quare de communi conſenſu, *Ladislaus* frater Sigismundi Poloni eligitur; quique hoc illi denuntient, in Bohemiam legatos mittunt. Rex, nuntio tam læto & nec ſperato accepto, ex Bohemis & aliis, quas poteſt manus facit, quorum comitatu, quia diverſas adhuc quorundam, de ſpurio Mathiæ, ſententias audiebat, ad *Sempthe*, arcem *Vago* circumfluo munitiſſimam, conſedit, donec quid omnino futurum eſſet, certo cognoſceret. Fecit etiam id, quia Cæſarem ingentem eduxiſſe exercitum intellexerat. *Maximilianus* ſub idem tempus, Vienna

fine

Digitized by Google

ſine difficultate, & quaſi annuente Ladislao, potitur: retenta arce, in qua *Stephanus Scepuſienſis*, præſidium abiens reliquerat. Sed ſubverſis muris, & ad irruptionem aditu patefacto, ſeſe quoque dedunt. Qua ipſa occaſione, *Cloſterneuburgum*, & vicina loca, ſimiliter recuperantur. Ipſo hoc anno *Albam regalem*, quam *Paulus Kyniſii*, apto milite, & commeatu bene copioſo, tenebat, Cæſar, adjunctis omnibus fere Germaniæ proceribus, circumſedit, eamque vigeſimo quarto die obſidionis, non ſine cæde ſuorum, expugnat: mox *Veſprimium*, non ita pertinaciter defenſum, una cum aliis caſtris fortiſſimis, & ad quamvis oppugnationem infeſtis, ejuſdem Kyniſii, capitur. Marte ſatis felici Maximilianus uſus: perſequi tamen victoriam, Germani haud ſcivere. Etenim, quod ſtipendii ſolutione milites caruerant, præda memorabili iſtic potiti, ulterius progredi, Cæſare poſtulante, nolebant: ſed paſſim relicto præſidio, *Viennam*, ſuorum inobedientia, revertere coactus eſt. His ita geſtis, *Ladislaus*, anno proxime ſecuto, Budam immenſo exercitu ingreſſus, conventum indicit, quo de præſidiis Germanorum ejiciendis, regnoque eliberando, prorſus concludatur. Eo paucis diebus expedito, quæ ad ſalutem regni, & fines purgandos attinebant, decreta ſerio fuere. Pauloque poſt, paſſim Cæſarianis præmonitis, ſi ſe ſalvos cuperent, libere diſcederent: eandem *Albam* graviſſime obſidet, ac brevi cuncta reſtituit. Quare factum etiam, ut ſine ulla controverſia, ibidem, diademate Stephani Regis, de more confirmaretur. Quem Ladislai ſucceſſum, permoleſte quidem Maximilianus tulit: ſed ob negotia imperii, tum abſens, rebus, uti voluiſſet, ſuccurrere nequibat.

Tandem, crebra legatione, utrinque, de pace inter eos perpetua, tractari ceptum eſt: certis id legibus, & transactione veteri, qua domus Auſtria niteretur, cum Ungaris jam inde ab Alberto facta. *Ambo dimitterent exercitus; præſidia tollerentur; atque ſi Ladislao vita functo, hæredes maſculi ſupereſſent, exigua penſione, jus illud ab Auſtriis quotannis redimeretur; hæcque conventio, perpetua, & lex firma eſſet: ſin aptum regno ſucceſſorem non relinqueret, pacta valere Auſtriis debere.* Verum Ladislaus, Beatrice repudiata, ex nepte ſororis Galliarum Regis, Annam & Lodovicum ſuſcepit.

Sub *annum XIV. ſupra M. D.* Turca, cum in alias Ungariæ partes hoſtiliter incurſaret, ſemper ejus ſaluti inſidiatus; tum vero in *Croatiam*, maximo cum impetu, & vi apparatus, tranſit: iſticque oppidum fortiſſimum, unde pacis & bellorum ſpes illius regni pendebat, *Thimninum* invadit. Quod hoc citius adepturum ſe putabat, quia Regem nonnihil otioſum inopemque,

Digitized by Google

Cæsarem autem ac Polonum aliis bellis occupatos, noverat. Claruit id temporis consilio & opibus, illustris *Thomas* Cardinalis *Archipræsul Strigoniensis*: qui, ut periculum impendere Ungaris extremum, nisi aliter provideretur, sensit; tamen Regem non ita pecuniosum, thesauro ut minus juvaret, milites se gratuito mox coacturum, promittit. A Leone igitur X. Pontifice, qui Solymannum Italiam aggredi prius, quam Ungariam, constituisse intellexerat, ideoque corruptis quibusdam Ungariæ proceribus, ne cum Solymanno perpetua pax fieret, impedierat, totius Christianitatis auxilia pollicitus; diplomata affert, quibus remissio delictorum, & vita sempiterna, qui pro nomine Christi, propriis sumtibus arma capesserent, vulgo denuntiaretur. Ex qua demum indulgentia, imperita multitudo, jam diu a Nobilibus vexata, eos spiritus ac licentiam sumsit, ut, quas cum Turcis manus conserere vellet, primum suorum nobilium cæde & sanguine imbuendas clamitaret: aliter se, vel Turca repulso, quam speraret quietem, nunquam habituram. Pervicit opinio confusæ plebis, nec illius mentem quidquam sanare, aut revocare in memoriam ejus potuit, cujus amore, signo crucis vestibus præfixo, ad societatem & militiam se contulissent. Hinc exortum in Pannonia, horrendum illud rusticanum & servile, adversus Nobilitatem, bellum. Etenim, varie & turbate satis ab illis gesta, optimis quibusque de medio sublatis: spe interim veniæ perpetuæ retenta, suæ libidini furenter, pæne satis, permiserunt. Donec præ ceteris, a *Joanne Wayvoda*, magnæ spei juvene, *Georgio* & *Luca Sekelis*, præfectis ejus æstus & seditionis, captis, multoque maxima parte cæsa rusticorum, paucis dispalatis, & in sua loca dilapsis, incendium extingueretur. Quocirca Rex, animo & viribus cum nobilitate receptis, omnem cogitationem ad pacem optatam, & salutis conservationem contulit. Itaque rebus tunc prospere gestis, ac universis bene constitutis, *anno MDXV.* quo Christiana res vigeret, & adversus Dei hostes magis creseceret; sumtu maximo, inusitato comitatu Cardinalium, Episcoporum, Ducum, & totius fere Germaniæ nobilitate, studio conjungendarum voluntatum, & præripiendæ occasionis turbarum, de successione Ungarica quæ excitari potuissent; *Maximilianus*, cum *Ladislao* ejusque liberis; ac *Sigismundo Polono*, ad oppidum *Pruk*, prope *Laytam* fluviolum, conveniunt. Ubi dextris peramice junctis, a Maximiliano Viennam invitantur: hospitalitatem, & animum se illis declaraturum, inquiens, qua nuptiæ fieri, & affinitas existere possit. Quapropter *Viennam*, imbribus quidem obruti, sed læti ingrediuntur: *Ladislao* cum liberis in arce hospitio dato, *Polono* autem in ædes leporinas, sic vocatas, deducto. Ibidem, cujus causa Cæsar istud omne cupiebat,

piebat, ut ex Nepotibus alteri, filiam Regis nuptiis illigaret, facile perfecit. Quod XXII. Julii, concordia principum vulgo recitata, & supplicationibus in S. Stephani ædes institutis, juste confirmata, nuptiæ binæ, & illæ vicissim factæ, junctæ sint. Etenim Maximiliani Neptis, Maria, Lodovico, jam tum Regi, datur: hujus contra soror Anna, Cæsaris Nepoti Ferdinando Austriæ, despon-satur. His ita feste peractis, Ladislaus, Budam cum Ludovico reversus, & filia Viennæ relicta; cum procerum odia dissimulasset, podagricus, & multa carne & pinguedine gravis, nono post mense, vita Budæ fungitur. Visus est multis hic Rex, ad otium & pacem, quam bellum & gubernationem, magis aptus. Nam suarum rerum nimis negligens, & profusus; interdum, quod mensæ apponeretur, vix habuit. Cetera, sanctissimæ vitæ, perpetuis deditus precationibus adeo fuit, ut quibusdam, ubi procubuit, visus sit interdum divinitus a terra sublevari. Sed & huic improbitas malorum, quod linguæ Ungaricæ prorsus expers fuerat, nocuit, & de gloria non parum detraxit. Præfuit imperio annos XXIV. Sepultus Albæ, ubi ceteri Reges Ungariæ.

INDEX XXXVIII.

De Regimine Ludovici II. Regis, ejusque misero Interitu ad Mohacs.

Ludovicus patre adhuc vivo, in ipsis cunis, *Rex Ungariæ* creatus, & insignitus corona fuit: anno vero ætatis suæ quarto, *Bohemorum* etiam *Rex* dicitur, & coronam consequitur. Fuit is corpore valido, bene sano, colore subfusco, ad quævis solatia natus, nemini molestus, largus: sed ante tempus, adolescens, canos aliquot capillos alebat. Amabilis, & placidus natura, ingenio satis excitato: sed cum ab ortu, & formatoribus neglectus; tum perpetua Ungarorum negligentia & seditionibus factum; quo minus sese exercere, & cum autoritate imperare, fuerit assuetus. Qui enim Antistites & alii, a consiliis aderant, obtinere jus, & summam rerum volentes, læto semper illum animo esse debere, atque negotia publica in ipsos conferenda, persuaserunt. Ea re factum, quod cum Turca jam pridem in Ungariam, oblata occasione, penetrare cupiisset, quod satis ostendit, septem annos *Barnaba Belay Severinensium Bano*, jam a Ladislao pro pace misso, apud se detento, ac ea denegata, postea remisso, ut cladem a Parthis acceptam, amisso patre, resarciret, regnumque stabiliret suum. *Ungaros, conviviis & theatris deditos sentiens*, ma-

Digitized by Google

ximo cum apparatu, expeditionem decreverit, ac bellum formidabile moverit. Quod eo felicius urſit, quia Regem a ſuis pro puero haberi, & aliorum prorſus niti conſilio, intellexerat. Multos præterea æmulos regni, turbas & proditiones domeſticas vigere; nullum Ducem bonum: denique, non parum ad rem bene gerendam ſibi profuturum, quod omnes pene Chriſtianos principes, inteſtinis odiis ardere, mutuiſque bellis longe ab Hungariæ finibus diſtineri, & ſeſe conficere animadvertebat. Ratus nimirum, aut nullum, aut ſerum nimis externum Hungaris affore ſubſidium. Nec aberravit. Quare magno in Ungariam furore concepto, per loca, quæ ante annos ſeptem prohibere acceſſu potuiſſent, *Belgradum* receptum, ad alia tranſit; atque etiam *Salankemen*, & *Varadino Petri* captis, & arte ſibi communita via, trajecto noſtrorum ſocordia *Dravo*, *Tolnam*, nemine impediente, ſubito applicat. Quo nuntio Rex accepto, & perculſus animo, voluptuoſis proceribus, ſtatim legatos cum precibus quoquo verſus dimittit; per fidem, & religionem obteſtans, niſi civilia odia, & arma deponant, hac vice de univerſo nomine Chriſtiano, & ſalute actum fore: de communi igitur conſenſu, undique copiis quamprimum coactis, jam ſuccurrant. Verum illi tardius, quam par erat, in animum preces Lodovici admiſerunt. Quamobrem, denegatis paſſim theſauris etiam Ungarorum, quæ merito ad communem libertatem exponi debuiſſent: collecto Rex miſerandus exercitu, ad XXV. millia, ex pietate ac dolore, furorem hoſtis reprimere, quamvis omni externa ſuorum ope deſtitutus, conatur. Sed unica ſpes reliqua fuit, in adventu *Joannis Vayvodæ*, jamdudum non obſcure regnum appetentis; qui validiſſimas copias, de Tranſilvania moverat: tamen, quorundam etiam Epiſcoporum, ſive malevolentia, ſive importunitate, atque convitiis in Regem, factum, ut non expectato Vayvoda, ingruente autem Turcorum ſævitia, infelix Rex, alienis conſiliis affixus, incaute ſe opponeret, & mox animoſe præcipitaret. Nam promotis ad *Mohácz* oppidum caſtris, æquo in loco, quia hoſtis, valde numerum exiguum, ſine ductoribus & tormentis, vidit noſtrum: nihil differendum ſtatuit, ſed prælium committendum. Cunctis ergo, a Rege quoque per *Paulum Tomori*, hominem tum nonnihil temerarium, confuſe ad certamen diſpoſitis: cum aliquamdiu noſtros, procurſationibus, & levibus prœliis exercitos, attriviſſet; tandem ultimo, noſtris quoque etiam in aciem utcunque deductis, & ordinatis, manus longe impares, & ſummas adeo copias, XXIX. Auguſti conſerunt. Sed Regius exercitus, facile, & miſerabiliter, offuſo terrore, cæſus, & fugatus brevi eſt. Ubi ampliſſimi quique Præſules, & Barones, ignominioſe occiderunt. Lodovicus etiam ipſe, hoſtis

manus

Digitized by Google

manus effugere volens, ex media cæde, in lacunam quandam, ex ſtagnatione Danubii, equo delatus; quod armis gravabatur, ibidem ſubmerſus, interiit. Cujus tandem cadaver integrum, poſt duos menſes, indicio cujuſdam *Cetricz* nobilis Bohemi, inventum, ac in Alba Regali, perhonorifice, ſumma cum luctus omnium contriſtatione, fuit ſepultum. Sed illi ipſi authores, ac Regis ſocii, qui Ungariam cum Rege in exitium deduxerunt, haud impune evaſere. Siquidem cum ſpoliis corporis, ipſorum capitibus præciſis, ovantibus Turcis, ludibrio extiterunt, ac ſolius tantum Regis Cæſar miſertus: in caput Ungarorum, qui non aliter ſibi reſiſtendum ſtatuiſſent, ſuumque Regem perdidiſſent, minas periculaque deteſtatus. Hic fuit miſerabilis exitus Lodovici, hoc imperium nunquam ſanum, nullis firmatum vel præſidiis, vel conſiliis Baronum. Quisque enim dum ſibi clam dominatum, & avaritiam proponebat: neglecto Rege, atque publica tranquillitate poſtpoſita, conciderunt. Solymannus, victoria, celerius quam forte voluiſſet, potitus: recta *Budam* pergit, ubi omnibus in prædam verſis, una cum *Peſtho* eam, oppido mercatu celebri, contra ipſam poſito, igni penitus exurit. *Regina Maria*, onuſtus aliquot navibus, comitatu promiſcuo civium, & ſuorum *Poſonium*, non ſine moleſtia, evaſit. Non diu tamen Solymannus in Ungaria permanſit, ſed Regis Perſarum metu, & domeſtici cujuſdam ſeditione coactus, vacuum omni præſidio regnum deſerit, ac domum feſtinat.

INDEX XXXIX.

De Ferdinando I. Romanorum Imperatore Hungariæque Rege, & Joanne Wayvoda.

Excipit regnum *Ferdinandus*, divinitus omnium voto nunc confirmatus Cæſar, *Hiſpaniarum Infans*, jure ſuo, ac fœdere non ſolum connubiali; ſed etiam majorum ſuorum conventionibus. Sed non ſine difficultate, atque ſtudiis Ungarorum vehementibus & diverſis, illud eſt conſecutus. Nam *Joannes Vayvoda*, qui flagrans cupidine regni, jam dudum ſibi illud propoſitum habebat: non obſcure, quid animi tum adverſus Lodovicum, tum vero Ferdinandum haberet, quidque ſemper molitus ſit, in interregno ipſo demonſtravit. Jam enim a conventu illo Peſthienſi, ubi omnia loca ſuis armis obſederat, cum de confirmanda Lodovici gubernatione tractatum eſſet: quid ambitio, prehenſationes, & id genus

Digitized by Google

nus artes poſſint, experiri auſus eſt. Quibus haud parum ipſe profecit. Siquidem mortuo Lodovico, a præripiendam Ferdinando hæredi coronam, Batones ſubordinavit; & promiſſis innumeris, ut a multo maxima parte Rex crearetur, obtinuit. Sed infauſtus illi dominatus, & ſemper inconſtans, adeoque cladibus ſæpe cumulatus exſtitit. Etenim Ferdinandus, conflato exercitu paratiſſimo, recta Budam, ut obſideat, diſceſſurus: deſperatis Vayvoda ſuis rebus, profugit. Fuſiſque ejus paſſim & cæſis copiis, ſatis Ungarorum ſocietate firmatis: nuſquam tutus eſſe potuit, & diu in Polonia hoſpes latuit; donec ſe ſuoſque, una cum regno, ad extrema deductus, in turpiſſimam tutelam, ſive potius miſerandam ſervitutem Turcæ, abjecerit. Quo tandem, variis precibus, ad reſtituendum ſibi regnum evocato: imperium, cum ipſe ſuum amiſit, omneſque poſteros in tyrannidem dedit; tum vero cunctis Chriſtianis negotium præbuit, & ſolicitudinem importavit maximam. Sed ſpes eſt fore, tametſi mobiles adhuc quorundam Hungarorum animi videantur: ut hujus ipſius Ferdinandi, pientiſſimi Cæſaris, non ſolum precibus, ſed manu quoque, & poteſtate valida, vis & furor Turcarum, brevi repreſſus, penitus ceſſet: nec amplius Chriſtianorum ſaluti queat imminere. Sed quod ad hunc Regem attinet, non deerunt, qui memoria & ſtylo recenti, quid amore Chriſtianorum molitus ſit, quid ſuſceperit, atque audeat, fideliter & copioſe notabunt. Hæc appendicis loco nunc ſufficiant.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google